DEFENSIO
DECRETORUM
CONCILII TRIDENTINI.
ET
APOSTOLICARUM CONSTITUTIONUM
ECCLESIÆ ROMANÆ
IN CAUSA PAUPERTATIS MONASTICÆ
ADVERSUS
DUOS LIBROS INSCRIPTOS
VITA CLAUSTRALIS,
ET
VINDICIÆ REGULARIUM &c.
AD PONTIFICEM MAXIMUM
BENEDICTUM XIV.
AUCTORE

F. DANIELE CONCINA
Ord. Prædicatorum Sac. Theolog. Lectore.

Accedunt Censura in Censuram Disciplinæ Apost.-Monast. Et Animadversiones in Epistolam Exegeticam. P. G. C.



BONONIÆ MDCCXLV.
SUPERIORUM PERMISSU.

PROSTANT VENALES VENETIIS
APUD SIMONEM OCCHI, SUB SIGNO ITALIÆ.

Digitized by Google

Antisthenes :.:. cum audisset Socratem de paupertate disputantem, dixisse fertur ad Discipulos suos: Abite, & Magistrum quærite; ego enim jam reperi. Statimque venditis quæ habebat, publice distributis, nihil sibi amplius quam paliolum servavit ..... Unius tantum Philosophi exemplum posui, ut formosuli nostri, & thorosuli, & vix summis pedibus adumbrantes vestigia, quorum verba in pugnis sunt, & syllogismi in calcibus, qui Paupertatem Apostolorum, & Crucis duritiem aut nesciunt, aut contemnunt, imitentur saltem Gentilium parcitatem. Sanctus Hieronymus lib. 2. cont. Jovin.

Digitized by Google



SANCTISSIMO PONTIFICI
BENEDICTO XIV.

F. DANIEL CONCINA Ord. Præd.
FÆLICITATEM.



On est, ***BENEDICTE MAXIME***, *quod ſublimes animi* ***TUI*** *Dotes*, *&* *ampliſſima Merita*, *ſive quæ* ***TE*** *ad iſtud ſupremæ, peneque Divinæ dignitatis faſtigium*,

Digitized by Google

ſtigium , non ſine ſingulari Numinis afflatu , tota plaudente Chriſtiana Republica , atque TE aliud omne prorſus cogitante , extulerunt : ſive quæ poſt occupatam hanc Beati Petri Cathedram Apoſtolica vigilantia , & invicta pectoris fortitudine , in univerſo Catholico regundo Orbe TIBI comparaſti , commemorem , nedum ſermone exornem . Quare ſilentio obvolvam , & pleniſſimam illam , æternumque admirandam carnis , & ſanguinis abdicationem , quæ TE conſanguinitate intactum demonſtrat: & illam in calamitoſis , perturbatiſque vicibus animi celſitudinem , & magnanimitatem , & innumera alia , quæ TE decorant ornamenta , tacitus prætermittam : Quo ſolam SAPIENTIAM , quæ BENEDICTUM XIV. adamuſſim refert , quæque cauſam , quam TIBI ſiſto , juvat , collocatque in tuto , commendem . Quam jure , ac merito hanc unam , quæ

veluti

Digitized by Google

veluti sol stellas, cæterarum Virtutum TUARUM coronam illustrat, celebrandam selegerim, tum intelligent omnes, cum quæ continuo dicturus sum secum animo reputaverint.

Præpotens Orbis effector, ac prudentissimus Moderator Deus, in formando, ornandoque Ecclesiæ suæ Principe, qui sui ipsius vices gerat, Jusque interpretetur, & dicat, hunc sibi præstituit modum, ut in plurium, variorumque donorum largitione, illud eidem impertiat uberius, quod temporum rationi quam maxime congruat, quod commisso sibi Evangelico Gregi ab hostium morsibus defendendo, quod sanctissimo Fidei, Morumque veritatis Deposito integro custodiendo, validius conducere præcognoverit. Porro inter extrema mala, quæ hoc impeditissimo tempore Catholicam Ecclesiam Sponsam TUAM undequaque premunt, exagitantque, illud dirius ad perniciem grassatur, quod

ſacræ Doctrinæ tenebras offundit, & Ecclesiasticæ Disciplinæ nervos extenuat, peneque enecat. Sua eſt cuique profeſſioni Theologia mitiſſima, quæ quo eſt alicubi in domeſticos mores miſericordior, eo eſt in alienos ſeverior. Civile bellum Theologos inter ardet, & ultro citroque exprobrantur errores. Erumpunt in dies ex ipſo Eccleſiæ ſinu opinionum monſtra ementitæ benignitatis fuco delibuta. Solutiſſimis moribus laxior reſpondet Doctrina. Et pauci ſunt, qui domi Veritatem, & Juſtitiam hoſpitem, nedum dominam patiantur. Deprædicant illi ſaniorem Doctrinam; at ſæpenumero eorum ſermonem confundunt eorum opera. Oſtentant hi quidem ſeveriores mores; ſed illorum Doctrinæ pugnant cum illorum operibus. Hæc rerum noſtrarum diſcrimina, hæc horrida temporum noſtrorum facies eum poſtulabant PONTIFICEM, qui Sacra præſtaret Erudi-

tione,

Digitized by Google

tione, qui cælesti Sapientia splendidius præfulgeret.

Exultet itaque nunc, sibi plaudat Universus, qua late patet, Christianus Orbis, animumque intendat in Providentiam illam, qua Clementissimus Deus BENEDICTUM XIV. jam inde a teneris unguiculis, Sacris innutrivit Disciplinis, Sapientia aluit, atque Scientiarum fere omnium ornamento cumulavit. Quorsum? ut Pontificem sibi formaret temporum conditioni aptissimum, errorum tenebris dissipandis, & Disciplinæ cum Ecclesiasticæ, tum Monasticæ instaurandæ quam maxime opportunum. Hæc divina Providentia TE, BEATISSIMÆ PATER, quadraginta circiter annos in hujusce Almæ Urbis, & Purpuratorum Patrum Collegiis perpolivit, exornavitque. Quanta vero TU Æternæ Sapientiæ consiliis, industria, & diligentia dederis operam, non equidem testes

appello doctissima Opera TUA: Non Libros, quos Ecclesiis Anconitanæ, & Bononiensi, quibus præfuisti, imbuendis graviter, & solide scripsisti: Non ingentia illa volumina auro, cedroque digna, quæ Sanctorum Cætui amplificando viam parant, removentque obstacula. Hæc, & alia longe plurima aliis enarranda relinquo. Illa ego splendidissima Sapientiæ TUÆ monumenta recordabor, quæ ut supremus Ecclesiæ Catholicæ Pastor prodidisti: quæque TE his afflictis, perturbatisque temporibus a divina Providentia nobis datum, reservatumque demonstrant. Et primum omnium in medium veniant celeberrimæ illæ CONSTITUTIONES, quibus Orientalium Indiarum Ritus ab Ethnica superstitione purgasti, effugiis quibusque occlusis, & sublata captiosa circuitione verborum. Duo alia succedant Diplomata, quibus Occidentalis Eccle-

siæ collapsam Jejuniorum Disciplinam ad pristinam revocasti integritatem, opinionum pravitate rejecta. Sed quid singula persequor? Si vix obiter indicare valeo Sanctiones illas saluberrimas a TE conditas, ut Sacrorum Ministrorum Electionem, Ordinationem, Residentiam, aliaque Episcoporum Officia ad severiores Ecclesiæ Regulas conformares: Ut incruentum Sacrificium a cujusque mercimonii specie intaminatum servares: Ut indissolubile Matrimonii vinculum firmius consisteret: Ut Sacramenti Pœnitentiæ administratio sanctius perficeretur: Ut demum Catholicorum Græcorum mores puriores, & Christianæ Doctrinæ tradendæ rationem faciliorem efficeres. Hæc, ut cætera hujus generis plurima reticeam, sunt locupletissima Sapientiæ TUÆ testimonia ære perenniora. Et quod omnes admi-

ratione

Digitized by Google

ratione defixos tenet, illud est, quod tot, & tam ingentia molitus sis opera, hoc ipso turbulentissimo tempore, quo bellorum incendio universa ardet Europa, & infelix Italia nostra immanissimæ pestis, & transalpinæ militiæ cladibus patuit: hoc ipso tempore, quo TU, ceu amantissimus omnium Catholicorum Principum, Populorumque Parens, non industriæ, non consiliis, non precibus, non tandem ærario pepercisti, quo omnes ad pacem, concordiamque inflecteres, urgeres, revocares.

Gravissima hæc sunt atque sublimia. Verum tam alta de TE, BENEDICTE SAPIENTISSIME, existimatio prævalet, atque fiducia, ut his longe majora, & luculentiora ominentur docti, sperentque boni omnes. In TE redivivos confidunt Alexandrum VII. & Innocentium XI. & quam illi Theologiæ Christianæ reformationem, centum, & am-

plius

Digitized by Google

plius propositionibus damnatis, fæliciter cæperunt, eamdem TIBI promovendam, perficiendamque destinatam veluti oculis cernunt, ne dum animo anhelant. Medium jam elapsum Sæculum est, ex quo nihil mollioris Ethices, tametsi in dies ad extrema vergat, proscriptum sit. Quid, quod non modo laxiores quotidie prodeunt opinationes; verum etiam ipsarum propositionum a Decessoribus TUIS Alexandro, & Innocentio damnatarum Interpretes quidam benigni, variis distinctiunculis, ineptisque commentariis easdem partim extenuarunt, partim in nihilum redegerunt, & elusis Pontificiis decretis, universam pene Theologiam, non secus ac antea, deformarunt. Hinc jacet omnium Scientiarum splendidissima & quæ, si æternæ salutis negotium spectetur, omnibus cum primis esse cordi debet: jacet, inquam deformata erroribus, con-

ten-

Digitized by Google

tentionibus discerpta: nunc fucatur calamistris, modo obducitur larvis, & tot sæpe formas subire cogitur, quot sunt animorum rationes diversæ. Idque ad illius accedit infortunium, quod hoc cultissimo sæculo, quo artes, & scientiæ aliæ fere omnes, barbarie pulsa, expolitæ magnopere splendent, una squaleat venustissima omnium Virtutum Mater, & Altrix. Quid, quod ipsi Ethnicorum sapientissimi Viri, sive Græci, sive Romani, Socrates, Plato, Aristoteles, Theophrastus, Panaetius, Cicero, aliique innumeri eo maximam studiorum partem suorum contulerunt, ut bene, beateque vivendi regulas illustrarent. Quid autem, si Sapientissimo Pontifice BENEDICTO XIV. Regnante, ad avitum non revocaretur splendorem Christianorum Theologia? Tam tristia ne vel suspicari licuerit, cum tot luculentissima argumenta occurrant,

BENE-

BENEDICTUM XIV. a divina Providentia idcirco nobis esse datum, ut potissimum nobiliorum Scientiarum studia, & Dogmatum veritates, morumque Disciplinam instauret, confirmetque. Quo, amabo te, pertinent quatuor Sapientum Virorum erectæ Academiæ? Non alio scilicet, nisi eo, ut puriores omnium Scientiarum fontes adeantur, ut vetustā tum Sacræ, tum profanæ antiquitatis monumenta reviviscant: ut prima denique principia, unde conscientiæ nostræ regulæ repetendæ sunt, excolantur. Quid ergo est reliquum, quam, ut morum Theologia, erigendo etiam, si expediens visum fuerit, Theologorum in hunc finem Collegio, suæ restituatur integritati, laxis, erroneisque opinionibus proscriptis? Huc, BENEDICTE MAXIME, omnium bonorum vota conspirant. Hoc egregium facinus est a TE præstandum, quod & seræ Po-

c *steritati*

ſteritati NOMEN TUUM æternum commendabit, atque immenſam TIBI gloriam in Cœlo pariet.

Porro ſi qua Theologiæ pars eſt, quæ illuſtratione opus habeat, illam, quæ Monaſticam verſat Diſciplinam, reformatione ſummopere indigere, olim in Opere inſcripto DISCIPLINA APOSTOLICO-MONASTICA *palam ipſe feci. Quantum enim ſplendoris ex eadem Diſciplina optime inſtituta Romanæ Sedi, & Univerſæ Catholicæ Eccleſiæ accedat: Quantum contra detrimenti, & obſcuritatis eadem collapſa patiatur illa, Tridentina Synodus ampliſſimis verbis declaravit. Quam vero inconcuſſa, quam luculenta ſit Doctrina a me ibidem propugnata, oppido confirmant Scripta duo, videlicet* VITA CLAUSTRALIS: & VINDICIÆ REGULARIUM: *quæ adverſus præfatam Diſciplinam Monaſti-*

cam

cam prodiere. Tot quippe erroribus, tot laxis sententiis scatent, ut non mea modo, sed Universæ Ecclesiæ interesse existimaverim, eadem magnâ, quo ad fieri potest, efficacitate refellere, nulla Authorum, sed solius veritatis, ut antea consuevi, habita ratione. Siquidem adeo perspicua, atque evidens est causa, quam orandam contra Adversarios duos aggredior, ut animus mihi fuerit illam TIBI BEATISSIME PATER dedicare. Audax fortasse videbitur consilium, quod ego exiguæ famæ vir tantam subire Majestatem non reformidaverim: Sed evanescet cujusque audaciæ nota continuo ac rationes, quæ me ad id perpulerunt, indicavero. Sunt autem hujusmodi. Nihil frequentius in ore habere, nihilque ad speciem captiosius solent illi, quibus mitior arridet vivendi ratio, quam Summorum Pontificum, reique Monasticæ curandæ Præfe-

ctorum, silentium, tolerantiam, & conniventiam in eo, quod spectat ad remissam in Cœnobiis morum formam, obtrudere, atque imprudentiæ, & phanatismi labem illis aspergere, qui pro veritate decertant. Quæ commenta Hæterodoxis ansam Romanam carpendi Ecclesiam, & imperitis laxius vivendi occasionem suppeditant. Quibus omnibus ut pro modulo meo occurrerem, Tribunal TUUM adire non dubitavi. In hocce autem Opere, quod Augustissimo Throno TUO sisto, non meam quampiam, non aliquorum Doctorum singularem opinionem, sed Concilii Tridentini Decreta, Summorum Pontificum Decessorum Tuorum Constitutiones, Patriarcharum omnium Regulas, & communem Theologorum, atque Canonistarum Doctrinam propugno. Quapropter in firmam erigor spem, ut quo incredibili studio illa omnia promoves, quæ amplificandæ, tuendæque

Reli-

Religioni conducunt, eodem amplecti velis hoc Scriptum, in quo Sedis Apostolicæ adversus Novatores decus agitur, & Monasticæ Disciplinæ splendor a vanis interpretamentis asseritur. Hominum mores ad Legum Præscriptum conformari sepe nequeunt, quoniam Animarum conversio Dexteræ Excelsi fructus est. At quid impedire Veritatis, saniorisque Doctrinæ manifestationem valet? Fulgeat itaque, sin minus ubique morum Sanctitas, saltem ubique Doctrinæ veritas. TU autem, BENEDICTE DOCTISSIME, Sacerdotum Princeps, & Universæ Catholicæ Reipublicæ Caput, ac Moderator, Sacrosancti Depositi veritatum Evangelicarum cum Fidei, tum morum Custos Supremus institutus es. TUÆ fidelitati, vigilantiæ TUÆ, sacræ Doctrinæ Thesaurum concredidit Deus ipse custodiendum. Nemini ergo, nisi TIBI PONTIFEX

MAXI-

Digitized by Google

MAXIME, hoc Opus offerre debui, ut ad ſuum verum, Supremumque Judicem cauſam deferrem, quam, pedibus TUIS Sanctiſſimis provolutus, animo obſequentiſſimo protegendam, quatenus veritatem continet, una cum ejuſdem Authore ſubjicio, dedico, conſecro. Vale.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO
R. ADMODUM
P. PHILIPPI
DE CARBONEANO

Ord. Min. S. Francisci de Observantia.

DUo a Fratre Daniele Concina Ordinis Prædicatorum elucubrata volumina, unum scilicet Venetiis anno 1739. hoc titulo impressum: *Disciplina Apostolico-Monastica Dissertationibus Theologicis illustrata*: & alterum nondum in lucem editum inscriptum: *Defensio Decretorum Concilii Tridentini, & Apostolicarum Constitutionum Ecclesiæ Romanæ in Causa Paupertatis Monasticæ adversus duos libros inscriptos: Vita Claustralis: & Vindiciæ Regularium*: Jussu Sanctissimi D. N. BENEDICTI XIV. legi, & diligenter examinavi, nec quidpiam offendi, quod bonis moribus, Orthodoxæque Fidei adversetur, quod vel ex Monachorum Regulis, Conciliorum Canonibus, Summorum Pontificum Bullis, & Sacrarum Congregationum Decretis deductum, aut celebriorum Theologorum authoritate confirmatum non sit, vel laudabilem non exhibeat Authoris zelum, qui in paupertatis causa, in qua vitium splendido quodam colore plerumque tegitur, imminens æternæ salutis periculum ante oculos ponit, hortatur, atque vehementi quandoque oratione, ut quisque sibi caveat, inculcat. Quamobrem opus utrumque Monachis omnibus perutile, & postremum luce quoque dignum existimo.

Romæ in Cœnobio Aracælitano Kal. Junii 1744.

F. Philippus de Carboneano in eodem Cœnobio Sacræ Theologiæ Lector.

APPRO-

APPROBATIO
R. ADMODUM
P. D. ANSELMI BORTOLETTI

Monachi Casinensis Sac. Theol. Professoris, & SS. Canonum Lectoris.

OPus, cui titulus est: *Defensio Decretorum Concilii Tridentini, & Apostolicarum Constitutionum Ecclesiæ Romanæ in causa paupertatis Monasticæ adversus duos libros inscriptos Vita Claustralis &c. Et Vindiciæ Regularium a F. Daniele Concina O. P. & S. Theol. Lect.* Jussu Sanctissimi D. N. BENEDICTI XIV. diligenter examinavi, & nihil offendi, quod bonis moribus, aut fidei Orthodoxæ contrarium sit: immo cum in ipso Cl. Author Monasticas Regulas, Conciliorum Canones, & Romanæ Sedis Constitutiones ad Religiosam paupertatem pertinentes, illustret quam maxime, saluberrimasque Monachis omnibus proponat Regulas, ne in re gravissima, atque periculi plena decepti in transversum abripiantur; dignissimum illud existimo, ut publica luce donetur.

Romæ ex Ædibus S. Callisti Kalendis Martii MDCCXLV.

D. Anselmus Bortoletti Casinensis S. Theologiæ Professor, & in Collegio Anselmo-Benedictino SS. Canonum Lector.

DISSER-

PRÆFATIO.

I.  EQUE dolendum nobis eſt, neque mirandum, quod *DISCIPLINÆ APOSTOLICO-MONASTICÆ* ſcriptum continuo ac in lucem prodiit, utramque expertum fortunam ſit, propitiam nempe ſimul, & adverſam; quum ſciamus novum haudquaquam eſſe, ſed pervetuſtum, & conſuetum, Evangelicam veritatem, quæ hominum cupiditati, & appetitionibus bellum denuntiat implacabile, nunquam mundi reprehenſiones, cenſuras, odium, & invidentiam penitus evaſiſſe. Clauſtralibus, quibus æternæ ſalutis negotium cordi eſt, probatum opus fuit, acceptumque. Quibus e contrario arridet peculii privati opinio, non aliter viſum, quam ferox quædam legio, quæ populabunda, & ingentia anhelans ſpolia, Cœnobiorum penetralia invaderet, & ſcriniis expilatis, ac univerſo ſublato patrimonio, eadem dirueret, ſoloque æquaret. Non ſecus iſti ad præfatæ Diſciplinæ aſpectum commoti ſunt, atque perterrefacti, quam ſi truculenti milites, diſtrictis pugionibus, eorumdem jugulum petentes inclamaſſent: Eja agite dum Clauſtrales: aut priſtinam, quam profeſſi paupertatem eſtis, amplectamini, aut pugionum iſtorum ictibus ſuccumbendum. Hoc ſub truci ſane aſpectu apparuit *Diſciplinæ Apoſtolico Monaſticæ* liber iis ipſis, qui nec intus legerant, nec de facie cognoverant.

II. Hic tamen non armatus, ſed ſupplex: non minax, ſed verecundus, & totus ad modeſtiam compoſi-

tus illorum ſubivit vultum. Nativam Evangelicæ Paupertatis imaginem refert, fuco poſito. Quid vi Monaſticæ Profeſſionis agendum, quid omittendum ſit ob oculos ſtatuit, atque exponit. Non quampiam privatam opinionem plus juſto rigidam; ſed doctrinam Conciliorum, Patrum, Pontificum, Theologorum, & benigniorum Caſuiſtarum unanimi conſenſione firmatam propugnat. Nec propterea tamen ad illam, quam evincit paupertatem ſervandam, quempiam cogit, nemini vim infert; ſed ſupplex deprecatur, ut, rejectis præjudiciis domo delatis, veritati ultro ſe ſe ingerenti mentis oculi aperiantur. Quid ergo tot rumuſculos ſerere, tot maledicta jaculari, ſi eadem, ac antea, & peculii retinendi, & honeſtis indulgendi ſolatiis facultas perſiſtit? Siquidem aut vera doctrina eſt, aut falſa: ſi falſa refutanda: ſi vera, neminem invictum compellit; quia non alios, quam liberos aſſeclas in ſuam ſuſcipit clientelam.

III. Bene omnia. At ſi Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ Opus libere incedat, fama dejicimur, violatæ profeſſionis noſtræ ſontes poſtulamur, & mala, quæ cervicibus noſtris imminent, ipſi præſentimus. Sacrum illud ſuper Diſciplina Regulari Collegium, novis forte, præter conſtitutas in laxioris Diſciplinæ Clauſtrales, pœnis animadvertet, & ad ferendum obſervantiæ Regularis jugum vel invitos adiget, urgebitque. Quare, ut impendentium malorum radicem averruncarent, fœdere inito, qua literis, qua voce conclamarunt ad arma, mutuoque ſeſe concitarunt ad pugnam. Conſilia tenuere plura, ſollicitarunt Principes Viros, nullumque non moverunt lapidem, ut Urbe, & agro librum exterminarent. Et niſi viri ſapientes, atque ſanioris doctrinæ intrepidi aſſertores, & vindices, infracto pectore, interceſſiſſent, vix extremam declinaſſet ruinam. His itaque fruſtra tentatis, arma capeſſere decreverunt, hoc ordine, ut principio e Paleſtra Neapolitana erum-

erumperet ſubitaneus miles, alibi haſtatis, triariiſque ad ſubſidium diſpoſitis, atque paratis.

IV. Sed quod admirationem affert extremam, eſt, me ejus generis nactum adverſarios eſſe, quos confœderatos & habere debuiſſem, & revera me habiturum exiſtimaveram. In Controverſiis, quæ Chriſtianorum mores ſpectant, cum *Probabiliſtis* nuper diſputatum, pugnatumque. Si alicui aggredi *DISCIPLINAM APOSTOLICO MONASTICAM* licuiſſet unquam, id ſane *Probabiliſmi* Patroni jure ſibi aliquo vindicare poterant. Quam enim in alios, quidni & erga ſemetipſos benignitatem, miſericordiamque exercere, & pro eadem pugnare merito valent? Et tamen iſtorum nemo vocem exaltavit, nemo proſilivit in campum, nemo arma ſtrinxit. Quin plurimi eo in ſe ipſos ſeveriores, quo blandiores in alios, Opus, Doctrinam, conatum laudarunt, atque probarunt. Ex ſolis *ANTIPROBABILISTARUM* caſtris egreſſi ſunt adverſarii duo, quorum inſtituti ratio, doctrinæque Angelicæ jurata profeſſio, ſilentium ſaltem, & diſſimulationem ſuadere, & penitus abducere eos ab ejuſmodi conflictu debuiſſent. Quid, quod omni ſpectato jure, nec rectum illi hac in Controverſia judicium ferre, nec animo anticipationibus vacuo eamdem verſare queant? Enim vero fieri ne poteſt, ut qui a teneris unguiculis innutriti peculiis, privatiſque commodis ſunt, peculia damnent, aut eorumdem pravitatem confiteantur? Percurramus ſingulos hominum ſtatus. Si Artificibus operum ſuorum & pretia pro ingenio definire, & artificia, verſutiaſque ſuas a crimine purgare concederetur, quænam illicita fraus eſſet, aut injuſtum pretium? Si de uſuris, de cambiis, de contractibus Theologicas inſtituere diſſertationes, & *VITAM MERCATORIAM* defendere Negotiatoribus datum eſſet, quinam contractus, quænam negotiatio, aut injuſtitiæ, aut uſuræ labe ſcaterent? Quodnam Caſtitatis periculum in Thea-

d 2 tris,

Digitized by Google

tris, in Choreis, si Poetis, si Comicis, & Cytharedis disputatio Theologica permitteretur? Quid si edaces de jejunio disputarent? Quid si Amatorculi de muliercularum illecebris, & lenociniis, deque earumdem promiscua consuetudine Morales scriberent Resolutiones? Improbarent ne Advocati, Politici, Bellatoresque professionis suæ stratagemata? Quæ omnia eo dicta pertinent, ut salva semper discriminis ratione, officioque erga Adversarios integro, perspicue pateat, lege omni & naturali, & divina, humanaque neminem esse æquum in causa propria Judicem. Ut quid ergo eruditi Adversarii crumenis lateri proprio hærentibus de suo peculio super Cathedram disputantes sedent? Pecuniarum marsupium, seu præjudiciorum spissum velamen prius ponant: post in arenam descendant, & Judicum personam induant, sustineantque. Verum non quod fieri debuisset, sed quod factum sit, enarremus.

V. Prodiit igitur Neapoli Anno MDCCXL. opusculum inscriptum *Vindiciæ Regularium in causa paupertatis Monasticæ*, quod volanti, nedum currenti calamo, se exarasse Author Lectorem admonet, ut rem non negligendam. Refutatione antehac dignum minime illud reputavi, quod sua exilitate propriisque gravissimis antilogiis sponte, nulloque contra pugnante, corruat. Siquidem, quænam insolentiora paradoxa, quam Claustrales minime profiteri paupertatem evangelicam, seu Apostolicam communitatem a Luca descriptam *Act.* 2. & 4. sed aliam longe inferiorem, hominum nempe opinione inventam, quæ est ipsissima Novatorum calumnia? Quænam commenta adeo absona, quam privata Claustralium peculia pacem, & tranquillitatem fovere, caritatem, & sanctitatem sartam tectam custodire: & e contrario exactam rerum communionem lege præscriptam turbas ciere graves, jurgia concitare plura, concordiamque fraternam discindere? Et tamen hæc sunt *Vindiciarum* istarum principia prima: hi cardines, quibus universa

vol-

volvitur machina. Quamobrem vel ipſo Adverſariorum judicio *Vindiciæ* iſtæ non vindicant, ſed produnt peculii Monaſtici cauſam.

VI. Ad Triarios ergo res devenit. In Longobardia novus centurio claſſicum cecinit, ſpiſſo volumine, hoc eodem currente anno 1743. tres ab hinc menſes emiſſo, hac grandiore inſignito Epigraphe: *VITA CLAUSTRALIS a Chriſto Servatore exemplo atque hortatu inducta, ab Apoſtolis more comprobata, & a SS. Patriarchis toto orbe propagata, ac diffuſa, variis diſſertationibus illuſtrata OPUS CRITICO HISTORICO THEOLOGICUM &c. Veronæ MDCCXLIII.* Nullum unquam aptius, concinnincſque patellæ operculum. Univerſæ Operis Doctrinæ quam maxime titulus reſpondet, nulluſque ſive congruentior, ſive ſignificantior occurrere poterat. Omnium quippe Hiſtoricorum conſenſione *Vita Clauſtralis* apud Mendicantes Fratres *Diſciplinam* ſonat *Relaxatam*, ut *Diſſert. Prælim cap. XII.* documentis adductis oſtendam. Huic *Vitæ Clauſtralis* ſeu *Relaxatæ* Operi conando, poliendoque quinque & amplius annos Recentis Theologi deſudavit induſtria, ne *volanti*, præcipitique calamo, uti Author *Vindiciarum*, cauſam proderet. Auxiliares, confœderatoſque ſocios variis in locis diſperſos habuit ille: alios, qui animos facerent, & conſilio juvarent: alios, qui codices, & pervetuſtas tabulas luſtrarent, ut ſi quid peculio tuendo, promovendoque reperiſſent, ſibi tranſmitterent feræ poſteritati conſignandum. In oppugnando porro hoſte partim ſub iiſdem, cum ſuo Commilitone Magiſtro Vindice, vexillis, partim ſub propriis, longeque diverſis ſignis prælium inſtituit. Propugnat ille quidem, Clauſtrales paupertatem profiteri evangelicam, & Apoſtolicam bonorum communionem. Verum hanc privati peculii turgidam aſſerit: ſua habuiſſe peculia a communi bonorum penu ſejuncta contendit, non Judam modo, Ananiam, Saphiramque; verum etiam cæteros omnes Apoſtolici Collegii alumnos.

Pe-

Peculium a Chriſto propoſitum, in Evangelio exaratum, & ſolemni ritu Deo nuncupari adfirmat Doctor eximius. Tam ingentem vero pecuniarum ſummam Mendicantibus Fratribus impertitur, ut victui, veſtitui, argenteæ ſupellectili, argenteis horologiis, honeſtis ſolatiis *intra, & extra Ordinem*, munerum largitioni, ludis, itineribus, & etiam pietatis operibus ſatis ſit Ipſum quæſtionis ſtatum perpetuo implicat. Documenta alia apocripha, alia in pravos ſenſus detorta obtrudit. Opellam cujuſdam Raphaelis de Pornaſio, quem ut Magiſtrum ſequitur, enormi interpolatione corruptam exhibet, ut ſuo loco palam fiet.

VII. Hæc autem commenta incredibili auſu ambo Magiſtri propugnant. Ubique victoriam, & triumphum oſtentant, & epicinium ſibi pangunt: & tum maxime de ſupercilio loquuntur, altioreſque induunt cothurnos, cum fractis cruribus, & capite, vix repere terra valent. Ambo non læſi, non provocati, manibus collatis, impotenter irruerunt in Diſciplinæ Monaſticæ Authorem, & tanta improperiorum, & calumniarum tempeſtate illum perfundant, ut nihil illiberalius excogitari queat. Magiſter *Vitæ Clauſtralis* illum compellat hominem obſcurum, mendacem *(a)* Ardelionem, *(b)* nugarum plantatorem, ſupinæ ignorantiæ plenum *(c)* hominem nugacem *(d)*. Paſſim vero *Rigoriſtam*, & *Rigoriſtarum Ariſtarchum*. Author Vindiciarum illum traducit ceu *Zelotem declamatorem*, *Plagiarium*, *Phanaticum*, *Regulariumque calumniatorem*. Eo malorum, hoc ſæculo, perventum eſt, ut ſi jejuniorum, & pœnitentiæ corporalis leges tueamur, *Rigoriſtæ* actutum audimus. Si *Probabiliſmi*, & *Rigoriſmi* extrema refellimus, a *Probabiliſtis* in ſuſpicionem trahimur, aut *Janſeniſmi*, aut *Phanatiſmi*. Si tandem Evangelicæ Paupertatis, & Monaſticæ Diſci-

(a) *pag.* 410. (b) *pag.* 433. (d) *pag.* 436.

ſciplinæ obſervantiam inculcemus, *Antiprobabiliſtæ* ipſi arma in nos retorquent, & *Rigoriſmi* larvam nobis affingunt. Quoniam pauci reperiuntur, qui domi ſedere ſuæ juſtitiam velint. Hæc tamen, quæ hactenus indicavi, levia ſunt, iis, quæ ſequuntur, comparata.

VIII. Omnium calumniarum graviſſima, non perſonam, ſed doctrinam ſpectat. Ut Magiſter Clauſtralis invidentiam, odiumque extremum conflaret Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ, evulgare non reformidavit in ea doceri, nullo unquam in caſu licitum peculium eſſe, neque ad *neceſſarios uſus*, neque ex Superiorum permiſſu. Hæc quippe ſcribit laudatus Clauſtralis vel in ipſa præfatione pag. XVIII. *Contendit ſiquidem* (Author Diſciplinæ Monaſticæ) *quod nemo unquam dixit, Clauſtrales omnes exactam rerum communionem in ſolemni profeſſione vovere, nullamque impertitam eſſe Prælatis noſtris vel minimum peculiariter indulgendi ſubditis ſuis facultatem, & peculio ad uſus, quantumvis honeſtos, & Neceſſarios, accedente etiam Superioris permiſſu, & venia, uti, idem prorſus atque omnino eſſe, ac Evangelicam paupertatem, paupertatiſque votum peſſundare ac labefactare. Quis hæc audiens non moveatur, poſtquam noverit, nec Patriarchas Sanctiſſimos Clauſtralium Ordinum Inſtitutores, nec Romanos Pontifices, nec Concilia id unquam voluiſſe, tantumque rerum communionem commendaſſe omnes; nec deeſſe inter Cœlites ſolemni Apotheoſi Clauſtrales adſcriptos, qui dum viverent, eam non exercuerint. Hoc igitur, quod in Daniele ſpongia dignum invenio, corrigo, atque emendo.* Duæ in hoc textu impoſturæ. Altera adverſus Diſciplinæ Monaſticæ Authorem. Altera adverſus SS Patriarchas, Pontifices, & Concilia. Utraſque paucis expendamus.

IX. Ad primam quod attinet. Si Diſciplinæ Monaſticæ Author in nullo unquam eventu licere peculium, neque *ad neceſſarios uſus*: atque adeo in peccato, eos omnes verſari, qui juſta occurrente cauſa peculio u-

tun-

tuntur, doceat, nemo illo ignorantior, nemo dementior. Si autem ab ejuſmodi erroribus innocens ille ſit, quas luere pœnas debeat Magiſter Clauſtralis, cæteri judicent. Age porro. Quem tantorum criminum teſtem allegat eruditus Adverſarius noſter? Nullum prorſus. Non ne ingenui, honeſtique viri erat verba tranſcribere, quibus Author Diſciplinæ Monaſticæ objectos errores dixerim, an deliria, defendat? Cur ſaltem locum non indicavit, & paginam? Cur in univerſo Vitæ Clauſtralis Opere repetit has impoſturas, & nullibi aut verba tranſcribit, quibus id aſſeratur, aut locum aliquem deſignat, in quo ejuſmodi reperiantur errata? Quid ſi errores iſti graviſſimi in tota Diſciplina Monaſtica non occurrerent? Quid ſi nec veſtigium talium errorum appareret? Quodnam tunc enormi calumnia dignum ſupplicium? Quam ſubiret Magiſter Clauſtralis infamiam? Verum enim vero, quid ſi non modo errores iſti in univerſa Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica non apparerent, verum etiam, non in uno, ſed pluribus in locis, conceptis verbis, & non obiter, ſed ex inſtituto confutarentur, & contraria doctrina propugnaretur? Hoc autem evincam infra *Differt. I. cap. XII. item Differt. III. cap. III.* ubi ex profeſſo atrociſſimam calumniam propulſabo. At quia Magiſter Clauſtralis vel in ipſa præfatione tam immanes mihi affingere impoſturas non dubitavit, e re mea exiſtimavi eaſdem in hac ipſa præfatione obiter refellere, & earumdem admonere Lectorem, ut ſi quod ex præfatis criminationibus præjudicium adverſus Diſciplinæ Monaſticæ Authorem concepit, antequam cauſam legat, deponat.

X Oro itaque, obteſtorque Lectorem, ut Diſciplinam Apoſtolico Monaſticam legat *Differt. I. cap. V. pag.* 19. & 20. ubi conditiones pro licito peculii uſu deſcribuntur his verbis. *Peculii notione paucis expoſita, conditiones, quas pro illius honeſto uſu Theologi, & Canoniſtæ*

nistæ UNANIMI CONSENSIONE observandas præscribunt, recensentur. N. III. *Hæc sunt pro LICITO peculii Monastici usu conditiones, quas communiter præscribunt Theologi ...... Istarum conditionum infra sæpius recurret sermo, & ex earum neglectu & transgressione, proprietatis crimine infectos non paucos demonstrabimus*. Legito quæso *Diss. 2. cap. 1. pag.* 84. *&* 85. ubi fuso calamo status quæstionis exponitur, & varia Theologorum placita explicantur. Loco primi principii constituitur, Regularibus licitum esse peculii usum, legitima urgente causa. Pauca ex multis transcribo. Num. I. *Quandoquidem, quia non peculiarem opinionem nostram, cui minime in tanto negotio fideremus, sed communem doctorum sententiam propugnaturos spopondimus, ideo Theologorum sensa enucleatius aperienda sunt*. N. III. *Ut igitur prudenti, solidoque criterio hæc Theologorum placita discutiantur, quæ penes omnes extra disputationem posita sunt, exponenda. In primis fatentur omnes, vitam communem severissimo præcepto impositam esse Regularibus. Unanimi pariter consensu ad hanc vitæ communitatem suscipiendam animo paratos esse debere Regulares, immo pro viribus adlaborare, ut introducatur, si desit, adfirmant. CERTUM quoque apud OMNES est, Regularium professionem CONTRACTUM quemdam esse solemni ritu peractum, in quo Religiosus perpetuam spondet paupertatem, non quamcumque, sed eam, quam propria Regula præscribit .... ET RELIGIO VICISSIM EODEM VINCULO sese obstringit, victum, & vestitum, omniaque necessaria Religioso præstituram. SICUTI AUTEM IN QUOLIBET CONTRACTU UNA DEFICIENTE PARTE, DEFICIAT QUOQUE ALTERA NECESSE EST; ITA SIMILITER, SI RELIGIO IN VICTUS, ET VESTITUS PROVISIONE DESIT OFFICIO SUO, ILLICO IN RELIGIOSO PROFESSO JUS ORITUR NATURÆ QUEMLIBET ANTECEDENS CONTRACTUM, VICTUM, ET VESTITUM*

PROPRIO PECULIO COMPARANDI. Quis vel benigniorum Casuistarum clarius licitum peculii usum docuit, rationemque validiorem, cur peculium liceat Regularibus, justa occurrente causa, assignavit?

XI. Hæc doctrina, quæ est unum ex primis totius systematis Disciplinæ Apostolico-Monasticæ principiis, recurrit per universum Opus. Eam iterum legito *Disser. IV. num. 1. pag. 162. Enim vero sustentandæ naturæ urgens necessitas nullam agnoscit legem, immo omnem legem antecedit. Quamobrem deficiente communi provisione, naturali jure quisque obstringitur ad ea sibi comparanda, quæ suæ sustentationi necessaria sunt. Brevi igitur respondeo, præceptum communitatis haudquaquam urgere, vera extante inopia, quæ necessariam victus, & vestitus subministrationem impediat. Impossibilia enim Deus non præcipit. Quid ultra vales a me reposcere, qui, vera existente Monasteriorum egestate, in tuam manibus, pedibusque concedo sententiam?* Legito pag. 171. ubi iterum eadem repetitur Doctrina. *Ostendimus ex ipsissimis Navarri verbis, perdoctum virum non aliud defendisse peculium, quam illud, quod, justa exigente causa, conceditur. Justam porro causam asserit evidentem necessitatem technis semotis, & fictionibus. Quæ necessitas, utpote naturalis alendæ vitæ, quamlibet antecedit positivam legem .... Duo itaque penes omnes authores certissima sunt. Primum, ad exactam communitatem ex gravissimo præcepto teneri Regulares omnes. Secundum, solam necessitatem non fictam, non voluntariam, sed veram ab hujusmodi præcepti vinculo solvere. Consule Navarrum, Passerinum, Calderinum.* Iterum percurre sequentem pag. 172. in qua universa Disciplinæ Monasticæ doctrina paucis perstringitur. Num. III. *Dicimus, omnes tum Theologos, tum Canonistas, ipsosque benigniores Probabilistas .... manibus pedibusque in nostram concedere sententiam. Quandoquidem omnes peculium permittunt solum in hypothesi veræ necessitatis, pluribusque adjectis limitibus, QUOD ET NOS*

IM.

Digitized by Google

IMPERTIMUR. Nobiscum omnes damnant peculium, nullis definitum terminis, nec usus, nec temporis, nec quantitatis. Nobiscum omnes adfirmant, Prælatos Regularium teneri ad hanc tollendam necessitatem, victum, & vestitum de communi ærario, si fieri potest, subministrando, nisi grave timeant scandalum. Nobiscum tandem concludunt, subditos peccare mortaliter, verosque esse proprietarios, cum Prælatis communitatem invehere conantibus resistunt. Singulas propositiones ad severum criterium exige, & si vel unam minus consistentem inveneris, victoria tua esto. Si plura cupis, consule infra *Diss.* 1. *cap.* 12. *item diss.* 3 *cap.* 3

XII. Non modo igitur *Disciplinæ Apostolico Monasticæ* Author licitum peculii usum, justa urgente causa, defendit, sed etiam Trithemii, Dionysii Carthusiani, Gersonii, Fagnani, aliorumque Doctorum sententiam, quæ cujusdam rigoris speciem præferre imperitis videtur, ea majori, qua fieri potest, benignitate, interpretatur, communemque Theologorum doctrinam propugnat, ut legenti Disciplinam Apostolico-Monasticam *diss.* 1. *cap.* 1. constabit. Heinc sponte corruit altera non minus enormis impostura, videlicet omnes laxioris Disciplinæ Professores juxta nostram Doctrinam damnatos esse. Quæ pariter calumnia *loc. cit. diss.* 4. quatuor integris ultimis capitibus profligata est. Hæc cum ita perspicua, & luculenta sint, qua via *Vita Claustralis* a nota *libelli famosi* liberabitur? In re adeo aperta, obvia, & in propatulo constituta, Publico imponitur? Nullus Litterariæ Reipublicæ respectus, nulla proprii decoris ratio a tam evidenti vulganda falsitate absterrere Adversarium potuit? Duæ recensitæ imposturæ singulis fere paginis *Vitæ Claustralis* repetuntur. Easdem evulgavit *Professor Regius* in suis *Vindiciis Regularium*. Neuter vero tanti fuit, ut ex universa Disciplina Apostolico-Monastica vel unicam propositionem propriis Authoris verbis conceptam decerperet. Revolvantur integra duo volumina

Vindiciarum, & *Vitæ Clauſtralis*. Si vel unica periodus e Diſciplina Monaſtica tranſcripta inveniatur, quæ aut errorem, aut nimium rigorem præferat, ſponte cadere cauſa velim. Porro duo Volumina emittuntur in lucem adverſus præfatam Diſciplinam, & nec unica periocha opponi valet cenſura digna? Pro ingenio dumtaxat erroneæ opiniones proximo affinguntur? Deberent heinc aliquo ſenſu affici, ne dicam pudore, plures utriuſque Magiſtri Aſſeclæ, & Fautores, qui Religioni minime ſibi vertunt confutatas fabellas in vulgus ſpargere, eaſdemque illorum auribus inſuſſurare, qui ob negotiorum molem legere libros nequeunt, & calumniam deprehendere, qui denique labem Rigoriſmi Diſciplinæ Monaſticæ aſpergere, eidemque ultimas parare inſidias non erubeſcunt.

XIII. Antequam alteram perſtringo impoſturam, ſub oculos iterum veniat Clauſtralis noſtri ultima citati textus pars. *Quis hæc audiens non moveatur, poſtquam noverit, nec Patriarchas Sanctiſſimos Clauſtralium Ordinum Inſtitutores, nec Romanos Pontifices, nec Concilia id unquam voluiſſe, tantumque rerum communionem commendaſſe omnes, nec deeſſe inter Cœlites ſolemni Apotheoſi Clauſtrales adſcriptos, qui dum viverent, eam non exercuerint. Hoc igitur, quod in Daniele ſpongia dignum invenio, corrigo, atque emendo*. Mendum prius deſignare, non fingere debebat, ut ſpongia illud delere poſſet. Nos vero illius graviſſimum mendum in laudato textu contentum deſcripſimus, & ſevera plectendum cenſura illis, quorum intereſt, ſubjicimus. Neque Patriarchæ Sacrorum Ordinum Inſtitutores, neque Pontifices, neque Concilia *bonorum communionem* præcipiunt? Hanc *Bonorum communionem tantum commendant*? Nullum eſt iſtius communitatis præceptum, ſed conſilium dumtaxat? Hic eſt primus, & capitalis *ERROR* Vitæ Clauſtralis, unanimi Theologorum, atque benigniorum, imo laxiorum Caſuiſtarum authoritate improbatus. At, inquit, *inter*

Cœ-

Digitized by Google

Cælites solemni Apotheosi adscripti sunt Claustrales , qui dum viverent, eam communitatem non exercuerunt. Peregregia sane argutatio. In Sanctorum albo adscripti sunt, qui repentina correpti morte, absque Sacramentis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ decesserunt : ergo nullum est utriusque Sacramenti suscipiendi præceptum . Hæc est perpetua utriusque Adversarii hallucinatio, ut in hoc Opere fusius palam fiet . Claustralium plures , justa occurrente causa, vel quod de communi Cœnobiorum penu necessaria ad victum , & vestitum non porriguntur, vel ob aliud grave momentum , quod bonum publicum spectet , bonorum communionem non servant , sed peculium justis terminis circumscriptum juste, & licite retinent. Ergo infert Magister *Claustralis* cum suo Commilitone Magistro *Vindice*, nulla est lex, quæ vitam communem præcipiat, præceptum nullum, quod peculium vetet. Quæ argumentatio, si consisteret, actum , conclamatumque de legibus omnibus positivis, tum divinis, tum humanis esset. Animo porro adeo fidenti hanc communitatis exactæ legem pernegat Magister uterque, ut manifesti erroris expostulet quemcumque, qui pro ejusmodi lege decertat. Quamobrem certamen subire cum istius generis Adversariis detrectabam , quod justitia, & ratione destituti, arte, & imposturis agere causam studeant.

XIV. Quæ igitur ad scribendum animum compulere? Duo, eaque gravissima. Unum , ac potissimum est, Concilii Tridentini, & Romanæ Ecclesiæ Constitutionum ab ineptissimis commentis, & ab iis, quæ heinc profluunt , offendiculis, justissima vindicatio. Tam quippe compertum, exploratumque est , *Vindicias Regularium*, & *VITAM CLAUSTRALEM*, deridendam propinare Romanæ Sedis praxim , legesque tum in Concilio Tridentino, tum in Pontificiis Constitutionibus rogatas, sibilis, & cachinnis tum catholicorum, tum hæreticorum exponere; quam evidens est , solem lucere

me-

meridianum. Et quamquam hoc vel ſub initium Diſſertationis *Præliminaris* oſtenſurus ſum, tamen, quia Author Clauſtralis in ipſa ſua præfatione plenis buccis pernegat, SS Patriarchas, Concilia, & Pontifices præcipere bonorum communionem, ut ex allato textu patet, operæ pretium exiſtimo quidquam eorum, quæ fuſe dicturus ſum, curſim delibare. Ajo itaque, nullum in univerſo Tridentino Concilio Decretum quidquam evidentius in morum Diſciplina aut præcipere, aut vetare, quam Decreta 1. & 2. *Seſſ. XXV.* jubeant bonorum communitatem Regularibus, vetentque peculium. Ajo, nullam ex omnibus Pontificiis Conſtitutionibus magis perſpicue, luculentiuſque aliquam virtutem præcipere, aut vitium damnare, quam Conſtitutio LX. Clementis VIII communionem bonorum a Tridentino præſcriptam confirmet, novoque mandato jubeat, improbetque peculium, & omnia excogitata in ejuſdem defenſionem ſophiſmata. Quod ut ſub oculos obiter conſtituam, animadverto, Romanam Sedem ea ultima, extremaque, in cauſa communitatis, & peculii Monaſtici dirimenda, adhibuiſſe remedia, quæ in gravioribus Fidei controverſiis ſedandis executioni demandavit. Facta cum factis conferamus, quæ his ultimis temporibus in utraque cauſa, toto ſpectante Catholico Orbe, contigere. Pervium nobis eſt in Fidei negotio exemplum. Urbanus VIII. peculiari Conſtitutione anno 1641. *Auguſtinum* Janſenii proſcripſit. Diſſidiis exortis, Innocentius X. quinque propoſitiones, ex eodem decerptas libro, damnavit. Novis erroribus ſuper eiſdem propoſitionibus ſerpentibus Alexander VII. *FORMULARIUM* Fidei ſubſcribendum tranſalpinis præſcripſit anno 1665. illudque poſteriores Pontifices, damnato obſequioſo ſilentio, confirmarunt, ejuſdemque ſubſcriptio in dies obtinet. Huic inſtitit viæ Romana Sedes in cauſa noſtra. Concilium Tridentinum, ut anteriora ſileam, novis Decretis & communitatis obſervantiam

præ-

Digitized by Google

præscribit, & peculium vetat. Eludere vanis interpretamentis Concilii Decreta tentatum. Clemens VIII. Constitutione lata anno 1599. tanta perspicuitate, qua majorem in quacumque morum controversia nulla Pontificia lex præfert, communitatem a Tridentino præscriptam confirmat, vetatque peculium, cavillis, & excusationibus sublatis. Clementis Constitutionem confirmarunt Paulus V. Urbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. Innocentius XI. Et tandem Innocentius XII. non modo Præcessorum confirmavit Decreta, verum etiam *FORMULARIUM* in hac causa instituit, illudque suæ Constitutioni datæ anno 1695. inseruit *sacro jure jurando* subscribendum ab omnibus Regularibus, qui facultatem recipiendi ad professionem juvenes impetrare volunt. Accedit, quod Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium super Disciplina Regulari nuncupatum erexit. Sacræ istius Congregationis partes sunt, vocem adversus peculii, & relaxationis corruptelam exaltare, & clamare, *ne vano falsoque silentii nostri prætextu*, inquit Pontifex Summus in sua Constitutione infra danda, excusare se quisquam valeat. Istius quoque Congregationis est, Regularibus facultatem suspendere recipiendi ad Monasticam Professionem juvenes, nisi prius solemni juramento laudato *FORMULARIO*, exactæ communitatis servandæ in professionis emittendæ Cœnobiis, subscribatur. Singulis bienniis testimonium sacro jure jurando firmatum præfatæ Sacræ Congregationi exhibent reapse Claustrales, testantes in præfatis Cœnobiis exactam bonorum communionem secundum Decreta tum Concilii Tridentini, tum SS. Pontificis Clementis Papæ VIII. vigere.

XV. FACTUM istud non minus URBI, & ORBI compertum exploratumque est, quam Romam extare. Et in tantæ lucis conspectu Magister *Vitæ Claustralis*, ejusque antesignanus Author *Vindiciarum* libris typis editis vulgare audent, neque Concilium Tridenti-

tinum, neque Clementem VIII. neque Romanam Sedem bonorum præcipere communionem, peculiumque vetare? Qui negaret, Urbanum VIII. proscripsisse Jansenii librum, aut Innocentium X. damnasse quinque propositiones, aut Alexandrum VII. Formularium in eadem materia subscribendum instituisse, non ne potius tanquam sana destitutus mente commiserandus, quam severa plectendus censura foret? Quæ ergo in eos dicenda sententia est, qui non modo negant, Tridentinum Concilium, Clementem VIII. Paulum V. Urbanum VIII. Innocentium XII. præcipere exactam rerum communitatem; verum etiam nos, qui oppositum defendimus, ceu Rigoristarum Aristarchos, atque Claustralium diffamatores traducunt? Nullus nunc dubito, quin satis quisque intelligat, quam grave sit, urgensque momentum, quod me ad hanc adornandam spartam compulit, & quam opportune Opus istud inscripserim: *DEFENSIO DECRETORUM CONCILII TRIDENTINI, ET APOSTOLICARUM CONSTITUTIONUM ROMANÆ SEDIS.*

XVI. Alterum, quod calcaria ad causam hanc gravissimam vindicandam addidit, est Ordinis, quem Adversarii profitentur, & Regularium omnium, non ficta, & arbitraria, sed vera, pia, & necessaria propugnatio. Ad illorum Ordinem quod attinet, jam inde usque a nativitate sua sanioris Doctrinæ spiritum imbibit, temporis decursu illum aluit, sibique veluti ex asse hæreditatem asseruit. Pro hac unica cœlesti Doctrina, tanquam pro aris & focis calamo, voce, sanguinisque effusione, quinque & amplius sæcula decertavit. His ultimis temporibus adversus luxuriantium ingeniorum *NOVUM OPINANDI MODUM* recens invectum, & ab Alexandro VII. & Innocentio XI. improbatum, eorumdem Pontificum hortatu, & jussu calamum strinxit. Verum enim vero simul atque in lucem prodierunt *Vitæ Claustralis* laxissimæ opiniones,

con-

continuo ſequentes reſonare Probabiliſtarum voces ipſi audivimus. En bellulas, inquiebant, Antiprobabiliſtarum in cauſa propria ſententias? Ecce ſeveriſſimas domeſticæ Moralis Regulas? En quo tandem recidat ſæculi noſtri, quem vocant, Rigoriſmus? Pro domo ſua, non minus probabiles modo, & benigniores, ſed laxiores, improbabiles, erroneaſque promovere ſententias: alienis vero cervicibus onera graviſſima immiti ſeveritate imponere. In Chriſtianorum formandis moribus Aureæ ætatis Legis Evangelicæ diſciplinam exaggerant. Antiquorum Canonum, Patrum, & Conciliorum Regulas inculcant. Ut autem Monaſtica ſolatia, diverticula, commoda, & peculia cœnobitica, honeſta, licita, & ſancta propugnent, primi Chriſtianiſmi ſæculi diſciplinam adulterant, ſolatiis indulſiſſe, & ſua privata habuiſſe peculia vel ipſos primævos Apoſtolici Collegii alumnos, communi Patrum choro clamante, velis, remiſque defendunt.

XVIII. Hæc & alia longe graviora, non ſine magna veritatis ſpecie, Probabiliſtæ regerunt in Antiprobabiliſtas, atque adeo in Ordinem, quem iſti profitentur. Illum ut ab hac aſſeramus nota cum Auguſtino reſpondemus: *Nemo vos fallat Fratres, ſi non vultis falli, & vultis amare Fratres. Scitote, omnem profeſſionem in Eccleſia Dei habere fictos. Non dixi omnem hominem eſſe fictum, ſed omnem profeſſionem habere fictas perſonas.* (*a*) Itaque Antiprobabiliſtas ejuſmodi, tametſi ejuſdem profeſſionis, rejicimus: quin addimus, hanc eſſe Ordinis iſtius prærogativam, non minus domeſticorum, quam exterorum aberrationes refellere. *Nam* (ut inquit Ambroſius Catharinus in Præfatione Annotationis adverſus Cajetanum ad Generalem O P. Joannem de Finario) *gloria Ordinis, ſi vera quæratur, a glo-*

Tomo I. f

(a) *in pſal. 99.*

a gloria Dei non fecernitur. Ille potius gloriam offufcat, qui in Ordinem falfas doctrinas, ac peregrinas inducit: non is qui jam inductas, ne quis ab eis fallatur, fedulo detegit, & officiofe demonftrat. Ne ergo quifpiam impofterum præfato obiectare Ordini ex horum *Pfeudo-antiprobabiliftarum* authoritate opinionum laxitatem valeat, nos omnium primi illos refutandos duximus, tamquam de Ordine proprio, & de Regularibus omnibus male merentes. Ecquam, enim vero, atrociorem inurere univerfæ Regularium Societati notam poterant Authores ifti, quam litteris prodere, Mendicantes Fratres, qui ex eleemofynis vivunt, qui crebra jejunia, qui abftinentiam a felectioribus epulis fere perpetuam, veftiumque afperitatem profitentur, tot retinere pecunias privatas, quibus præter victum, & veftitum, valeant & oblectamenta extra Ordinem captare, & munera elargiri, & ludis vacare, & itinera arbitraria arripere? Quamnam exitialiorem infamiæ labem afpergere fanctiffimo Mendicantium Cœtui poterant, quam loco paupertatis Evangelicæ adfcribere eas delicias, commoda, pecunias, blanditiafque, quibus vix mundani homines fruuntur? Ut igitur & Ecclefiam, & proprium Ordinem, & Regulares omnes a tam gravibus injuriis vindicarem, calamum acui. Et fane adeo urgentia funt indicata, quæ me in campum apparere momenta coegerunt, ut fi tacerem, atque diffimularem, non patientia chriftiana effet, fed veritatis proditio: non prudens filentium, fed officii prævaricatio. Confentire quippe videtur erranti, qui ad refecanda, quæ corrigi debent, non occurrit, inquit S. Gregorius *in caput confentire dift.* 86.

XVIII. Difputationis autem fufceptæ hæc erit methodus. Antequam caufam ingredior, fingulares Adverfariorum aberrationes, quæ communi caufæ extraneæ funt, ante oculos ftatuo. Deftinaveram duo præmittere prolegomena, in quibus utriufque Magiftri errata

rata refellerem. Verum hæc multa cum fint, ne plus justo in limine detinerem lectores, confilio mutato, in Operis calcem Differtationem adverfus errores *Vindiciarum* rejeci, & fingulares gravioresque *Vitæ Clauftralis* in una *Præliminari* Differtatione collectas refutavi aberrationes. Errores utriufque Magiftri propriis illorum ipforum verbis refcripfi, & ut quælibet iifdem imponendi, invidiamque creandi fufpicio in anteceffum amoveatur; atque, ut illi difcant viam, rationemque, quam fervare debent, dum in aliorum fententias cenfuras inurendas fufcipiunt. Opus vero, in quo communis peculii Monaftici, & exactæ communitatis caufa agitur, in Differtationes quinque tributum eft. Quo animo hanc caufam fufceperim, in ejufdem tractatione teftari curabo. Utriufque Adverfarii Nomina alto obvolvam filentio, ut compertum fiat, adverfus, non perfonas, quas colo, fufpicioque, fed laxitatem, & errores, quos unice execror, mihi effe colluctandum. In id ftudium meum referam, ut omnes intelligant, non modo caufæ æquitate, & cordis finceritate, fermonifque candore me effe fuperiorem; verum etiam in fervandis modeftiæ, lenitatis, & patientiæ regulis conftantiorem. Cavebo, ne qua vox aut contumeliofa, aut plus jufto afperior calamo excidat, nifi quam vel accufationis iniquitas, aut caufæ magnitudo extorferit. Occurrent, non inficior, non pauca, quæ utriufque Magiftri animos pungent, & forte lancinabunt; non tamen verborum afperitate, fed veritatis ftylo, & quæ illi ipfi obtrufere, ut fibi regererentur. Sciant etiam, me nec reperturum fore voces novas, ut communes rerum notiones exprimam: nec omiffurum ufitatas cum veritatis difpendio, ut id evitem, quod eis difplicere poteft. Sed errorem, errorem, calumniam, calumniam, ligonem, ligonem vocabo. Quod fi tandem veritatis defendendæ amor, aut fanioris doctrinæ propugnandæ ftudium, quidquam aut acrius, aut feverius, præter ani-

mum, extorserit, recogites velim, causam hanc esse non eruditionis, sed doloris : non contentionis, sed pietatis : non terreni negotii, sed æternæ salutis. Causa est, cujus aut voluntaria ignoratio, aut injusta defensio, omnium infortuniorum extremum, æternam videlicet damnationem parit. In hoc certamine alterutram errare partem necesse est. Fieri vero nequit, ut utraque salva consistat; sed alterutram æternum perituram consequitur. Si ergo in tam formidabili, funestoque discrimine interdum vocem exaltavero, ut obtusas Adversariorum aures vellicando excitem, indulgentiam, & veniam summa rei gravitas mihi conciliare, atque obtinere debet. Vale.

I N-

Digitized by Google

INDEX

Capitulorum, & Paragraforum Tomi Primi.

DISSERTATIO PRIMA.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

ERROR PRIMUS

Vitæ Claustralis.

CAPUT V.

ERROR SECUNDUS

Vitæ Claustralis

CAPUT VI.

ERROR TERTIUS

Vitæ Claustralis.

P E-

CA-

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

CAPUT XVI.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA
DE LEGE

Regulares ad exactam rerum communitatem cujusque peculii expertem obligantem.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

Digitized by Google

§. I.

§. II.

§. III.

CAPUT VI.

§. I.

§. II.

§. III.

§. IV.

§. V.

§. V.

§. VI.

§. VII.

CONSECTARIUM

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

§. I.

§. II.

§. III.

§. IV.

CAPUT IX.

§. I.

§. II.

§. III.

§. IV.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

CAPUT XII.

CAPUT XIII.

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

CA-

CAPUT XVI.

CAPUT XVII.

CAPUT XVIII.

CAPUT XIX.

CAPUT XX.

Digitized by Google

CAPUT XXI.

CAPUT XXII.

DE-

Digitized by Google

DEFENSIO
DECRETORUM CONCILII
TRIDENTINI
ET
APOSTOLICARUM CONSTITUTIONUM &c.
DISSERTATIO PRIMA
PRÆLIMINARIS.
CAPUT PRIMUM.

Apostolica Romanæ Ecclesiæ sollicitudo in Disciplina Monastica integra custodienda. Decreta, & Constitutiones, quæ pro asserenda exacta rerum communitate perpetuo edidit.

I. ANtequam de causa ipsa dicere instituo, pauca præfari expedit. Et principio Titulus operi impressus mihi est a cujusque censura vindicandus. Epigraphes isthæc *Defensio Decretorum &c.* utrisque adversariis invidiam creare videtur, ejusdemque Romanæ Ecclesiæ veluti oppugnatores, hostesque traducere, & carpere. At, ut scopulum hunc declinarem, non in Authores, quos veneror, suspicioque, quorumque nomina alto prætereo silentio, sed in eorum libros Defensio hæc nostra instructa unice est. Quoties igitur evidenter ostendero, sicuti me ostensurum certo confido, & spondeo, *Vitæ Claustralis* errores, non modo Ecclesiæ Romanæ doctrinæ adversari, verum etiam Ecclesiam ipsam ludibrio, & derisioni

Digitized by Google

propinare, nihil eſt quod vellicare quiſpiam præfatum titulum jure valear.

II. Alterum, quod præloquor, eſt, me hoc in capite haud fore deſcripturum Conciliorum Decreta, Pontificum Conſtitutiones, quarum perpetua voce Eccleſia Romana clamavit adverſus diram peculii Monaſtici corruptelam. Paucis hæc omnia in præſentiarum perſtringam, infra relaturus ejuſmodi documenta omnia fide ſumma.

III. In hac autem prima Diſſertatione duo præſtabo. Alterum *ERRORES Vitæ Clauſtralis* adverſus Eccleſiæ Romanæ doctrinam: alterum calumnias adverſus proximi famam ſpectat. Hæc ſeorſim diſcutienda, ut Cauſa princeps ab extraneis tricis ſejuncta, clarius faciliuſque conſtitui pleno in lumine valeat. Ambo Authores, tam præfatæ *Vitæ Clauſtralis*, quam *Vindiciarum Regularium &c.* cum nec latum unguem *Diſciplinam Apoſtolico Monaſticam*, quam oppugnandam ſuſceperunt, loco dimovere ſuo potuerint, in graviſſimos errores lapſi ſunt, ut licitum privati peculii uſum propugnarent. Pauci illi laxioris Ethices Arbitri, qui olim pro peculio ſtetere, vetitum illud Eccleſiæ legibus eſſe omnes faſſi ſunt, at leges iſtas non obligare Clauſtrales omnes autumarunt vel ob Cœnobiorum penuriam, vel ob Superiorum negligentiam, qui omnia neceſſaria de communi porrigere ſubditis prætermittunt. Hos prætextus, cæteraſque omnes excuſationes, quæ allegari in peculii favorem ſolent, penitus convellit *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ Author* tanta evidentia, ut nulla evadendi rima pateat. Hinc eſt, quod Noviſſimi peculii Monaſtici defenſores Magiſtri, communi Caſuiſtarum contempta doctrina, ut inepta ad peculium vindicandum Clauſtralibus, novas, atque omnino contrarias vias hactenus incognitas, & turpium errorum pleniſſimas arripuere. Conciliorum Decretis, Apoſtolicis Conſtitutionibus de medio penitus ſublatis, ore rotundo, non compreſſo oſcillo pernegantes, aut Regulas Monachales, aut Concilium Tridentinum, aut Clementem VIII. alioſque Romanos Pontifices rerum communitatem peculii expertem præcepiſſe. Quare opportunum duxi, antequam cauſam ipſam ingredior, *Vitæ Clauſtralis* errores perſtringere, rejecta, in hujus operis calce, Diſſertatione Apologetica adverſus ſingularia errata *Vindiciarum*, ne plus juſto in ipſo limine lectores detineam. His delibatis, ad id quod inſtat.

IV.

IV. Sacrosanctum evangelicæ perfectionis perpetuum duraturæ depositum, Romanæ Ecclesiæ, quæ columna est, & firmamentum veritatis, sartum tectum custodiendum consignavit Deus Optimus Maximus. Et quoniam istius divinæ perfectionis basis Paupertas illa est bonorum omnium exacta communione fulta, quam Christus consuluit, quam Apostoli, & Christo ipso in terris degente, & post illius ad Patrem regressum exsecuti sunt ipsi, & in posteros veluti ex asse hæredes derivarunt; iccirco Ecclesia Romana non sollicitudini, non vigilantiæ pepercit, quo depositi sibi commissi leges adamussim impleret. Nullum illa non movit lapidem, ut istius Apostolico-Monasticæ communitatis observantiam promoveret in *peculiaritatis* corruptelam severissimis, oportunitate data, constitutis pœnis. Quatuor inter triginta sex Monachales Regulas, quæ præfatam communitatem, pulso peculio, præcipiunt, solemniter confirmavit.

V. Decreta Clementi I. & Urbano I. Pontificibus Summis falso adjudicata, aliaque plurima, quæ celebris Gratianus in suo Decreto congerit in communitatis servandæ præsidium, & ad peculium Monasticum exterminandum lata, prætereo. Pervetustus Monachorum prætextus pecuila tegendi sua, semper fuit Prælatorum indulgentia, & potestas. Quare Concilia Lateranensia III. sub Alexandro III., & IV. sub Innocentio III. Claustralium Superiores facultate concedendi Monachis peculii destitutos manifestarunt, gravissimis in Abbates constitutis pœnis, si laxandæ Apostolicæ communitatis observantiæ occasionem, quidquam peculiare subditis concedendo, porrigerent. Quæ in Conciliis Lugdunensi X. & Constantiensi, aliisque plurimis pro reparatione Monasticæ Disciplinæ acta sunt, Eruditorum neminem latent.

VI. Monastica Disciplina vires instauraverat suas ex severissima Mendicantium paupertate usquedum in primevo suo vigore eadem floruit. Verum hac pariter remissa, & in dies ad extremum, his maxime duobus postremis sæculis, collabente, sollicitudinem, vigilantiam, studiumque suum duplicavit Ecclesia, quo extremis malis extrema opponeret remedia. Sigillatim itaque perstringenda quæ huc pertinent Decreta ab Ecclesia lata.

VII. Primum omnium celeberrima est Congregatio, quam Paulus III. Pontifex Summus instituit. Quatuor selegit Cardinales sapientia, mo-

rumque integritate præstantissimos, nimirum *Gasparem Contarenum* Venetum, *Joannem Petrum Caraffam* Neapolitanum, *Jacobum Sadoletum* Mutinensem, *Reginaldum Polum* Anglum. His quinque adjunxit Præfatos doctrina itidem, ac probitate ornatissimos. Fuerunt autem *Fredericus Fregosus* Archiepiscopus Salernitanus, *Hieronymus Alexander de Motta* Archiepiscopus Brundusinus, *Joannes Matthæus Gibertus* Episcopus Veronensis, *Gregorius Corbesius* Abbas S. Georgii Venetiarum, & *Thomas Badia* O. P. Sacri Apostolici Palatii Magister. Huic sapientissimo Collegio imperavit Pontifex Summus, ut omni mundano respectu abscisso, & quacumque humana ratione posita, ex animi sententia ea omnia patefacerent, quæ coram Tremendo Judice Deo, ad cujus Tribunal illorum conscientias appellavit, pro convellendis Ecclesiæ morbis, imminentique malorum ruinæ reparandæ opportuna, & consentanea fore existimarent. Sic illi ipsi in scriptione, quæ MSS. in Bibliotheca Vaticana asservatur, quamque integram publici juris fecit Natalis ab Alexandro in sec. xv. & xvi. ar. 16. præfantur. *Certissimam hujus divinæ sententiæ conjecturam nos facere valemus, quibus SANCTITAS TUA ad se vocatis mandavit, ut nullius, aut commodi tui, aut cujuspiam alterius habita ratione, tibi significaremus abusus illos gravissimos, videlicet morbos, quibus jam pridem Ecclesia laborat, ac præsertim Romana Curia, quibus effectum prope est, ut paulatim, ac sensim ingravescentibus pestiferis morbis, magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus. Et quoniam SANCTITAS TUA Spiritu Dei erudita . . . . probe noverat principium horum malorum inde fuisse, quod nonnulli Pontifices Prædecessores tui prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus, coacervarunt sibi Magistros ad desideria sua, non ut ab eis discerent quid facere deberent, sed ut eorum studio, & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet.*

VIII. Animadvertas hic velim, principem causam, quæ extremam malorum cladem Ecclesiæ parat, benigniores esse Theologos, qui vanis distinctiunculis nummorum æstuanti cupiditati, explendæque ambitioni indulgendum exquisita calliditate docent: qui sub illudentis benignitatis lenocinio Divina miscent humanis, sanctionesque Evangelicas infucant, carnisque appetitionibus attemperant, inflectunt, supponunt. Sed initæ viæ insistamus. Inter gravissimas Ecclesiæ calamitates *Claustralium Relaxationem* adnumerant, exaggerant laudati Sapientissimi Patres. Quod-

nam

Digitized by Google

nam tantæ auferendæ corruptelæ designatum remedium? Abolendos omnes *Conventuales*, seu relaxatæ disciplinæ *Claustrales* suggesserunt ; hac tamen adjecta cautione, ne cuiquam injuria fieret : quod facile præstari potest, si, illis facultate recipiendi juvenes adempta, in solis Cœnobiis reformatis educari Novitios decernatur. En illorum verba. *Alius abusus corrigendus est in Ordinibus Religiosorum, quod adeo multi deformati sunt, ut sint scandalo sæcularibus, exemploque plurimum noceant. CONVENTUALES ORDINES ABOLENDOS esse putamus omnes, non tamen, ut alicui fiat injuria, sed prohibendo, ne Novitios possint admittere. Sic enim sine nullius injuria cito delerentur, & boni Religiosi eis substitui possent. Nunc vero putamus optimum fore, si omnes pueri, qui non sunt professi, ab eorum Monasteriis repellerentur.* Hoc saluberrimum remedium non ita pridem indicaverat Doctissimus Cardinalis Cajetanus 2. 2. *q.* 189. *ar.* 5. „ Hic error in multis hodie viget locis, dum dantur pueri, & puellæ Monasteriis Religiosorum, seu Religiosarum vitæ communis [seu relaxatæ] qui vulgo Conventuales, seu Claustrales appellantur, quo fit ut reformandi numquam reformari possint, dum transgressores vitæ regularis nutriuntur, ac augentur. *Unde* sanciri deberet, ne ullus puer, nulla puella possit Religioni tradi, nisi ubi vere vivitur regulariter. Sic enim aut extinguerentur irregulariter viventes, aut reformarentur vexatione *dante eis intellectum*. Hoc ipsum confirmat ar. 9. *Actus iste, qui est inducere ad vitam conventualem* (seu laxam) *est actus ex genere suo malus, quoniam inducitur quis ad vitam reprehensibilem . . . . Unde vituperabile est non solum inducere, sed etiam ingredi, & recipere ad vitam irregularem personas utriusque sexus, quamvis Ecclesia hoc toleret permissive*. Consule Disciplinam Apostolico-Monasticam *Diss. V. cap. XIII.*

IX. Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de Regular. Reform.* tria edidit Decreta. In quorum prima *Vitam communem* tanquam basim, ac primum universæ Monasticæ disciplinæ fundamentum præcipit. In altero peculia vetat, & Superioribus omnibus gravi præcepto inhibet, ne illa subditis permittant. In tertio definit, in quolibet Cœnobio illum dumtaxat Religiosorum numerum admittendum, qui ex communi Patrimonio ali possit, ut sic omnis habendi peculii auferatur occasio.

X. S. Pius V. duas edidit Constitutiones. Alteram *Illa nos*. Alteram *Ad*

Ad extirpandos &c. in confirmationem exactæ rerum communitatis a Claustralibus servandæ. Verum primus, post Tridentinum Concilium, Pontifex, qui ultimos intendit nervos, ut juxta laudati Concilii præscriptum Regulares reformaret, fuit Clemens Papa VIII. Anno quippe 1599. die 20. Junii, & anno 1602. die 19. Maji duo emisit Decreta, quibus cavetur, ne Juvenes ad profitendam Religionem recipiantur, nisi in Cœnobiis, in quibus, peculiis sublatis, rerum communitas, & Regulæ, legumque observantia vigeat. Alteram edidit Constitutionem anno 1599. quæ est 60. cujus initium est *Nullus omnino &c. Quo Tridentini Concilii Decreta de PAUPERTATIS VOTO custodiendo &c.* In hac celeberrima Constitutione explicat Tridentina Decreta, quæ paupertatis Monasticæ vota, & universæ Disciplinæ Regularis instaurationem spectant. Exactam rerum communitatem novo præcepto confirmat, eamdem vividius exprimit: peculia quæque etiam sub latebra *depositi vel custodiæ* diris devovet: latum a Tridentino Superioribus mandatum, quo cavetur, ne peculia subditis permittant, confirmat: quamcumque Superiorum licentiam, dispensationemve in hac materia nullam irritamque declarat: jubet subditis, ne fidem adhibeant Superioribus, etiamsi asseverarent, se posse peculii usum concedere: vetat denique Regularibus aliisque omnibus, ne Decreta sive Tridentina, sive sua interpretari, aut laxare sub quocumque prætextu audeant.

XI. Paulus V. anno 1605. in sua Constitut. IX. quæ incipit *Sanctissimus in Christo Pater*, Decreta Tridentina, & Clementis VIII. quæ vitam communem jubent, confirmat: inculcatque potissimum, ne major numerus Religiosorum admittatur, quam is, qui ex communibus redditibus sustentari queat, ut omnem habendæ peculiaritatis radicem præcidat. Studium, quo Pontifex iste omnibus Regularibus recipiendi Novitios prohibuit juxta Decreta Clementis VIII. iis Cœnobiis exceptis, in quibus perfecta communitas & Disciplinæ observantia vigebat, compertum omnibus est, exploratumque.

XII. Urbanus Papa VIII. omnia Decreta Clementis VIII. *pro reform. Regul.* inseruit suæ *Const.* 28. *de Regul. Apost. & ejectis*. Eaque confirmat, singulariter illa, quæ vitam communem spectant: & conceptis verbis damnat cavillationes, quibus se habere peculia Claustrales asserebant, ex Prælatorum dispensatione, ad eorum nutum, ad usum fa-

Digitized by Google

facti, & titulo depositi vel custodiæ, quæ sunt vetustissima relaxatorum Claustralium effugia toties a Conciliis penitus condemnata.

XIII. Innocentius X. & Alexander VII. non modo Tridentina, & Clementis VIII. decreta confirmarunt, sed novis editis Constitutionibus, rerum communitatem & Disciplinæ Regularis reformationem totis viribus promoverunt.

XIV. Post Clementem VIII. cæterosque Romanos Pontifices, qui pro instauranda Monastica Disciplina sedulam impenderunt operam, INNOCENTIUS XII. primas sibi vendicat. Cognita plurium Claustralium Decretorum Tridentinæ Synodi, & Clementis VIII. inobservantia, ultima pœnarum severitate eos mulctavit. Facultatem recipiendi Novitios ipsis ademit, quod in Cœnobiis ad id munus designatis neque communitatem exactam, neque disciplinam vigere publica fama rescivisset. Hoc tremendissimum sterilitatis supplicium, quod pœnæ mortis comparatur, plurium annorum spatio luisse Claustrales laxioris Disciplinæ universa Italia testis est. Diuturna pœnarum severitate experrectos sese aliquantisper ostendere studuerunt eorumdem plures. Crumenas privatas se dimissuros, & exactam rerum communitatem suscepturos spoponderunt, si, supplicio soluti, beneficium recipiendi ad Religionem Novitios assequi possent. Annuit Clementissimus Pontifex, hac adjecta conditione, suisque Decretis anno 1695. latis inserta. *Postquam vero Regularem observantiam, & signanter quoad EXATAM VITAM COMMUNEM, cum effectu stabilitam fuisse tam ex eorumdem Superiorum Generalium, seu Provincialium relatione, quam Præpositi, & Fratrum in præfatis Conventibus degentium JURE JURANDO FIRMATO TESTIMONIO, nec non per secretas informationes, atque etiam ubi opus fuerit per Apostolicos Visitatores ad hoc specialiter deputandos, eidem Sacræ Congregationi sufficienter constiterit; TUNC SANCTITAS SUA antedictam licentiam, quæ hactenus distulit, Novitios ibi recipiendi benigne concedet*; Sancivit insuper, nullos in posterum erigendos Conventus *NISI SUB EXPRESSA OBLIGATIONE EXACTÆ VITÆ COMMUNIS*. Denique, ne amplius larva consuetudinis, aut silentii, & tolerantiæ Ecclesiæ latebra se se tegere umquam possent collapsæ Disciplinæ Claustrales, Cardinalium Collegium erexit, seu jam erectum confirmavit, ut vocem perpetuo exaltaret adversus peculii Monastici corruptelam. I-

nitium

Digitized by Google

nitium Decreti præfatæ erectionis eſt : *Debitum Paſtoralis officii &c. Ut Omnis Tranſgreſſoribus VANO FALSOQUE PRÆTEXTU SILENTII NOSTRI ſe ſe excuſandi occaſio penitus præcidatur.*

XV. Miſſis plurimis aliis Decretis Sac. Congreg. quorum infra mentio fiet, tria hinc colligas velim. Alterum, Eccleſiam Romanam, duobus potiſſimum ultimis ſæculis, qua Conciliorum Decretis, qua Pontificum Conſtitutionibus, qua pœnarum extrema ſeveritate in id ſuas contuliſſe curas, & ſollicitudinem, ut Clauſtrales ad abigenda peculia, exactamque ſervandam communitatem revocaret. Vix aliam licet deſignare legem, cujus tanto ſtudio, tamque acerbis ſuppliciis obſervantiam promoverit. Alterum, Clauſtrales ipſos hodiernos reipſa non aſſequi facultatem recipiendi ad Religionem Novitios, niſi SACRO JURE JURANDO in Cœnobiis emittendæ profeſſionis exactam rerum communitatem, cujuſque peculii expertem, & univerſæ Monaſticæ Diſciplinæ vigere obſervantiam teſtentur. Neque nunc reponas, *juratam hanc communitatem* commentitiam eſſe, atque *perjuriis* obtineri privilegium perpetuandæ relaxationis; quoniam *facta* hæc cum ſint, noſtra haud intereſt diſcutere.

XVI. Serio nunc animo ſecum Lector reputet, quid amplius præſtare Romana Eccleſia poterat, ut Clauſtrales ad priſtinam revocaret Diſciplinam? Numquid pœnas graviores conſtituere? Numquid firmiori vinculo, quam *ſacro jure jurando* ſervandæ communitatis legem munire? Quid plura. Cum infra laudata Decreta referam, tum magis compertum fiet, verbis adeo perſpicuis, formulis adeo decretoriis eſſe illa concepta, ut omnes adverſariorum ſophiſticæ cavillationes in fumum abeant. Tum ſiquidem provocabo illos, ut vel unicum deſignent verbum, quod ſive ad præcipiendam communem vitam, ſive ad vetandum peculii uſum ex Prælatorum venia revocabiliter conceſſum, neceſſarium ſit, quodque tum a Concilio Tridentino, tum a Clemente VIII. in citatis Decretis adhibitum non fuerit. Id ſi præſtiterint, de ſententia decedere velim. Quare aut negare illi Eccleſiam poſſe præfatas leges rogare, aut concedere eaſdem rogaſſe, aſtringentur. Hoc autem præmonitum lectoris menti animoque altius infixum ſit oportet, ut facilius aſſequi controverſiæ ſtatum valeat.

C A-

Digitized by Google

CAPUT II.

Specimen doctrinæ Operis inscripti

VITA CLAUSTRALIS.

I. Antequam deformem *Claustralis Vitæ* faciem depingo, admonere lectorem magnopere interest, me sequentibus capitibus confirmaturum propriis Adversarii verbis fore quæcumque in præsens obiter dicturus sum. Quod iccirco præmitto, ne quis suspicetur errorum portenta, quæ hic enarrare aggredior, aut plus justo exaggerari, aut ad invidiam odiumque illi creandum augeri. Ad rem ergo.

II. Universum *Vitæ Claustralis* opus tributum est in partes tres. Secundæ dumtaxat partis, quæ universi Operis princeps est, quæque tota in Voti paupertatis Monasticæ explicatione occupatur, capite hocce specimen levi manu adumbrabo. Hæc porro eo unice spectat, ut evincat numquam in catholica Ecclesia exactam rerum communitatem obtinuisse. Hic præstitutus Operis scopus & meta, principium & finis. Quare primi priucipii loco constituit istius *Claustralis Vitæ* Author, communitatem Apostolici Collegii descriptam a Luca Evangelista *Act.* 2. & 4. nec *perfectissimam*, fuisse, nec *perfectam*; (pag. 204.) sed similem dicendam contendit illi, quam collapsæ Disciplinæ Regulares servant: Apostolici cœtus Alumnos ex Apostolorum licentia sua habuisse privata peculia docet, non secus ac modernos remissæ Monasticæ observantiæ cucullatos. Hos esse evangelicæ paupertatis Heroes propugnat, qui suis privatis crumenis lateri hærentibus ceu exquisitissimis penicillis vividisque coloribus Apostolicæ communitatis imaginem referunt, exprimuntque. Nec tibi in mentem veniat obiter hæc ab eo dici. Sed hic cardo est primus, cui tota vertitur machina, & a principio ad finem recurrit. Mirum quod in designandis Monastici peculii primordiis Caramuelem in repetenda *Probabilismi* origine æmulatus non sit: & quemadmodum hic Angelos *Probabilistas*, ita ille *peculiaristas* & *proprietarios* eosdem ab appetitu propriæ dignitatis & pulcritudinis similitudinem du-

 cens,

cens, non effecerit? Monstrosæ picturæ horror, festivo aliquo colore identidem temperandus. Persequamur nunc cætera.

III. Constituta prima Monastici peculii sede in Apostolico Collegio, singula percurrit sequentia sæcula vir eruditus, ut perennem *pecuniosam* apud Monachos *traditionem* evincat. Sæculis I. II. & III. Claustrales privatum habuisse peculium, tametsi ex Synchronis scriptoribus adfirmare non ausit, tamen ex subsequentium sæculorum Regulis, & Monachorum praxi iisdem quoque illud concessum conjicit. Hac caliginosa ætate transacta, claram, certamque inter Monachos peculii Epocham illigat IV. Ecclesiæ sæculo, quo Monachos SS. Antonii, & Hilarionis privatis instructos marsupiis repræsentat. Sub initium V. Sæculi, Augustinum concessisse peculium Monachis a se in Africa institutis, mirifica subtilitate colligit ex facto Januarii, quem ob peculii flagitium in proprietatis crimine obiisse deplorat Sanctissimus Pater. Gallorum Lerinæ Insulæ tunc temporis Monachorum peculium, ex Joanne Cassiano certissime se se demonstrare confidit.

IV. Sæculis VI. & VII. ut eumdem peculii morem obtinuisse apud Monachos probet, quem testem locupletissimum allegat? Sanctum Gregorium Magnum primum hujus nominis Romanum Pontificem. At non ne Pontifex iste Sanctissimus in Monachum *Justum* excommunicationis fulmen vibravit, quod privatum in eo peculium deprehenderit? Verum habet, inquit acutissimus Criticus, sed ideo hoc evenit, quod Justus peculium non manifestavit Abbati, qui extemplo illud eidem impertiisset. Quare stolidus habendus est Monachus ille, qui ignorans Abbatis sui effusam ad concedendum cucullatis suis peculium liberalitatem, occulte retinere voluit quod palam, & libere habere poterat. Propterea non mirum si anathematis ictu percussus in jumentorum sepulchrum projectus fuerit. D. Patriarcham Benedictum peculium in sua Regula Monachis permittere extra controversiam ponit, verbaque transcribit cap. 54. quæ exactissimam vitæ communis imaginem præferunt communi sensui. Verum ad criticem exacta *Magistri Claustralis* peculium produnt. Consule illum pag. 369. & 370.

V. Ineunte Ecclesiæ sæculo VIII. floruit inquit pag. 371. Venerabilis Beda Regulam Benedicti professus. Hunc habuisse privatum marsupium narrat Guthbertus ejus discipulus, qui hæc de suo Magistro jam

jam

jam morituro scribit. *Hora autem nona dixit mihi* (Beda) *quaedam pretiosa in mea capsella habeo, idest piper, oraria, & incensa: curre velociter, & Presbyteros nostri Monasterii adduc ad me, & ego munuscula, qualia Deus donavit illis, distribuam. Divites in hoc saeculo aurum, & argentum, & alia quaeque pretiosa student dare: ego autem cum caritate multa, & gaudio fratribus meis dabo, quod Deus dederat*. Decretorius hercle textus ad evincendum censum vitalitium, nummorumque crumenam. Ecquidni, reponit Eximius *Magister*? En demonstrationem evidentem. Quidquid habet Monachus, quod Abbas de communi non ministrat, peculium est. Venerabilis Beda plura habuit non ab Abbate collata, sed *a Deo* donata: ergo peculium habuit. Quid deliras? Ita ne vero. Audi verba ipsa Magistri Claustralis cit. pag. 371. *En vir Sanctus, & Ecclesiae Doctor cum propria sua Capsella, CAPSELLA MEA, in qua quamplurima reposita habebat, quae nec a Patre Monastrii nec e communi acceperat, sed quae Deus aliunde illi donaverat. Quot, & quanta ea fuerint, supervacaneum est inquirere*. Ecqua ratione probas haec munuscula non accepisse ab Abbate? Quia *Deus aliunde illi donaverat*. Scitissime. Porro subdit continuo: *Monachus S. Benedicti quidquid sive multum sive parum habeat, quod Abbas non dederit, aut e communi haberi non permiserit, ex Danielis interpretatione peculium est*. Hae munuscula Deus donavit. At non ex licentia Abbatis. Ergo peculium, & non quidem parvum, sed ingens. Quoniam, inquit ibidem pag. 372. *Monasterium* (Gyrvvense) *supra centum habuisse Monachos nullus dubito*. Quot ergo piperis, & incensi modii recludebantur in illa *capsella*, ut possent in centum Monachos distribui? *Igitur*, philosophatur Magister, *si quam plures erant Presbyteri, quam plurima quoque, quae eis dispensaverit BEDA, fuerint oportet*. Quae ibidem persequitur adeo gravia sunt, & solida, ut ad vivum exprimant Authoris genium. Quaeso illa legito si otio abundas. Conclusionem interim ego dabo. *Si BEDA* (concludit pag. 373.) *Vir sanctus, cujus Festum sub ritu duplici omnis Ordo Benedictinus celebrat, PECULIUM habuit: quanto magis id habuerint eo saeculo Monachi alii?* Argumentum est Decretorium.

VI. Saeculo inquit pag. 373. Ecclesiae IX. peculium Claustralibus *adscritur unanimi* Patrum in Conciliis Congregatorum *consensione*. Berno Cluniacensium Pater testis est peculii habiti a Monachis saeculi X. De

Digitized by Google

peculio vero Monastico sæculi XI. & XII. clara habentur monumenta in Apologia D. Bernardi ad Guillelmum Abbatem, & in Epistola ad Robertum Nepotem. Plura Concilia Provincialia sæculi XIII. & XIV. peculiorum consuetudinem exhibent. Postremum Comitia Generalia Ordinis Cisterciensis peculio usos fuisse Monachos sæculis XV. & XVI. condocefaciunt.

CONSECTARIUM quod hinc colligit Author noster pag. 386.

„ VII. Omni itaque sæculo a primordiis usque Claustralis Disciplinæ „ repertum est PECULIUM ab omni proprietatis vitio immune, atque „ absolutum esse. *Eo usi sunt primi vitæ communis sectatores Hierosolymi-* „ *tani, quibus de in Apostolorum Actis*, quosque tanquam Regulam, nor- „ mam, atque exemplar respexere Patriarchæ omnes Claustralium Ordi- „ num institutores. Peculium permisit Magnus Antonius, indulsit Hila- „ rio, *concessit Augustinus, non reprobavit Benedictus, non expulit Grego-* „ *rius, probarunt Berno, Odo, & Majolus, agnovit Bernardus*, qui quan- „ to solliciti fuere in amovendis a fluxarum rerum amore Affeclis suis, „ tanto benigniores, atque indulgentiores sese illis in necessariis mini- „ strandis ac dispensandis exhibuere, vitam communem attendentes qui- „ dem, sed ad quam eos alliceret amor, non cogeret necessitas, quæque „ liberum faceret non mancipium. Ordines Cluniacensis, Cisterciensis, „ Grandimontensis, nec non Canonici Regulares, probe scientes nec Re- „ gulæ, nec paupertati adversum, sed apprime conforme (peculium) nec „ non Prælatorum Prudentiæ, atque Oeconomiæ reservatum, benigne concef- „ ferunt, ut & cæteri Ordines alibi a nobis indigitati. *Ita omni sæculo,* „ *ita omni ætate, & lapsa, & florente Disciplina sub ipsorum non conni-* „ *ventium, sed approbantium Patrum oculis tanquam licitum, atque hone-* „ *stum, quandoque etiam necessarium agnitum est. Qua de re si ad FIR-* „ *MANDUM FIDEI DOGMA, quod semper, quod ubique, quod ab* „ *OMNIBUS id verum est: Quidni etiam licitum erit quod in omnibus fere* „ *Ordinibus, quod SEMPER, quod UBIQUE in more positum fuit? eo* „ *vel magis quod exacta rerum communitas mille parasangis a paupertatis vo-* „ *to distans mutationi obnoxia est, & pro temporum, & personarum condi-* „ *tione sæpe mutatur.*

VIII.

Digitized by Google

VIII. His eruditis deliriis seu primis sui operis fundamentis præjactis, quæ sponte sua consequuntur somnia in medium promit. Præceptum exactæ communitatis ab Ecclesia latum in fabulis habet. Tantæ paupertatis jugum, ut humanis cervicibus impar, & Tyrannicum execratur. Quod si illi objicias Ecclesiæ Decreta, Ordinis sui Constitutiones, quæ conceptis verbis præceptum istud imponunt, seu impositum declarant, reponit, præceptum non *proprie*, non *strictim*, sed *large*, & loco consilii accipiendum esse. Asserto Claustralibus Peculio, confirmatoque perpetua Ecclesiæ traditione, ac si esset, inquit ille, *Fidei Dogma*: ablegata communitate, ceu arbitrario commento, ultra pergit ad pecuniæ habendæ quantitatem designandam.

IX. Confinia, quæ suo monastico peculio præfinit, amplissima sunt. Duplex peculii genus constituit. Alterum ad *necessarios*, alterum ad *voluptarios* usus. Illud extendit pag. 472. ad infirmitatum curam, ad libros comparandos, ad itinera aut necessaria, aut utilia arripienda, ad vestes, ad epulas lautiores emendas, dummodo altero quoque die commessationibus Claustrales non vacent, ut gulæ, & ventri indulgeant. Peculium vero *voluptarium* concedendum Fratribus Mendicantibus docet primo pro itineribus ad invisendos parentes, consanguineos, amicosve. Secundo *pro honestis solatiis intra vel extra Ordinem*. Tertio pro *elargiendis muneribus*, quæ gratitudo, vel justitia fieri jubeat. Quarto pro aliquo pietatis opere. Quinto ut mensam furcinulis, & chochlearibus argenteis instruere ad nitorem, & munditiam valeant. Sexto pro horologiis argenteis, & pro tabacci arculis pariter argenteis. Postremum ut *ludis* pecunias exponere valeant. Hæc porro peculia, non modo licita cucullatis Mendicantibus asserit, verum etiam miris encomiis extollit. Hæc peculia pacem fovere, sanctitatem tueri, firmare concordiam Fraternam docet: Ne multa. *Tolle peculium* (inquit pag. 391.) *caute adhibitum*, *& Religio non est Religio*, *non securitatis portus*, *non tranquillitatis statio*.

X. Hæc est contracta ædificii facies, hæc prima monstruosæ imaginis lineamenta adeo sincera, germanaque, ut mox omnia propriis Authoris verbis expressa legeris. Quid si singulas Operis partes explicarem? Si perpetuas a quæstionis statu aberrationes, si ratiocinia vanissima, si textus Patrum, Conciliorum, Pontificum in erronea sensa detortos, si scurrilitates, jocos frigoris & quisquiliarum plenissimos, si dicteria, si fraudulentas

lentas textuum interpolationes sub una oculorum acie præferrem? Verum ne lector nimio horrore absterreatur decrevi, hæc non una, sed partite, & separatim in Operis decursu oculis objicere. Ex paucis quæ delibavi, veluti ex ungue leonem, ideam concipias velim *VITÆ CLAUSTRALIS*.

CAPUT III.

Susceptæ pro Decretis Romanæ Ecclesiæ *defensionis necessitas*.

I. Conferas nunc invicem velim *Ecclesiæ Romanæ* doctrinam priore capite paucis expositam, cum Doctrina *Vitæ Claustralis* hactenus in compendium redacta. Non major lucem inter & tenebras, quam inter utrasque sententias pugna & oppositio. Alterutrum ergo dicendum. Aut Ecclesiam in re adeo gravi fallere, & falli, quæ est hæresis apertissima: Aut vitæ Claustralis doctrinam erroneam esse, scandalorum plenam, piarumque aurium offensivam. Enimvero si nullum est exactæ communitatis præceptum : si Apostoli, si Patres, si Patriarchæ Sacrorum Ordinum Institutores, si Concilia peculium concedunt : si semper, si ubique peculii consuetudo penes Claustrales obtinuit; quid Concilium Tridentinum, ut cætera sileam, tria Decreta adversus peculium Monasticum edidit? Quid Clemens VIII. Paulus V. Urbanus VIII. Alexander VII. & Innocentius XII. aliique Romani Pontifices tot Constitutiones pro instauranda exacta rerum communitate rogavere? Quid severissimum supplicium mortis pœnæ æquale in laxiores Ordines inflixerunt? Quid *Sacrum jus jurandum* quoto biennio florentis communitatis peculii cujusque vacuæ exposcit Romana Ecclesia, ut facultatem indulgeat recipiendi ad Monasticam Professionem juvenes? Recurrit ergo iterum dilemma. Aut rejiciendæ Ecclesiæ Sanctiones, ejusdemque praxis damnanda : aut diris devovenda *Vitæ Claustralis* Doctrina. Nullus hic ad effugium aditus, rima nulla. Alterutrum eligendum. Non primum : ergo secundum.

II. Ex apertissima itaque pugna doctrinam Romanæ Ecclesiæ inter & errores *vitæ Claustralis* necessitas consequitur & illam defendendi, & istos refutandi. Quodnam esset tum Catholicorum, tum Hæreticorum offendiculum,

culum, si in conspectu totius Ecclesiæ, nullo reclamante, libere incederet hæc *Claustralis Vita?* Bene habet reponet quispiam. At quis te justius controversiæ arbitrum sedere fecit? Quis te sive Judicem, sive defensorem elegit? Non ergo, subdo ego, cujusque civis est pro patria, cujusque filii pro matre pugnare? Quo pertinent hæc Domini verba? *Mandavit illis Deus unicuique de proximo suo. Eccl.* 17. Quo tendunt alia? *Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam.* Quid lamentabatur Isaias exclamans? *Væ mihi quia tacui.* Quid David silentii & taciturnitatis pœnas dedit? *Quoniam tacui, inveteraverunt omnia ossa mea.* Quid tandem Deus mutis canibus comparat Doctores suos, qui humanis acti respectibus, vocem exaltare, acuere calamum adversus Pseudoprophetarum commenta, & somnia non audent? *Canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia. Isai. cap.* 56. Parendum ergo Domino dicenti per Hieremiam cap. 51. *Nolite tacere super iniquitatem ejus.* Alioquin Christus Dominus minatur: *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet. Luc.* 19. Heinc colligas velim, laboris suscepti causam minime esse aut Vindicationem *Disciplinæ Apostolico-Monasticæ*, cujus doctrinam nec aggredi adversarii potuere, nisi sublatis Evangelicis consiliis, primisque paupertatis Monasticæ principiis: aut studium propulsandi dicteria, scommata, imposturas, quas christiana fortitudine contemnimus. Eo curæ nostræ cogitationesque unice tendunt, ut Apostolicam communitatem ab Evangelista Luca descriptam, ut Tridentini Concilii Decreta, summorumque Pontificum Constitutiones, a vanis commentis asseramus. Veriti haudquaquam sunt Adversarii evulgare, ab Authore Disciplinæ Monasticæ magnam esse Regularibus conflatam invidiam, quod docuerit eosdem exactæ rerum communitati peculiorum vacuæ astrictos: cum enim singuli privata peculia teneant, ut votæ paupertatis temeratores traducuntur in publicum, inquiunt. Bene haberet, nisi Regulæ Monachales, Decreta Tridentina, Constitutiones Pontificiæ, & Casuistarum Opera, quæ hanc illorum gravissimam inculcant obligationem, media non versarentur in luce. Quare evidentia nulli cavillationi obnoxia palam fiet, ipsos RR. Magistros *Vitæ Claustralis*, & *Vindiciarum* gravissimam infamiæ labem Regularibus omnibus, & quod caput est, ipsi Romanæ Ecclesiæ aspersisse. Quod ut præstem, primum ERRORES propriis eorumdem Authorum verbis describam. Post, censuræ in eosdem adjicientur.

III.

III. Nec est quod opponas, supervacaneum fore laborem nostrum, tum quod surdis canimus, lateraque lavamus, tum quod adeo evidentes sint utriusque operis aberrationes, ut nullo refellente corruant. Prompta enim responsio est ex Scriptura dicente: *Si autem annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua & a via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur: Tu autem animam tuam liberasti. Ezech. 3. v. 19.* Fateor errores adeo crassos esse, ut fucum eruditis facere nullum valeant. At ideo ne abstinendum ab eorum confutatione? Non ergo refellenda fuissent tot Hæreticorum opera, quæ apertissima mendacia continent, quæque eruditorum indignationem potius, quam perversionem inferre apta sunt. Imperitis prospiciendum est, atque imbecillibus: & quamquam nulla esset eorum, qui in proprietatis luto hærent, salutis fiducia; nihilominus eorum, qui stant, respectus habendus, curandumque, ne alienis insidiis decepti pereant.

CAPUT IV.

ERROR PRIMUS VITÆ CLAUSTRALIS.

In Apostolico Collegio nec perfectissima, nec perfecta rerum communitas obtinuit.

I. UT oppignoratam fidem liberemus, partite, & præcise ostendenda sunt monstrosa illa commenta, quæ supra *cap.* 2. ex Vita Claustrali obiter, & cursim indigitavimus. Et principio animadverto Authorem *Vindiciarum Regularium in causa paupertatis* fateri *pag.* 26. communitatem Hierosolymis sub Apostolorum Regimine servatam, perfectam fuisse, cujusque privati peculii vacuam. Idcirco, ut peculium licitum Mendicantibus Fratribus afferat, negat istos ejusmodi profiteri communitatem a Luca in *Actis* descriptam, sed aliam longe mitiorem, peculio videlicet turgidam, quam *Regularem* vocat. Ut *Vitæ Claustralis* Author hunc sui Commilitonis errorem omnium Patriarcharum Regulis reprobatum declinaret, in alios quam longissime turpiores prolapsus est. Et primum, ut basim, ac fundamentum sui ædificii præjacet, communitatem Apostolicam a Luca Evangelista in Actis *c.* 2. & 4. enarratam, nec *perfectissimam*,

nam, nec *perfectam* fuisse, sed imperfectam qualem hodie servant laxioris disciplinæ Claustrales. Sic ille scribit 2. *p. Dissert.* 2. *cap.* 2. *pag.* 204. „ Christum JESUM perfectissimam communionem re, & facto cum suis „ Apostolis coluisse res compertissima est, & aliter suspicari scelus est, „ & religio. Quamnam habuerint primi Hierosolymæ credentes, de quibus S. Lucas in *Actis cap.* 2. & 4. non adeo facile intelligitur. Verum „ si temporis, loci, & personarum conditiones expendamus, conjicere „ haud temere possumus, nec *perfectissimam*, immo nec *perfectam*, inter „ eos fuisse rerum communionem. Et quis per DEUM IMMORTALEM animo sibi fingere poterit, factum fuisse sine evidenti miraculo, cujus nec Scriptura, nec Patres unquam meminere, ut tanta hominum multitudo ad decem & amplius millia, paupertatem evangelicam *perfecta rerum communione* amplexa sit, diuque servaverit! Si Sacrum textum consulamus, hoc tantum habemus, nimirum divites, fortunas suas vendentes, eorum pretia Apostolis obtulisse pro pauperum necessitatibus, atque inter eos fuisse Apostolos, quotiescumque a divitibus „ pecuniæ afferebantur, nequaquam vero singulis diebus præstitisse. Difficile namque est cogitatu, Apostolos in paranda annona, & re frumentaria pro alenda adeo ingenti hominum multitudine fuisse sollicitos. „ Naves onerariæ ex Ægypto, aut aliunde expectandæ fuissent, agendumque cum proxenetis, & mercatoribus. Res erat supra decem hominum „ millia præter pueros, & fœminas pascere, & vestire: aliis calcei, aliis „ tunicæ, aliis pallia, alia aliis fuissent subministranda; immo & fœminis, aut lactantibus, aut prægnantibus, aut puerperis, nedum & pupellis atque infantibus fuisset providendum, quæ omnia Apostolos per „ quam maxime dedecuisset: quin immo nec si voluissent onus hoc subire, facile propterea potuissent, quod Evangelii propagationi pro viribus intendere debebant: neque quibus hominum Provinciam hanc demandaverint reperimus, quasdam dumtaxat mulieres ex Græcis, Judæisque conversas, quæ mensis ministrarent constitutas invenimus, quibus „ ob jurgia, & contentiones Græcos inter & Hebræos exortas septem Diaconos Apostoli suffecere. Quis vero ærario, quis vestibus, quisve præesset annonæ nullibi legitur. Accedit, quod cum nec *communem haberent domum*, nec commune templum, sed singuli suis inclusi domibus, quæ ab „ Apostolis accipiebant, privatim, & per familias proprium in usum con-

„ vertebant, frangentes per domos panem, unde non supererat locus ubi
„ rerum communionem servare potuissent. *Accedit alterum longe gravius,*
„ *quod si hæc omnia contigissent, Romanos, aut Judæos in suspicionem tanto*
„ *apparatu adduxissent, quasi aliquid adversus Romanum Imperium, Judai-*
„ *camque Rempublicam molirentur* homines, qui ob novum vivendi genus,
„ novamque Religionis speciem cunctis gentibus invisi erant, nec semel
„ propterea ad necem conquisiti, & quandoque solum vertere, & qua pa-
„ tet Terrarum Orbis dispergi coacti sunt, ut patentissimum est in Apo-
„ stolorum Actis. Dicendum itaque in eo fuisse primorum credentium
„ communem vitam, quod familiæ singulæ acceptæ ab Apostolis pretio-
„ rum ex divitum largitate provenientium portione, propriis providerent
„ indigentiis, *sibique de necessariis consulerent*, quod rationi magis consenta-
„ neum est, nec plus exhibet textus, nec plus ratio dictat. „

C E N S U R A.

II. Primus hic ERROR verborum farragine implexus est. Ut e latebris excutiatur, aculeis urgendus Author. Et ut a clarioribus exordiar. *Conjicere*, inquit, *haud temere possumus, nec perfectissimam, immo nec perfectam inter eos fuisse rerum omnium communionem*. Cedo. Possibilis ne est hæc omnium bonorum communio perfecta, an secus? Si secundum. Rem ergo impossibilem Christus consuluit. Chimæra ergo est perfecta bonorum communitas. Si primum. ERROR enormis est, hanc perfectionem Apostolici Collegii alumnis denegare. Erroneum quippe est, ac temeritatis plenissimum, ut cum Patribus omnibus Aquinas docet, perfectionem quampiam alicui Sanctorum tribuere, quæ in Apostolico Collegio splendidius non emicuerit. Christus post abitum ad Patrem, cœtum hunc Sanctissimum omnium cœlestium donorum copia affluentem ornavit. In eum Spiritum Sanctum Pentecostes die misit, ut sup: universam illam multitudinem divitias gratiæ effunderet. Sacrum istud Collegium vitam, mores, doctrinamque Christi, ut vivum exemplar referebat. Hæc est prima Christianæ Sanctitatis schola, hic fons ille limpidissimus, a quo in cœteros omnes rivuli evangelicæ perfectionis permanarunt. Hæc est prima exactissimæ vitæ communis sedes, hoc primum perfectissimæ paupertatis domicilium. Numquid paginæ

ginæ mihi implendæ, ut omnium Patrum textus isthuc transcribam? Lege Chrysostomum *hom. 7. in Act.* ubi Cœtum huc *Angelicam Rempublicam* vocat, quod nemo in ea quidquam peculiare haberet. Basilium *in Reg. fus. cap.* 19. Cassianum *coll.* 18. *cap.* 5. Augustinum *serm.* 49. *de diverf.* sive 355. D. Thomam 2. 2. *q.* 188. *a.* 7. Lege commentarios omnium Sacræ Scripturæ Interpretum Ugonis, Lyrani, Cajetani, Cornelii a Lapide, Calmeti, Lorini *in cap.* 2. 4. & 5. *Act. Apost.* Omnes ad unum fatentur perfectissimæ, nedum perfectæ communitatis observantiam in Hierosolymitano Cœtu viguisse.

III. Sed agedum. Quænam sunt rationum momenta, quæ illum movent, ut primævis illis Christianæ Religionis Parentibus hanc perfectissimæ paupertatis prærogativam surripiat? Quia inquit: *Quis ærario, quis vestibus, quive præesset annonæ nullibi legitur*. Nullibi legitur? Tam rudem Scripturarum se prodit, si in iisdem Actis, in quibus exactissima describitur communis vita, præfecti annonæ & rei vestiariæ designantur? Legat quæ habentur *cap. 6. Act. v.* 3. *Considerate ergo Fratres viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu Sancto, & Sapientia, quos constituamus super HOC OPUS*. En victus & vestitus fidissimos dispensatores, quorum Princeps Stephanus. Opponit acutus Claustralis, quod *Nec communem haberent domum, sed singuli suis inclusi domibus &c.* Suis inclusi domibus? Commentum istud apertissime opponitur Divinæ Scripturæ afferenti *Act. cap.* 4. *v.* 34. *Quotquot enim possessores erant agrorum, aut domorum, vendentes afferebant pretia eorum &c.* Non ergo suis inclusi erant *domibus*, si, Divina Scriptura testante, proprias domos vendiderunt. *Sed inter omnia eis communia* [inquit Lorinus hic in v. 45. c. 2.] *etiam domus intelligendæ sunt communes*. Iterum cavillatur novissimus Scripturarum interpres, inquiens, *Nihil de vestium aut cibi, sed tantum de pecuniæ partitione ac dispensatione sermo ibi est*. Hæc somnia comminiscitur, ut *Vestiarium pecuniosum*, quod in deformatis Conventibus distribuitur, ex Apostolis ipsis originem ducere ostendat. Nihil ibi de cibo? Quid prodit hic versiculus 2. *cap.* 2. *Act.*? *Non est æquum nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare MENSIS*. Sed pudere Magistrum debere ea pernegare, quæ singulis hebdomadibus Regula Augustini, quam professus est, auribus suis insonat. *Et distribuatur unicuique vestrum a Præposito vestro victus & tegumentum. Sic enim legitis in actibus Apostolorum.*

rum. Idem adfirmant Basilius, Chrysostomus, Benedictus, Hieronymus, omnesque tum Patriarchæ Regularum Monachalium institutores, tum cæteri Patres.

IV. Maximum, quod adversus hanc Apostolicam communitatem opponit commentum, sequens est. *Accedit alterum longe gravius, quod si hæc omnia contigissent, Romanos aut Judæos in suspicionem tanto apparatu adduxissent, quasi aliquid adversus Romanum Imperium Judaicamque Rempublicam molirentur homines &c.* Hæc rescripsi, non ut refellam, sed ut deridenda proponam. Nullus quippe disputandi finis esset, si vellem ubique persequi hominem ineptiis illudentem, & cavillis ineptientem. Tenuem victum, & vile tegumentum illorum pauperum, qui, divitiis contemptis, uni Deo inserviebant ceu *Apparatum* adeo immensum exaggerat, ut ad *Romanum imperium* exterminandum, *Judaicamque Rempublicam* submovendam destinatum, Romani Senatores suspicarentur. *Dicendum itaque* [pergit Author] *in eo fuisse primorum fidelium communem vitam, quod familiæ singulæ accepta ab Apostolis pretiorum ex divitum largitate provenientium portione, propriis providerent indigentiis, sibique de necessariis consulerent*. His verbis depingit deformem illam communitatis imaginem, quæ in Cœnobiis collapsæ Disciplinæ obtinet, ubi, tributa certa pecuniarum summa, quam *vestiarium* vocant, singuli reliqua sibi propria industria conquirunt. Si primævi fideles singuli de *necessariis sibi consulebant*, quid instituti fuerant septem Diaconi, ut huic communi omnium provisioni invigilarent? Nullum ergo erat illorum ministerium? Falsus ergo est Textus Sacer? *Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat cap.* 4. *v.* 35. Sed instat Adversarius. *Res erat supra decem hominum millia præter pueros, & fœminas pascere, & vestire: aliis calcei, aliis tunicæ, aliis pallia, alia aliis fuissent subministranda: immo & fœminis, aut lactentibus, aut prægnantibus, aut puerperis, nedum & pupellis, atque infantibus fuisset providendum*, *quæ omnia perquammaxime Apostolos dedecuisset*. Quorsum hæc? Ut e sacro illo collegio bonorum communio penitus eliminetur? Eo sane tendunt relata verba. At hoc cum Scriptura Sacra apertissime pugnat. Quid ergo? Ut undique Magistrum Claustralem premam, plenoque in lumine gravissimum illius errorem, quem verborum involucro tegere studet, constituam, duo distinguo. Unum, communitatis naturam, & substantiam: alterum, formam,

mo.

Digitized by Google

modumque ejusdem exequendæ communitatis, spectat. De forma, qua executioni demandata fuerit bonorum communium partitio, non aliud nobis Scriptura narrat, nisi septem institutos fuisse Ministros, qui ejusmodi bona omnibus distribuerent, prout cuique opus erat. Utrum postea hi Ministri singulis personis, ac singulis familiarum Rectoribus: utrum bonorum portionem in pecunia, vel in re vestiaria, & cibariis porrexerint, Scriptura Sacra aperte non differit. Communis Patrum omnium traditio est, septem Diaconos victum & vestitum in specie distribuisse singulis, Scriptura ipsa suffragante. *Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Act. 4. v. 35.* Nec mirum hoc videri Magistro Claustrali deberet, si propriis oculis spectat, non decem, sed centum millia Religiosorum, qui in suis partiti Cœnobiis ex uno pascuntur cellario, & ex uno vestiario induuntur. Verum, ut illius erroris gravitas evidentius, pateat, nullum mihi cum ipso dissidium super forma, qua septem Diaconi bona communia distribuerint: fuerit illa in pecunia, aut rerum distributione exercita. Eum, qui magis sibi arridet, modum Adversarius seligat: essentia, natura, seu substantia communitatis spectanda est. Hæc porro in hoc sita erat, quod omnia bona erant communia, & de communi singulis providebatur. Quæ autem de communi accipiuntur, sive in specie, sive in pecunia, nemo ratione præditus peculium dixerit. Substantia illius communitatis erat, quod nemo illorum sibi retinebat censum vitalitium, aut minimam bonorum partem peculiarem, præter unum Ananiam morte percussum. Quæ singuli manuum labore, aliave industria lucrabantur, in communem usum conferebant. Idcirco perfecta, & perfectissima fuit communitas illa. Cur negat Magister Claustralis perfectam illam extitisse bonorum communionem? Causam edisserat: Quia, contendit ille, præter portionem de communi acceptam, habebant insuper ex indulgentia Apostolorum peculia privata, quemadmodum hodierni Claustrales, præter victum, & vestitum de communi collatum, habent ex venia Prælatorum suos census vitalitios, suas pecunias, prædicatione, lectione, aliave industria partas, quæ reapse non in communes Fratrum usus, sed in peculiarem utilitatem fratris illas acquirentis cedunt. Hoc peculium originem trahere, inquit ille, ex Collegio sacro Hierosolymitano a Luca descripto, a quo perenni sæculorum omnium traditione in hodiernos Claustrales permanavit. Et hic

hic est illius gravissimus, atque turpissimus error severa plectendus censura.

V. Neque veritus ille est in tanti erroris præsidium asciscere authoritatem Cl. Thomassini, qui in sua *Discipl. Vet. & Nov. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 4. hæc habet. *Qui enim Christi fidei accedebant, tum incunctanter hæreditates, & latifundia sua distrahebant, pretiumque in eos dispensabant quibuscumque, quovis opus esset, & ad eum modum communia erant omnia*. Ubi quæso in his verbis peculii privati vola? Quid, quod vitæ Claustralis errori faveat? Præter quam quod hæc Thomassini periocha sic præcise accepta, impedita est. Præferre quippe videtur, fideles ipsos bona dispensasse Collegii Apostolici alumnis, quod Scripturæ repugnat. Quare continuo ibidem subdit Eruditus Author. *Ideo, & ad pedes Apostolorum effundebantur pretia rerum, quæ dividebantur, ut & ab eis ea fieret pia dispensatio*. Accedit, quod hoc eodem capite *n. VIII.* conceptis verbis perfectam illam communitatem fuisse scribat. *Testatur Lucas in Actis, suppeditatum cuique fuisse quo egeret, atque ita eguisse neminem*. Dividebatur singulis &c. *Hanc ille Apostolis propriam laudem vendicat, & providentiam, ut cum animo & voluntate paupertati studerent: nec proprium quidquam retinuissent, nulla tamen re necessaria deficerent*. Cæterum, si quis scire cupiat, qua sinceritate Magister *Vitæ Claustralis* alleget Doctorum authoritates, legat Thomassinum ipsum *p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 21. ubi ex instituto peculium Monasticum improbat.

VI. Non minus festivum est, & lepidum quod in favorem peculii ex communitate Apostolica inferunt quidam alii. Inquiunt: Communitas illa Consilii erat, non voti, aut præcepti. Dominium ergo habebant fideles illarum rerum. Ergo nihil ex præfato Lucæ textu aut contra peculium Monasticum, aut ad evincendum exactæ communitatis debitum, eruitur. Duplici ex capite sponte corruit futile sophisma. Et primum, communis est Patrum, & Theologorum sententia, Apostolos, primævosque Apostolici Collegii alumnos a Luca descriptos, paupertatem vovisse. Paucos hic obiter indicabo. S. Hieronymus *Epist.* 8. *ad Demetr. Ananias, & Saphira dispensatores timidi, imo corde duplici, & ideo condemnati, quia post votum abstulerunt quasi sua, & non ejus, cui semel ea voverant, partemque sibi jam alienæ substantiæ reservantes*. D. Augustinus serm. 27. de verbis Apost. *Dum ex eo, quod promiserat, partem subtraxit,*

sa-

sacrilegii damnatur, & fraudis: sacrilegii quod Deum in pollicitatione fefellerit: fraudis, quod integris muneribus portionem quamdam putaverit subtrahendam. S. Joannes Chrysostomus *hom. 12. in Act. Apost. Quare hoc fecisti? Voluisti habere? Oportebat initio habere, & non promittere: nunc autem postquam consecrasti, majus sacrilegium commisisti.* S. Gregorius Papa *lib. 1. epist. 33. ad Venant. Ananias pecunias Deo voverat, quas postea victus persuasione Diaboli subtraxit.* Legantur S. Basilius *serm. 1. de Institut. Monach.* S. Athanasius *serm. de passion. & Cruc.* S. Gregorius Nazianzenus *Carmin. de Virg. praec.* Cyprianus *lib. 3. Testim. c. 30.* Cassianus *coll. 18. cap. 7.* aliosque, quos citat Cornelius a Lapide in *cap. 5. Act. v. 2.* D. Thomas 2. 2. *q. 88. ar. 4. ad 3. Apostoli intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relictis omnibus sunt secuti.* Quid plura. Non modo communiter Sacræ Scripturæ interpretes Catholici, sed vel ipse Beza, inquit citatus Cornelius, hanc veritatem fatetur. Hoc itaque ex capite ruit objecta cavillatio. Sed, ut labatur etiam ex altero: fac communitatem descriptam a Luca Evangelista non voti, aut præcepti, sed meri consilii fuisse: fac primævos fideles dominium illarum portionum habuisse, quas de communi accipiebant. Quid heinc? Sanctissimi Patriarchæ Regularum Monachalium Institutores selegerunt exactam rerum communitatem descriptam a Luca Evangelista tanquam exemplar paupertatis, quam sub voto observandam proponunt omnibus suarum Regularum Professoribus. Servaverint primævi fideles perfectam illam bonorum communionem sive ex consilio, sive ex voto, quid inde? Numquid quia illi non voverunt paupertatem, nec Mendicantes Fratres Claustrales eam vovent? Quid ineptius, quid futilius? Missis ergo vanis cavillationibus, Spiritus Apostolicæ communitatis spectandus est, in hoc situs, ut jam dixi, quod omnia omnino bona erant communia. Et hanc perfectam bonorum communionem in omnibus Regulis Monachalibus descriptam profitentur Claustrales. Hæc est totius rei summa.

VII. Altera *Claustralis* nostri periodus sub examen veniat. *Christum* [inquit] *JESUM perfectissimam communionem re, & facto cum suis Apostolis coluisse res compertissima est, & aliter sentire scelus est & religio.* Ita ne vero? Unde colligit Christum, & Apostolos exactissimam servasse rerum communitatem? Non ex Actibus a Luca descriptis, quorum

rum communitatem nec *perfectissimam*, nec *perfectam* fuisse scribit. Unde ergo? In Evangelio extrema Christi paupertas narratur, communis vitæ forma conceptis verbis non describitur. Sed quod caput est, edisserat. Apostoli fuerunt ne istius communionis perfectissimæ cultores, vivente Christo tantum; an etiam post ejusdem ad Patris abitum? Si primum: ergo Apostoli, postquam die Pentecostes repleti fuerunt Spiritu Sancto, continuo a perfectissima illa rerum communione, quam cum Christo servaverant, descivere. Si secundum: emicuit ergo, non *perfecta* modo, verum etiam *perfectissima* rerum communitas in Sanctissimo illo Cœtu, quem regebant Apostoli Hierosolymis. Præterea, si communitas descripta a Luca *Act.* 2. *&* 4. neque *perfectissima*, neque *perfecta* est: Numquam ergo fuit, nec est in Catholica Romana Ecclesia sive perfectissima, sive perfecta rerum communitas peculii expers: Vel communitas, quæ nunc penes Regulares Reformatos, Dominicanos, Franciscanos, Carmelitas, Carthusianos, cæterosque viget, perfectior est communitate Apostolica a Luca descripta. Hæc namque omni privato peculio caret. Sed quid amplius in quæstione torquemus hominem semetipsum propriis antilogiis conficientem, & ubique sub proprietatis onere labantem.

VIII. Paucis CENSURAM erroris perstringamus. Perfectæ & Perfectissimæ rerum communitatis forma, quam Ecclesia Romana perenni Conciliorum, Patriarcharum, & Pontificum traditione Regularibus servandam proponit, communitas illa est, quam S. Lucas Evangelista describit *cap.* 2. *&* 4. Ergo falsa, erronea, scandalique plena, Scripturæ Sacræ, Conciliis, Patribus, & Theologis omnibus, atque adeo universæ Ecclesiæ contraria est doctrina *Vitæ Claustralis* asserentis *communitatem* descriptam a Luca *Act. c.* 2. *&* 4. non fuisse nec *perfectissimam*, immo nec *perfectam*. Textum, quem ex Cl. Thomassino obtrudere non veretur, prætereo: nil quippe ex eo erui in tanti erroris præsidium valet. Legatur Thomassinus *p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 9. sed potissimum *p.* 1. *lib.* 3. *c.* 21. Legantur omnes Scripturarum Interpretes, Patres, & Regulæ Monachales.

C A-

Digitized by Google

CAPUT V.

ERROR SECUNDUS VITÆ CLAUSTRALIS.

Peculii privati corruptela serpebat in Apostolico Collegio Hierosolymitano.

I. VITA Claustralis 2. *part. Dissert.* 2. *cap.* 7. *pag.* 243. *Equidem fatemur, planum esse Sanctos Patriarchas Augustinum & Benedictum omnium bonorum communitatem, in ACTIBUS Apostolorum descriptam, eorum Regulam profitentibus præcipere. At ROTUNDE NEGAMUS PERNEGAMUSQUE, vitam communem, quam Apostolorum exhibent Acta, talem, tantamque fuisse, quæ cujusque PECULII EXPERS FORET & CASSA.* Item *Disser. V. cap.* 1. *pag.* 365. *Primis Christi Fidelibus, qui nempe Hierosolymæ ad Petri Apostolorum Principis Prædicationem conversi fuerant, quique, ut in Actibus Apostolorum legimus, propria fecerant communia, indultum fuisse, ut PECULIUM haberent, ex iis quæ initio hujus II. Partis dicta sunt facile dignoscitur.* Lege pag. 309. pag. 390. & alibi passim.

C E N S U R A.

II. Hic secundus error primum declarat, & confirmat. Hi duo errores sunt universi Operis *Vitæ Claustralis* pupis & prora : hi duo primi Cardines, quibus tota volvitur *Claustralitatis* machina. Quæris, quo vade, quo sponsore, hoc anile delirium in publicum afferat? Non alio, quam suo ausu, & aliena ignorantia. Universa quippe Ecclesiæ authoritas contra clamat, ut mox dicam. Duos tantum Apostolici Collegii Alumnos peculium habuisse legimus. Primus fuit Judas, qui *loculos* habebat privatos, *veluti* [inquit Alardus Gazæus in Cassianum lib. 7. de spiritu philargyræ cap. 23.] *proprium peculium ex denariis, & eleemosynis, quæ a piis, & devotis Domino mittebantur.* Hæc est prima inter Christi Alumnos *privati peculii* tenebrosa origo. Secundus fuit Ananias, qui repentinæ mortis pœnas dedit ob retentum peculium. Respondet Author Clau-

ſtralis 2. *p. diſſ.* 2. *cap.* 5. *pag.* 310. non ob id Ananiam peccaſſe, *quod bonorum partem ſibi licite retinere arbitratus eſt, ſed ex eo quod partem pretii clam ſibi & furtim retinuit. Quapropter non ſine injuria Clauſtrales Ananiæ poſteri dicuntur, qui proprietatis crimen, & pœnas illi debitas evadere ſibi BLANDIUNTUR, quod non occulte, ſed palam ex Superiorum beneplacito ſua habeant peculia.* Scitiſſime. Et ipſe ſentio ſibi *blandiri*, ſibi illudere *Peculiariſtas*, vanaque ſe ſe lactare ſpe evadendi ſupplicia proprietati debita, quod non *clam*, ſed *coram*, & publice proprietatis crimen perpetrent. At *blandiloquentia* rejecta, & veritate prævalente, ſeverius publica, quam occulta crimina punientur. Ideone proprietas Monaſtica malitiam exuit, quod manifeſta, non occulta ſit? Tamquam extremum malorum lugent Patres Cyprianus, Auguſtinus, Chryſoſtomus cæterique, quod ſcelera tum licita evadunt, cum publica eſſe cœperint. Quid Superiorum beneplacitum obtruditur? In loco labefactabo futile ſophiſma, ut turpem, qui in manibus eſt, errorem exagitem. Cedo. Cur Ananias *clam* retinuit agri partem, ſeu peculium? Si ut ille contendit, Apoſtoli tum permittebant peculium, non ſecus ac Superiores Clauſtrales laxioris Diſciplinæ, adeo ne ſtolidus, demenſque Ananias fuiſſet, ut occulte, & furtim retinere voluiſſet quod coram, & conſentientibus Apoſtolis, habere poterat? Quis eſt nunc, inquit *Diana*, inter laxiores Clauſtrales proprietarius, etiam ſi obiret cum ſocia ingenti crumena? Nemo unus. Quoniam, aut expreſſa, aut tacita Prælati licentia præſumitur. Non ne, inquit *Diana*, plurimi Cucullati Mendicantes pingui peculio, & opimis ſpoliis relictis, moriuntur? Quis damnatur proprietatis? Vix unus in centum. Si idem mos obtinuiſſet in Apoſtolico Collegio, numquid Ananias uti publica licentia Apoſtolorum detrectaſſet, ut pœnas evaderet proprietatis?

III. Verum preſſius graviſſimum errorem excutiamus ipſius Scripturæ verbis. Evangeliſtas Lucas inquit *cap.* 2. *verſ.* 44. *Habebant OMNIA communia, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat*. Et cap. 4. verſ. 34. *Neque enim quiſquam egens erat inter illos*. Adeo perſpicua, adeo luculenta ſunt verba hæc, ut nec obfirmatus Apella peculium interſerere auſit. Uſus *peculii*, non communis, ſed peculiaris eſt. Peculiare, & commune mutuo pugnant. *Omnia* fuiſſe *communia* clamat Scriptura: Ergo peculium nullum. Tum. Illa dividebant *omnibus*, prout

cuique

Digitized by Google

cuique opus erat. Si singuli, quod *sibi opus erat*, habebant de communi penu: Ergo superfluum peculium. Tandem. Nullus *egens erat inter illos*. Ubi peculii privati corruptela serpit, alii famelici, alii saturati, alii egentes, alii redundantes: & quemadmodum peculiorum sorte, ita quoque cordium affectu sejuncti, & distracti. *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una*. *Act. c.4. vers. 32.* Ergo communitas a Luca Evangelista descripta, non minus a peculio abhorret, quam lux a tenebris, quam virtus a scelere. Ergo ERROR *Vitæ Claustralis* enormis est, Scripturæ Sacræ hostiliter repugnans.

IV. Quid si Scripturæ authoritati Patrum, Sacrorum Interpretum, & Theologorum authoritatem adjicerem? Immensus profecto forem in re minime necessaria. Verendumque mihi esset, ne veritatem certissimam prolixa disputatione dubiam efficerem. Plura infra allegabo. Obiter nunc solius Dionysii Carthusiani textum transcribo ex *Opusc. de Reform. Claustral. cap. 9.* „ Si vis perfectus esse, vade vende omnia &c. „. *Quem in his verbis sensum intenderit Christus, & quomodo intelligenda sint ea, nec certius, nec verius scire valemus, nisi ex verbis, & factis eorum, quos Spiritu Sancto plenissimos fuisse non dubitamus, videlicet Apostolorum, & eorum, qui cum Apostolis conversati noscuntur. Deinde ex dictis & factis Sanctissimorum virorum, & Patrum, qui Ordines instituerunt, ut puta Hieronymi, Augustini, Basilii Antonii, Pachomii, Benedicti, atque similium. Deinceps ex commentariis, & expositionibus fidelissimorum expositorum. Itaque, quod Christi intentio fuit in prætactis perfectam consulere paupertatem omne PECULIUM excludentem, primo constat ex eo, quod sicut in Actibus Apostolorum describitur: Misso in die Pentecostes Spiritu Sancto, & aliquot millibus Judæorum ad fidem conversis, statim universi illi Ecclesiæ Primitivæ Fideles vitam communem ducere incœperunt, nec quisquam illorum aliquid proprium possidebat, sed erant eis cuncta communia. Quod eos ex informatione Apostolorum, potius autem ex monitione Spiritus Sancti fecisse dubitare non licet, eo quod Christus talem paupertatem docuerit. Nec quisquam illorum, cui administratio commissa non fuit, PECULIUM HABUIT*. Hæc est omnium Catholicorum unanimis vox.

V. Paucis CENSURA perstringitur. Collegium Hierosolymis sub Apostolorum Regimine a Luca descriptum, illam paupertatis virtutem excolebat, quam Christus verbo, & exemplo docuit. Alterutrum necessario

fario feligendum: Aut Chriftus perfectiffimam paupertatem cujufque privati peculii expertem non docuit: Aut fi illam docuit, Apoftoli, & Primævi fideles, quos defcribit Lucas *Act.* 2. *&* 4. paupertatem abfque privato peculio fervarunt. Quoniam non aliam præter eam, quam a Chrifto didicerant, voverunt Apoftoli, fervandamque fidelibus a fe converfis Hierofolymis propofuere paupertatis formam. Ergo *Vitæ Clauftralis* ERROR SECUNDUS non fecus ac PRIMUS evidenter repugnat Sacræ Scripturæ, Ecclefiæ Traditioni, & communi Catholicorum fenfui. Accedit, quod turpiffimam labem afpergit hæc *Vita Clauftralis* Sanctiffimo Hierofolymitano Collegio, cui affingit peculium Judæ, & Ananiæ non occultum, fed publicum.

CAPUT VI.

ERROR TERTIUS VITÆ CLAUSTRALIS

Contendentis tanta certitudine demonftrari Peculium jam inde ab Apoftolis ad hæc ufque tempora perenni fæculorum omnium traditione obtinuiffe penes Clauftrales, quanta demonftrantur Dogmata Fidei. A Chrifto commendatum peculium, in Evangelio exaratum, & folemni profeffione Deo nuncupari defenditur.

I. VITA Clauftralis *p.* 2. *difp.* 3. *cap. V. pag.* 308. „ Ea omnia, „ quæ hucufque fufiore calamo dicta funt, in compendium contra- „ cta tuis nunc objicere oculis confentaneum exiftimavi, Lector huma- „ niffime, & unico fere confpectu ceu in pellucido fpeculo INCON- „ CUSSA MONASTICI PECULII ARGUMENTA, quæ extra cu- „ jufque difputationis aleam omnis criminis reatu illud eximunt, ejuf- „ que honeftum, neceffariumque ufum probant, tuenturque, valeas con- „ templari.

II. Pag. 309. „ Hoc pacto nunc differas velim. Si controverfia, *quæ* „ *fidei dogma aliquod tangeret*, adeo clariffimis Scripturæ textibus, tam „ perenni traditione, tot Conciliorum Canonibus, tot Patriarcharum „ Regulis, tot Pontificum Decretis, fingulis ferme fæculis munita, fir-

„ mata-

Digitized by Google

„ mataque essent, *non ne manifesta* hæreseos damnaretur quicumque „ auderet contradicere? *Quamquam autem argumentum* [Peculii] *quo de* „ *agimus, extra fidei limites divagetur*; morale tamen continet docu„ mentum a CHRISTO PROPOSITUM, IN EVANGELIO EXA„ RATU, MORE TUO *solemni professione Deo nuncupatum*, *verbo di*„ *cam*, *maximum*, *summumque æternæ salutis negotium versat*. Quis igi„ tur *tantæ temeritatis* erit, ut veritati adeo manifeste sese opponat, „ pravaque sua opinione id arctare velit, & quod indultum permissum„ que est, indultum permissumque nolit?

III. „ Agedum. Revolvito omnia documenta, quæ in hoc disser„ tatione produximus, eaque mente præjudiciis vacua expendito, non „ modo tollerata peculia invenies, sed firmis inviolabilibusque legibus „ concessa. Percurre tumetipse Patrum omnium, Theologorum, Cano„ nistarum, atque Summistarum volumina.

IV. A pag. 365. usque ad pag. 386. initium ducens a cœtu Hierosolymitano, de quo Lucas in *Act.* 2. evincere studet perennem peculii traditionem, ex qua pag. 386. & 387. hanc eruit conclusionem.

V. „ Omni itaque sæculo a primordiis usque Claustralis Disciplinæ „ repertum est peculium ab omni proprietatis vitio immune atque ab„ solutum esse. *Eo usi sunt* primi vitæ communis sectatores Hierosoly„ mitani, quibus de in Apostolorum Actis .... *Peculium permisit* Ma„ gnus Antonius, indulsit Hilario, concessit Augustinus, non reproba„ vit Benedictus, non expulit Gregorius .... Ita in omni sæculo, in „ omni ætate *& lapsa, & FLORENTE Disciplina sub ipsorummet non* „ *conniventium*, *sed approbantium Patrum oculis tanquam licitum*, *atque* „ *honestum*, *quandoque etiam necessarium agnitum est*. Qua de re si ad „ *firmandum FIDEI DOGMA*, quod semper, quod ubique, quod in „ omnibus id verum est: QUIDNI ETIAM LICITUM ERIT „ QUOD IN OMNIBUS ORDINIBUS, quod semper, quod ubique „ in more positum fuit?

C E N S U R A.

VI. Ut ERRORIS istius enormitatem clare percipias, illud animadvertas oportet, sermonem hic haud esse de peculio, quod vel necessi-

tate

tate naturæ, quæ omnem legem antevertit, in aliquo casu licitum est, aut ob collapsam in Claustris Disciplinam ex hypothesi sublatæ communitatis, quisque alere & induere semetipsum cogitur. Illud peculium *Author Claustralis* defendit, quod omni circumstantia precisa, absolute licitum contendit. Quod a *Christo propositum*, *in Evangelio exaratum*, *& ore tuo solemni professione nuncupatum*. Illud peculium propugnat, quod sub Apostolis in cœtu Hierosolymitano obtinere cœpit, deinde perenni sæculorum omnium traditione in Claustris, & *lapsa & florente disciplina*, insonuit. Illud peculium defendit, quod *Antonius*, *Hilario*, *Augustinus*, *Benedictus*, *Gregorius Magnus*, & cæteri Sacrorum Ordinum Institutores permiserunt, concesserunt in suis Regulis, quod omni ætate, quod ubique *sub ipsorummet non conniventium, sed approbantium Patrum oculis tanquam licitum agnitum est*. Quapropter sicut fidei Dogma firmum agnoscitur, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus agnitum est. Idem dicendum de peculio est. Si quidem & istud a Christo propositum, ab Apostolis concessum, omni ætate, omni sæculo semper & ubique obtinuit. Erubescit atramentum, tremit manus talia scribens.

VII. Si causæ gravitas, & magnitudo finerent, ridicularia & jocosa, quæ hisce scandalis miscet, discutienda paululum essent. Ex omnibus Sacris Monachorum, & Claustralium Ordinibus, qui ab Apostolorum ævo ad hæc nostra tempora Ecclesiam illustrarunt, solos Monachos Therapeutas non habuisse peculium scribit pag. 365. ubi peculium I. II. III. IV. & V. Sæculi describere aggreditur. *Therapeutas, quos fide Christianos, & professione fuisse Monachos probavimus, quum de his scripserit Philo, quod contemplationis rore veluti cicadæ potius, quam cibo vescebantur, & cilicina veste aeris temperie ad id cogente induebantur duntaxat, peculium tamquam omnino inutile, ac supervacaneum respuisse crediderim*. Istos Therapeutas sive Judæos, sive Christianos, qua de re dissident Eruditi, tamquam exemplaria perfectissimæ Christianæ Paupertatis proponere in suis Actibus, missis Hierosolymitanis, debebat Lucas Evangelista. Isti Therapeutæ observarunt *Perfectam*, & *Perfectissimam communitatem*, secus Apostolici Collegii alumni, secus Monachi sub disciplina Antonii, Basilii, Augustini, Benedicti, Dominici, & Francisci. Peculium privatum habuere Catholicæ Religionis Sanctissimi viri. Penes solos Judæos Therapeutas altissimæ illius paupertatis forma resplenduit,

Digitized by Google

duit, quæ ab omni abhorret peculio. Næ tu *Magister Claustralis* egregius Criticus, & bellulus Asceta?

CAPUT VII.

ERROR QUARTUS VITÆ CLAUSTRALIS.

Præceptum exactæ communitatis numquam ab Ecclesia latum contendit. Constitutionem Clementis VIII. equiti comparat, qui desultorios equos dextrorsum inflectit, & sinistrorsum. Ut Fabellam, Monstrumque ingens hocce præceptum sibilat, execraturque.

I. VIta Claustralis p. 2. Diss. 2. cap. 3. pag. 211. *At quis est qui communitatem hanc possit ad praxim reducere? . . . . Si nec determinatam Vestem, aut supellectilem, nisi e communibus Monasterii bonis, communique Vestiario habere possunt, sine proprietatis vitio, & paupertatis violatione; paupertas Monastica profecto erit MONSTRUM INGENS* Pag. 218. *Ubinam est hoc de observanda exactissima communitate præceptum?* Pag. 243. *Exactam communitatem . . . . . ab Augustino & Benedicto sub gravissima obligatione fuisse præscriptam . . . . commentum est atque phantasma ad terrorem confictum. Verum enim vero si ita est, indigitet nobis præceptum hocce, referet nobis quod occultum est in his Regulis.*

II. Pag. 267. *Ubinam in laudatis Tridentini Concilii Decretis Vita communis Præceptum, peculiumque interdictum viderit, enixe postulamus.* Pag. 268. *At quum nulla sit Regula quæ id genus votum de communi vita habeat, aut Præceptum, plurimæ immo peculium aperte permittant . . . . . manifesta res est NIHIL CONTRA PECULIUM in hoc primo laudatæ de Reg. Refor. Sess. XXV. capite fuisse sancitum . . . . Multo minus ex verbis capitis II. Tridentina Decreta communem vitam præcipiunt, peculium vetant.* Pag. 269. *Satis mihi est si ostendero Concilium Tridentinum NIHIL edidisse contra peculium, quod de Prælati venia ad proprios, eosque licitos atque honestos usus privatim habetur.* Pag. 279. *Unus Concina* [erravit] *dum Concilii Tridentini Decreta communem vitam Regularibus præcipere, peculiumque vetare scripturivit.*

III.

Digitized by Google

III. Pag. 298. *Extra omnis disputationis aleam ponimus*, **CLEMENTEM PAPAM VIII.** *pro certo habuisse privatum Claustralium peculium* **TRIDENTINI DECRETIS NON OPPONI.** Pag. 301. *Prudenter . . . . egit Clemens Papa VIII. . . . . Sicut ille, qui generosos, ac desultorios agit equos, in adversam semper dextrorsum aut sinistrorsum, ut medium teneant, partem cogit.* Pag. 308. *Si quis a me postulet, quamobrem Daniel ab omnibus RR. Pontificibus Vitam communem cujusque peculii expertem præscriptam ac præceptam arbitratus sit, non habeo quod reponam, nisi lepidam illam, nescio an historiolam, an fabellam de sene quodam avaro &c.* Pag. 403. *Quod e suo systemate* [vitæ communis] *quam plurima consectaria Claustralibus peculio utentibus injuriosa deduxerit Daniel . . . . egit ut Recentiores Philosophi solent, qui ut naturæ phænomena explicent, quoddam sibi effingunt systema &c. Ita Cartesius, ita Gassendus, ita Vvolfius, Leibnitius ita.*

C E N S U R A.

IV. Monstrum ingens est exacta illa communitas, quam Christus, quam Apostoli, quam Sanctissimi Patriarchæ, velis, nolis, omnes in suis Regulis præcipiunt? Monstrum ingens ergo executioni demandarunt *Therapeutæ tui Sanctissimi?* NIHIL *Concilium Tridentinum sess. XXV.* contra peculium sancivit? Delenda ergo ut superflua, ut inutilia tria illa integra Decreta, in quibus de sola vita communi, & peculio sermo est. Quid tonarent Caramuel, Diana, Cenedus, & mitissimi Casuistæ omnes si tantam audirent laxitatem, dixerim, an temeritatem incredibilem? Omnes quotquot sive Casuistæ clementiores, sive Canonistæ benigniores scripserunt, *Præceptum* ab Ecclesia tum in Tridentino Concilio, tum in Pontificum Constitutionibus latum pro communitate servanda, peculioque exterminando agnoverunt. Id dumtaxat adjiciunt, Claustrales excusari ab *istius Præcepti* observantia ex rationabili causa: quando nimirum ob Conventuum inopiam, aut ob Prælatorum sive incuriam, sive malitiam necessaria de communi non porriguntur, licitum peculii usum admittunt. Solus *Vitæ Claustralis* Author hæc errorum monstra somniavit. *NIHIL Tridentinum Concilium contra peculium sancivit? Clemens Papa VIII.* *pro certo habuit, peculium privatum Claustralium Tridentinis De-*

cretis

cretis non opponi? Quid quæso agendum cum homine, qui quidquid in buccam venit, nullo habito respectu, spuit? Qui Apostolicæ paupertatis exactam communitatem, ut *fabellam* de sene avaro ollam pecuniarum amante, exsibilat? Quid de illa dicendum equina comparatione, qua Constitutionem Clementis Papæ VIII. equiti assimilat, indomitos ac desultorios æquos *dextrorsum*, & *sinistrorsum* inflectenti? His argutissimis, eruditissimisque scitis gravem suam orationem respergit Claustralis Magister. To *dextrorsum*, To *sinistrorsum* sunt illi veluti duæ catapultæ, quibus crumenam suam adversus quodcumque Vaticani fulmen sartam tectam custodiat.

V. Quis est nunc, qui non videat, novum hunc Claustralium peculiorum assertorem Romanam Ecclesiam criminari, traducere, sibilisque, & cachinnis Hæreticorum propinare? Si enim nulla lege, nullo præcepto neque a propriis Regulis, neque a Conciliis, neque a Pontificibus lato, exactæ communitati astringuntur Regulares: quid Ecclesia a duobus hinc sæculis tot pœnas in *Peculiaristas* seu Nummicolas tulit? Cur illos severissimo recipiendi juvenes interdicto mulctavit? Quid *Sacrum jusjurandum* servandæ communitatis peculio pulso in hodiernum diem exposcit, ut sterilitatis probrum auferat? Aut arguenda injustæ severitatis Ecclesia Romana, aut diris devovenda doctrina *Vitæ Claustralis*.

CAPUT VIII.

ERROR QUINTUS VITÆ CLAUSTRALIS

D. Patriarcham Dominicum suis Fratribus Peculium, D. Augustinum suis Monachis exactam communitatem præscripsisse ait. Patriarcha Gusmanus a calumnia vindicatur.

I. VIta Claustralis *p.* 2. *Diss.* 7. *cap.* 1. *pag.* 420. „ Ex his statim „ elucet S. Patriarcham Dominicum eam paupertatis formam elegisse, ac præscripsisse, quæ viris prædicationi addictis apprime conveniret, *minime vero quæ in Regula S. Augustini exacta rerum communio„ ne definita est: ac propterea Augustini Regulam quantum ad rerum com-*

Digitized by Google

„ *munionem temperasse*. Et sane quo pacto exacta rerum communio, quæ „ nihil peculiariter cuiquam permittat, accommoda fuisset Prædicatoribus, „ qui simul intra Cœnobii mœnia commorari haud poterant, quosque „ statim ut collegit, in diversas, atque inter sese dissitas regiones ad „ Aquilonem & Mare, ad ortum & occasum Verbum Dei propagatu- „ ros, & disseminaturos dispersit? Numquid adeo sejuncti, immanique „ discreti intervallo potuissent *pasci ex uno cellario atque ex uno Vestiario* „ *indui*. De Evangelica paupertate suo in Ordine stabilienda æque solli- „ citus fuit Dominicus, ac Augustinus: uterque eam pro Claustrali Di- „ sciplinæ fundamento posuit, dispari tamen ratione. Sanctus Præsul Au- „ gustinus quoniam compares, & concives suos divites simul & paupe- „ res aut secum in Episcopatu, aut in Eremi Monasterio una victuros „ adunavit, *prudenter ac provide eis præcepit*, ut qui haberent, omnia po- „ nerent in communi: *Sint vobis omnia communia*. Quod si secus fecisset, „ ex divitibus, & pauperibus societas Evangelica paupertatis imitatrix „ haud unquam coaluisset. E contrario S. Dominicus, quum socios suos „ non Cœnobii includendos angustiis, sed per omnem terrarum Orbem „ discursuros, nec ex propriis annuis redditibus sustentandos, sed dietim „ piorum hominum largitate vitam acturos coegisset, bonis omnibus, „ quæ habebant divites, extra ordinem procul ablegatis, pauperum so- „ cietatem instituit. *Unde nulla aderat, ut in commune ponerent, præcipien-* „ *di causa*. Ad primævos credentes *respiciens Hipponensis Antistes rerum* „ *communionem Clericis, Monachisque suis præscripsit: Ad Christi Disci-* „ *pulos attendens Gusmanus Patriarcha filiis suis, ut a populis, quibus Di-* „ *vini Verbi præberent pabulum, alerentur, mandavit: & ut pressius di-* „ *cam ac clarius, primos Hierosolymitanos intra Urbis Mœnia commoran-* „ *tes, quibus de in Actis Apostolorum, imitatus est Afer Pater: Apostolos* „ *ubique Terrarum diffusos imitatus est Pater Hispanus: uterque scilicet* „ *eam dilexit paupertatem, quæ utriusque conveniret instituto*. Hæc autem „ dicta sint ea in hypothesi, quod Sanctus Augustinus rerum communita- „ tem sub præcepto posuerit, quod tamen falsissimum ad evidentiam us- „ que demonstratum est. Sed *prohibuerit interdixeritque, quantum volue-* „ *rit, Clericis suis Afer Pater: Hispanus non prohibuit, non interdixit* „ Peculium.

CEN.

Digitized by Google

C E N S U R A.

II. Quæ ſuapte natura monſtroſa ſunt, paucis expedienda. *Ad primævos credentes reſpiciens Hipponenſis Antiſtes rerum communionem Clericis Monachiſque præſcripſit: Ad Chriſti Diſcipulos attendens Guſmanus Patriarcha &c.* Non ne hactenus demonſtrare conatus es primævos Fideles Hieroſolymitanos ſua habuiſſe privata peculia: & nunc eos in exemplum adducis perfectæ communitatis, quam præcepit Auguſtinus? Guſmanus vero, hac exacta communitate repudiata, *Peculiariſtas* conſtituit Fratres ſuos? Explica te clarius, ut tota libertate philoſopheris. Paret. *Preſſius dicam, ac clarius: Primos Hieroſolymitanos intra Urbis Mœnia commorantes, quibus de in Actis Apoſtolorum imitatus eſt Afer Pater: Apoſtolos ubique terrarum diffuſos imitatus eſt Pater Hiſpanus.*

III. Solemne eſt cuique apertiſſimæ veritatis oſori propriis armis ſuum jugulum petere. *Afer Pater* imitatus eſt primos Hieroſolymitanos intra urbis mœnia commorantes. Iſti, te Authore, ut dixi, peculia privata habuere. Ergo *Afer Pater* non communitatem exactam, ſe peculium privatum præcepit. Apoſtolos imitatus eſt *Pater Hiſpanus*. Ergo, tu inquis, peculium habendum præſcripſit. At nonne tumetipſe pag. 204. hæc ſcribis? *Chriſtum Jeſum perfectiſſimam communionem cum ſuis Apoſtolis coluiſſe res compertiſſima eſt, & aliter ſentire ſcelus eſt & Religio.* Te Judice, Patriarcha Guſmanus in ſui Ordinis Inſtitutione Apoſtolorum imitatus eſt paupertatem: ergo *perfectiſſimam rerum communionem* ſuis Fratribus ſervandam præſcripſit. *Et aliter ſentire* [tu inquis] *ſcelus eſt & Religio.* Quid hiſcis? Apoſtoli habuerunt ne peculia privata & cenſus vitalitios? Si ais: Scelus profers, te judice, & facrilegium. Si negas: Ergo Patriarcha Guſmanus, qui Apoſtolos imitandos Fratribus ſuis propoſuit, peculia privata ut ſacrilega interdixit. Macte animo. Quænam utriuſque paupertatis perfectior, atque ſeverior? Quæ communia omnia facit, an quæ peculium privatum habet? Primam inquis, quia eam cum Apoſtolis Chriſtus ſervavit. Ergo eam præſcripſit Pater Hiſpanus Chriſti, & Apoſtolorum imitator. Quid, quod S. Dominicus *arctiorem, ſeveriorem que* Paupertatem Auguſtinianæ Regulæ effecit, rejiciendo fundos vel in commu-

Digitized by Google

muni possidendos? *Arctior* ne foret, si privatum concederet peculium? Satis ab hoc latere te exagitatum video. Ultra pergam.

IV. Ex alio igitur latere illum adoriamur, ut enormem calumniam sanctissimo Parenti Dominico impactam repellamus. Patriarcha Gusmanus, inquit, paupertatem suis præscripsit peculio turgidam, *minime vero quæ in Regula S. Augustini exacta rerum communione definita est, ac propterea Augustini Regulam, quantum ad rerum communionem, temperavit*. Unde quæso hocce commentum? Sub Augustini Regula approbatus Ordo fuit ab Ecclesia. Quo privilegio truncata, aut temperata fuit Regula hæc? Adversus hoc portentosum commentum clamant vel ipsæ, quas professus est, Constitutiones *Dist.* 1. *cap.* 14. *tex.* 10. *Quando vocatus fuerit Novitius ad terminum professionis suscipiendum, expresse protestetur eidem, quod professio sua eum obligabit ad tria vota, PAUPERTATIS scilicet, Castitatis, & Obedientiæ secundum REGULAM B. Augustini*. Clamant iterum III. *Tam Novitii quam alii Fratres debent sine Proprio vivere, sicut mandatur in REGULA, ubi dicitur: non dicatis aliquid proprium, sed sint Vobis OMNIA COMMUNIA*. Quid plura? Clamant vel in ipso Prologo hanc communitatem sub *Præcepto* a Regula imponi. *Ad communitatem autem rerum ex ipsius Regulæ PRÆCEPTO adstringimur*. In tanta legum luce, adversus tot locupletissimos Testes, quot sunt Prædicatorum celeberrimi Scriptores, tam putidam fabellam evulgat? Sed rationum momenta audiamus, cur repudiata a S. Patriarcha fuerit exacta rerum communitas a Regula præscripta. *Et sane* [inquit] *quo pacto exacta rerum communio, quæ nihil PECULIARITER cuiquam permittat, accommoda fuisset Prædicatoribus, qui simul intra Cœnobii mœnia commorari haud poterant? Nunquid a Deo* [adeo] *sejuncti potuissent pasci ex uno Cellario, atque ex uno Vestiario indui?* Subtilissime. Igitur neque Christus, neque Apostoli, qui intra unius domus mœnia haud erant inclusi, perfectam rerum communitatem servarunt, quod *sentire scelus est & Religio*. Impossibilis est ergo omnibus Claustralibus mendicantibus exacta rerum communitas. Capuccini, qui semper, sed hac nostra potissimum tempestate, Apostolicum Prædicationis Ministerium non in universa Europa modo, verum etiam per totum Terrarum Orbem summa cum laude, & uberrimo evangelico proventu exercent, abundantque præstantissimis Concionatoribus, qui morum severitate, & evangelica, non fuca-

ta,

ta, eloquentia, Dei Ecclesiam illustrant, exactissimam servant communitatem. Quid cæteros inclytos sacros Ordines commemorem? Crumenæ peculiari assuetus *Vitæ Claustralis* Magister, Apostolicæ communitatis notionem minime tenet. Ignorat aliter intra, aliter extra Claustra eam servari. Suo loco hac de re instruendus erit.

V. Quod ultimo loco comminiscitur, se ad evidentiam demonstrasse Regulam Augustini non imponere sub *Præcepto* exactam rerum communitatem, alia quæstio est, quæ suo loco in examen veniet. Nunc quæritur, præscripserit ne Augustinus communitatem, an secus. A qua hic hæret Docto Magistro, qui subiratus concludit: *Sed prohibuerit, interdixeritque, quantum voluerit, Clericis suis Afer Pater: Hispanus non prohibuit, non interdixit.* Quid non prohibuit? *Peculium.* Quid non interdixit Pater Hispanus? *Marsupium privatum.*

VI. Hæc sunt capita prima, & fundamenta, quibus totum nititur *Vitæ Claustralis* Systema. Chimærica illa & fabulosa: ergo phantasticum hoc & ridicularium. Dispendium operæ facerem, si fumos, & somnia persequerer.

CAPUT IX.

ERROR SEXTUS VITÆ CLAUSTRALIS

Tria peculiorum genera adeo ampla Mendicantibus Fratribus impertitur, ut, præter honestos necessariosque usus, satis sit ad solatia, ad recreationes, ad horologia argentea, arculas argenteas, ad ludos pecuniarios, aliaque id genus habenda.

PECULIUM PRIMUM NECESSARIUM.

I. Vita Claustralis p. 2. Diss. VIII. pag. 472. „ Ex necessitate conceditur peculium primo quidem infirmis, ut se curari faciant: „ quamvis enim circa infirmos solertes esse debent Cœnobiarchæ, non „ semper tamen expensas omnes e communi solvere valent. Secundo pro „ itineribus necessario conficiendis cum studiorum causa, tum prædicatio-

„ tionis, aut alterius utilis operis. Tertio pro emendis sibi libris ad hu-
„ manam Divinamque eruditionem comparandam. Quarto etiam pro ve-
„ stibus, & quandoque pro cibis, quando Cœnobiorum paupertas quod
„ necessarium est non suppeditat. Quis neget in his omnibus privatum
„ peculium licitum esse Claustralibus?

CENSURA

In peculium primum necessitatis causa.

II. Necessitas, quæ hic habendi peculii fingitur, voluntaria est, criminisque plena. Quoniam jam in Disciplina Apostolico-Monastica ostensum evidentissime est, & iterum in hoc Opere ostendetur, Cœnobia communiter abundare post Tridentinum redditibus communitati servandæ congruis. Non ne vivunt Fratres peculiis separatis? Ergo commodius viverent in commune collatis?

III. *Peculium primo conceditur infirmis*. Ecquodnam Religionis genus istud est? Infirmi proprio marsupio curari debent? Quid agent ægroti illi, qui censu vitalitio carent, qui nec prædicatione, nec lectione, nec alia justa via pecunias conquirere valent? Ad Xenodochia ne pergent? Ignarus es, ut video, Fratrum industriæ. Singuli animos sibi faciunt, dum sani sunt, ut propriam rem augeant in futuras commoditates.

IV. *Secundo pro itineribus cum studiorum causa, tum prædicationis, aut alterius utilis operis*. Tres isti habendi peculii tituli ampli sunt, potissimum ultimus, nempe *operis utilitas*. Dic sodes. *Peculium* istud *itinerarium* cur non præbetur de communi? Nonne itinera studiorum, & Prædicationis gratia suscepta in bonum Religionis cedunt? Distinguo. In bonum spirituale concedo. Temporale nego. Quoniam pecuniæ lectione, Prædicatione, aliaque via partæ in privatas Fratrum crumenas intrant.

V. *Tertio pro emendis sibi libris &c.* Cui usui deserviunt Cœnobiorum bibliothecæ? Ad quid institutæ sunt? Quamquam si Fratrum etiam divitum cellæ lustrentur, parum peculii in libris expensum occurret. Cur? quia tertius titulus: *aut alterius utilis operis* totum peculium absumit.

VI.

VI. *Quarto, etiam pro veftibus, & quandoque pro cibis.* Nonne Cœnobium porrigit *Veftiarium* illud *pecuniofum?* Verum. Sed hoc non fufficit. *Quandoque pro cibis.* An non pulfat fingulis diebus refectorii nola? Quid ergo *pro cibis* peculium? Intelligas fano modo. Cibi communes nimium funt frugales. Studiorum caufa Magiftris, Baccalaureis, aliifque provectioribus contingunt aliquæ lautiores dapes, fercula &c. quæ omnia defcribere non expedit. At illi, qui peculio privato carent, quique aut fame laborant, aut exquifito palato, & ipfi non fecus ac Baccalaurei inftructi funt, qua via fibi profpicient? Omnes Patriarchæ, Patres, Concilia, Pontifices, Theologi, Canoniftæ negant abfolute licitum peculium iftud. Omnes adfirmant de communi profpiciendum effe Fratribus in neceffariis ufibus. Hæc *primi peculii* defcriptio prodit ne Religiofam communitatem, an laicam quampiam focietatem? Et tamen hucufque peculium neceffitatis caufa defcriptum eft. Alterum numeremus.

PECULIUM SECUNDUM VOLUPTARIUM.

VII. Vita Clauftralis cit. pag. 472. „ Ex honeftate vero privati peculii ufum indulgeri *Neceffe eft.* *Primo* pro *itineribus* ad invifendos „ quandoque parentes & confanguineos, *vel amicos* juxta pietatis fanctæque amicitiæ leges. *Secundo* pro quibufdam *vel intra vel extra Ordinem*, præfertim cum a fcholis feriatur, *honeftis folatiis*. *Tertio* pro elargiendis *etiam muneribus*, quæ gratitudo, & juftitia fieri jubent, attento ftatu, & conditione perfonæ dantis & recipientis. *Quarto* pro „ aliquo virtutis & pietatis opere. „

C E N S U R A

In peculium voluptarium.

VIII. Quid amplius concederet honefto filio familias Chriftiano etiam ditiffimo? Quatuor funt momenta habendi *peculii neceffarii:* nimirum cura infirmitatis, itinerum expenfæ, librorum emptio, veftium, & dapum provifio. Quatuor funt caufarum genera retinendi *peculii voluptarii:*

rii : nempe visitatio Parentum, amicorum, solatia honesta intra vel extra Ordinem, munerum largitio, Pietatis opera. Oh egregia paupertatis Evangelicæ forma! Oh splendida Apostolicæ communitatis imago! Cedo, Reverende Magister. Uberrima Cœnobiorum patrimonia, quo tandem recidunt? quibus deserviunt? Tot quippe sunt usus, quibus privatum assignas peculium, ut vix remaneat necessitas aliqua a Monasterio levanda. Nam *primum peculium* sub quatuor necessitatum caussis omnia necessaria comprehendit. Alterum *peculium voluptarium* inter quatuor illa ampla solatiorum confinia commoda omnia concludit. At quibus solatiis fruentur illi miseri cucullati, qui tanto peculio carent, ineptique sunt ad pecunias prædicatione, lectione, negotiorumque procuratione conquirendas? Languebunt, frigebuntque isti: aut continuo soliciti erunt, ut ipsi aliqua via peculium & necessarium & voluptarium conquirant. En expressa Babilonicæ confusionis, non Hierosolymitanæ concordiæ descriptæ a Luca Act. 4. facies. Hæc vitæ Claustralis doctrina, ut mitissime loquar, laxitatis enormis plena est, chimæricum efficit Paupertatis votum, cachinnis sibilisque hæreticorum exponit Romanam Ecclesiam Concilii Tridentini, & Constitutionum Pontificiarum voce præfata omnia damnantem.

PECULIUM TERTIUM

Pro supellectili Argentea *Fratrum Mendicantium.*

IX. Vita Claustralis 2. p. Diss. VII. cap. II. pag. 475. „ Paupertatis voto non opponitur, nec status Monasticæ Disciplinæ evertitur, si Claustrales quædam habeant instrumenta argentea, nempe cochlearia, cultrum, furcinulam, arculam pro tabacco, horologia, *idque genus similia* : dummodo nec *summi* pretii sint, nec vanitatem ostentent.

CENSURA.

X. Si præfata supellex non dedecet Mendicantes cucullatos, quænam eisdem non congruet? Quid, quod vel ipsi divites, nobiles, Principesque vix pretiosiore istius generis supellectili utuntur? Fratres, qui, ob summam

nam quam professi sunt paupertatem, *Mendicantes* appellari gloriantur, temporis instantia argento metiuntur? *Fratres Mendicantes*, qui humeris hippoperis impositis ostiatim victum quæritant, panem ex eleemosyna acceptum cultris argenteis scindunt, & cochlearibus itidem argenteis pulmentum sumere non erubescunt? Audiamus iterum Magistrum Claustralem philosophantem.

VITA CLAUSTRALIS.

XI. Pag. 475. & 476. Miratus sum *immanem* hominis *rigorem*, quapropter adversus eum *audacter ajo*: Quod nonnulli, qui Claustralem paupertatem cum ægestate, rerumque inopia promiscue confundunt, rati „ Claustrales paupertatem sibi eligentes vovere rerum omnium penuriam, „ ut inter lacerum mendicum, qui *frustum* panis ostiatim quæritat, & „ *Mendicantem* Fratrem, aut Monachum *nullum* sit discrimen, hæc omnia claustralibus abjudicent, per me licet: opinio hæc *ignorantiæ atque inscitiæ* est simillima. At quod vir doctus .... *his reculis* paupertatis votum pessumdari, omnemque everti claustralem Disciplinam perviciter contendat, *nec si ferreum stomachum habeam concoquere potis sum*.

CENSURA.

XII. Si stomachus R. Magistri non *ferreus*, sed *argenteus* esset, fortassis hæc omnia, & duriora etiam concoqueret. Supinæ ergo ignorantiæ mater opinio illa est, quæ Claustralem paupertatem Fratrum Mendicantium cum paupertate confundunt mendiculorum ostiatim stipem quæritantium? Quænam amabo te istius ignorantiæ causa? Quia, inquit, mendiculorum paupertas lacera est, vilisque, rerum penuria laborans & ægestate. Fratrum vero paupertas, honesta, nitida, splendida, abundans. Quid si ego reponerem, hanc Monasticæ paupertatis sententiam falsam, erroneam, Evangelicæque paupertatis spiritui adversari? Non ne quasi dogma habetur, voluntariam paupertatem evangelicam solemni voto consecratam perfectiorem esse paupertate necessaria mendiculorum? In quo sita hæc major perfectio? In sola abdicatione dominii? In sola illa fictitia *dependentia* & mutua conniventia

inter Prælatos & subditos? Secus vero in parco humilique rerum usu? Si mendiculi tantæ pecuniæ summam conquisitam haberent, qui mensam instruerent cochlearibus, furcinulis, cultrisque argenteis: qui horologiis lateri hærentibus circuirent civitatem, stipemque conferentibus *Tabaccum* ex arcula argentea præferrent, non ne omnium Theologorum atque Casuistarum consensu fures essent, hypocritæ, & latrones eleemosynarum restitutioni obnoxii? Ita Theologia Casuistica. Tua Antiprobabilistica quid sententiæ profert in Fratres illos Mendicantes, qui non civitates modo, sed agros, & montes peragrant, ut ab ipsis vel pauperrimis agricolis, miserisque rusticis vinum, frumentum, pecuniam, & cujusque generis annonam corrodant: qui *Capsella quæstuaria* in manibus januas petunt mercatorum, artificum, & ipsorum pauperum, ut obolos quæritent? Porro istimetipsi Fratres, in quorum usum, commodumque eleemosynæ conquisitæ cedunt, mensam argentea supellectile, te Judice, parant, horologia argentea lateri affixa, & arculam pro Tabacco argenteam in manibus habent? Si Causistica Theologia priores mendiculos, qui rerum dominium habent, qui paupertate non libera, sed coacta premuntur, furti & latrocinii damnat: Tu Antiprobabilista strenuus, quodnam judicium fers in præfatos Fratres Mendicantes omni rerum dominio destitutos, qui sublimem paupertatis Monasticæ virtutem profitentur, qui ab omni superfluitate cavere sibi debent? Hæc Authoris Claustralis laxissima, & scandali plena doctrina infamiæ, hypocrisis, & avaritiæ labem Fratribus Mendicantibus aspergit. Quid si Episcopi hanc Claustralem Theologiam legentes vetarent Mendicantibus Fratribus ostiatim stipem quærere, pœnisque in avaros quæstores latis plecterent? Quid si eosdem redarguerent, qui tanta peculia privata, ultra communes, & frequenter uberrimos reditus, habent, ut in solatia, in diverticula, in itinera voluptaria expendenda, eleemosynas veris, non fictis pauperibus surripiunt? Orationis filum abrumpo, ut exclamare Magistrum Claustralem finam: *Miratus sum immanem hominis rigorem, quapropter adversus eum audacter ajo*. Tanto scilicet ausu & pectore opus erat, ut similia in publicum evulgari possent.

V I.

Digitized by Google

VITA CLAUSTRALIS.

XIII. Pag. 476. „ At inquies, splendorem quemdam præseferunt, „ & quamdam sæculi vanitatem ostentant, quamvis modici valoris sint „ ejusmodi instrumenta. Rideo plane dum hæc audio. *Sutores* usque, in- „ quio, ut vilioris artis opifices, qui dietim manuum labore victum sibi „ quærunt, his *hac nostra ætate* utuntur instrumentis, & splendorem & no- „ bilitatem ostentant? „

CENSURA.

XIV. Robustissima argumentatio. Sutores, qui *manuum labore victum quærunt*, utuntur argenteis instrumentis; & Mendicantes Fratres, qui mendicato vivunt, eisdem uti nequibunt? *Vilioris artis opifices*, qui in sudore vultus sui vescuntur pane, argenteam habent supellectilem; & Mendicantes cucullati eamdem adhibere non poterunt? Si Sutores & Opifices propriæ conditionis sferam prætergressi *hac nostra ætate* Equitum & nobilium splendorem, pompam fastumque æmulantur; numquid ad tetricam vetustæ ætatis disciplinam reformanda est Fratrum mendicantium Paupertas? Quidni addidisti. Sericas vestes induunt hac nostra ætate artifices; eccur ergo eumdem adhibere vestitum Mendicantibus Fratribus non licet?

VITA CLAUSTRALIS.

XV. Pag. 477. „ Opponet, non me præterit extemplo Daniel: In „ Constitutionibus nostris Dist. 1. cap. X. in Gloss. in lit. D. hæ omnia „ interdicuntur. *Nullus Frater, aut Soror Ordinis nostri cujuscumque gra-* „ *dus & conditionis existat, uti debeat cochlearibus & instrumentis aureis vel* „ *argenteis, aut etiam lapidibus pretiosis sive in mensa, sive in cingulis, si-* „ *ve in cappis, cultris vel eorum vaginis, sive in quocumque alio genere re-* „ *rum utensilium. Qui autem transgressores reperti fuerint, eisdem instrumen-* „ *tis omnino priventur, & illa communitati applicentur, & graviter præte-* „ *rea transgressores puniantur*. Sed e vestigio reponit ille non nescium se es-

„ se, in Glossis suarum Constitutionum ita sancitum esse : sed pariter nosse nullam omnino esse ex sui Ordinis Constitutionibus, quæ vel levissimam culpam in transgressores derivet, nisi adsit earum contemptus, sed pœnæ tantummodo supponere temeratores „.

C E N S U R A.

XVI. Constitutiones ex genere, ut ipsæ declarant, ad culpam non obligant. In praxi tamen raro deliberate violantur innoxie. Continuata transgressio contemptum, omnium Theologorum consensione, inducit, atque adeo culpam. Laudata doctrina scandali plena est, utpote latissimam aperiens viam ad Constitutiones universas transgrediendas. Non obligant ad culpam. Ergo violandæ? ergo contemnendæ? Quid? Dum declarant quæ cum paupertatis voto pugnant, non obligant ad culpam? Absque culpa ergo Fratres Mendicantes aurea, & argentea suppellectile uti poterunt? Hæc est mirifica Magistri *Vitæ Claustralis* doctrina.

V I T A C L A U S T R A L I S.

XVII. Pag. 477. „ De pixide seu argentea arcula pro pulvere Tabacco res difficilior videtur .... Nolo esse adeo immitis & superciliosus Aristarchus, ut Claustralem ea utentem paupertatis temeratorem, Monasticæque Disciplinæ .... eversorem appellem .... Pag. 478. .... Caveant tamen Claustrales, ne aut magni pretii aut elegantissimi operis ad ostentationem magis, & vanitatem, quam ad utilitatem deferant horologia : quod *Londinensia* malint, quam *Parisiensia* aut *Genevensia*, per me licet, dum utilis operis præstantiam, & non materiei elegantiam, aut auri argentique pondus opusque analypticum quærant. Pag. 479. „ Quid si ego nullam prorsus culpam in horum instrumentorum usu inveniri dicam? Ero ne statum Monastici eversor, non minus ac eversor fuit Carthaginis & Punicæ Reipublicæ Scipio? .... *Numquid laxonibus*, qui claustralis paupertatis voto omnia concedunt, dexteram do atque adsocior? *Si ita audio, percunctor, rogoque etiam atque etiam, obtestorque .... per Deum hominumque fidem Aristarchum nostrum, ut mihi edisserat, meamque supinam dedoceat ignorantiam, unde nam tantam hauriant*

„ *pra-*

„ *pravitatem ejusmodi instrumenta.* Dic sodes, mi Frater, est ne illicitus purus „ putusque horum instrumentum usus, aut eorum detentio? Si purus putus- „ que usus quotiescumque extra Cœnobium comedis, & ad Laicorum men- „ sam assides, quum his argenteis, & majoris quidem ponderis & elegan- „ tioris operis uteris instrumentis, contra paupertatis votum pecces letha- „ liter, an venialiter, sub te Judice lis est.

C E N S U R A.

XVIII. Supplices tanti Magistri preces exaudiendæ. Non modo laxam, sed laxissimam pronunciamus illius sententiam. Nec est, quod singulas illius ineptias persequamur. Quod horologia *Londinensia*, secus *Parisiensia* & *Genevensia*, adversentur voto paupertatis Monasticæ, lepidissima inventio est, quæ acuminis præfert subtilitatem. Supinam suam dedoceri ignorantiam ille petit. At vereor, ut, qui tot errores litteris prodidit publicis, suscipiendæ veritati aptus evadat. Quæ ad nos spectant partes implebimus. Prolixum transcripsi textum, non ut singula ejusdem membra confutem, sed ut singula deridenda propinem.

P E C U L I U M   Q U A R T U M

Pro ludis pecuniariis.

XIX. Vita Claustralis 2. p. Differ. VIII. cap. III. pag. 483. „ Clau- „ stralibus pro honestis necessariisque usibus privatum peculium licitum „ esse sexcentis argumentis luce evidentioribus demonstravimus. Quid er- „ go vetet, posse Claustrales modicam pecuniæ quantitatem, *intra*, *vel* „ *extra Ordinem*, ludis sibi non interdictis exponere, non quidem lucran- „ di, quod avaritiæ est, sed animum relaxandi causa? Quandoque contingit, „ ut Claustrales, *vel domi*, *aut extra domum*, quum vel inter sese, aut cum „ amicis, aut consanguineis, *ubi nullum, est scandalum*, honeste & mo- „ derate ludant, accepta e Prælatis suis aliquid ex *privato suo peculio* „ in honestos usus expendendi facultate. Non video heic, cur eos violatæ „ paupertatis incusem, & tanquam suæ professionis temeratores damnem,

„ Ava-

Digitized by Google

„ Avaritia abest, fraus abest. Adest modestia, honestas adest. *Et quid* „ *ulterius requiritur in viro Religioso?*

C E N S U R A.

XX. Nihil ergo in *Viro Religioso* ulterius desideratur, ut pecuniariis ludis operam navet, nisi quod avaritia absit? Christiani autem viri avaritiæ explendæ ludant. Næ ista Evangelico-Monastica Theologia? Ut Viri Religiosi *Mendicantes* plenius, & undequaque redundare lætitia, exhilarare animum valeant, non modo intra Cœnobiorum pomœrium sed extra cum amicis laicis aut consanguineis peculium suum ludo committant. Facultate Prælatorum obtenta in honestos usus expendendi *peculium suum*, consequitur necessario licere iisdem in ludos quoque distrahere illud posse. Sed genus ludorum Mendicantibus consentaneum audiamus.

V I T A C L A U S T R A L I S.

XXI. Pag. 484. „ At inquit Daniel. *His alearum ludis, ipsa experien-* „ *tia, intima est avaritiæ occasio, quando in illis pecunia exponitur, re-* „ *ipsa non ad animi solamen, sed ad cupiditatem alendam exercentur.* „ *Hinc vero Sacrorum Ordinum dissolutio, Paupertatis Evangelicæ eversio,* „ *Chori neglectus, Sacrorum contemtus, jurgia moventur &c.* Si ita est „ quid reponam non habeo, nisi paucorum ludentium hoc esse, qui „ conculcatis Eutropeliæ legibus *virtutem in vitium vertunt*, quot quot „ *aleis* ludunt in tot delicta, & flagitia dilabi nemo dixerit. . . . Cæ- „ terum certus sum, nullum ex his malis ab eo factum iri, si modicum „ pecuniæ *alearum* exponeret ludo. Porro ut ulterius argumentationem „ meam urgeam . . Si sola pecuniæ expositio tot flagitiorum foret cau- „ sa, hoc ipsum contingeret, sive *aleis*, sive latrunculis, sive pilæ, sive „ trocho exponeretur nummus.

CEN-

C E N S U R A.

XXII. Dissertatione VI. *Disciplinæ Apostolico-Monasticæ* fuso calamo omnia ineptissima commenta, quæ laxiores quidam Casuistæ excogitarunt, ut ludos pecuniarios licitos Mendicantibus facerent, explodi. Vix tamen quempiam offendimus, qui *aleis* Claustrales Mendicantes vacare licite posse asserat. *Magister Claustralis*, nullo agnito ludos mere fortuitos inter & industrios discrimine, æque illis, ac istis exponere *suum peculium* posse Mendicantes Fratres contendit. Quid interest, inquit, sive *aleis*, sive *latrunculis*, sive *trocho*, sive *pilæ* nummus committatur? Discrimen agnoscunt qui prima Christianæ Theologiæ rudimenta delibarunt. Me pudet Magistrum in Theologia Sacratum, aut brevi consecrandum hæc prima principia docere. *Alea* puram putamque sortem sonat. Pœnas a Canonibus ab Ordinis sui Constitutionibus in Fratres *aleis* ludentes indicatas reperies *loc. cit.* Quare ad peculii quantitatem ludo committendam accedamus.

V I T A C L A U S T R A L I S.

XXIII. Pag. 485. „ At petes: quantum pecuniæ farto tecto paupertatis voto ludis exponere liceat Claustralibus? Obvia petitio, sed „ perdifficilis responsionis: cui ut faciam satis, quantitatem peculii „ Claustrali privatim concessi expendo.

„ Aut enim Claustralis adeo modicum peculium habet, quod nec „ necessariis usibus satis sit: & tunc dico, nec obulum posse ludo exponere. Enim vero, si indigentiis, quibus premitur, consulere potis „ non est, quo pacto in *solatiis* quantumvis honestis pecuniam expendere potest? *Pro necessitatibus prius permissum est peculium, & si* „ *quid superest, pro solatiis. Ita & natura ipsa, & paupertatis votum* „ *videntur postulare.*

„ *Aut peculium pro utrisque habet juxta gradum & conditionem, &* „ *tantum pecuniæ exponere concessum esse assero, quantum honestas, attentis nedum gradu & persona, sed & Instituti legibus, indulget &c.*

CEN-

C E N S U R A.

XXIV. Audisti reconditam Theologiam? Mendicantes, qui peculio carent levandis necessitatibus idoneo, nec *obulum* ludere valent. Cur? Quia natura ipsa, & paupertatis votum ita postulare *videtur*, ut destitutus pecunia necessaria ad vitam alendam, ludis & solatiis indulgere non valeat. Firmanda hæc ratio erat aliqua Platonis auctoritate. Si vero peculium abundans sit tum pro victu ac vestitu, tum pro recreationibus, oblectamentis, & *solatiis*, tum duplex Claustralium genus distinguendum. Alterum eorum, qui gregarii sunt, inferiorisque scamni. Isti non adeo magnam pecuniæ summam *aleis* consecrare valent. Cur? Quod istis haud congruunt solatia valde lætifica, nec tam gravis adest exhilarandi, expectorandique animi causa! Alterum vero genus *Graduatorum Claustralium* est. Appellantur hi *Præsentati*, *Jubilati*, *Baccalaurei*, & *Magistri*. Istorum graduum varietas mensura est pecuniæ *aleis* exponendæ. Plus nummorum Magistri, quam Baccalaurei, & Jubilari præ Præsentatis impendere ludis valent: tum quod gradus isti uberrima latifundia sunt, unde opimius corradere peculium: tum quod sudoribus fusis, & laboribus exantlatis immensis oppressi sunt. Iccirco recreatio magna, solatia peculiaria, & commoditates congruæ consequi labores illos debent. Nec suspicetur lector, me hæc ad invidiam conflandam exaggerare. Singulis namque paginis Magister Claustralis edocet, Peculium concedendum esse *pro diversa personarum qualitate, & juxta graduum diversitatem*. Suavissima revera Monastica hæc Theologia est, quæ vota solemnia variat juxta graduum diversitatem. Confirmari ne alicujus Patris auctoritate valet doctrina isthæc? Dubio procul, inquit Magister Claustralis. En Augustinum in Regula. *Distribuatur victus, & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius unicuique prout cuique opus fuerit*. Nec te moveat, quod Sanctus Pater ranrum victum, & vestitum recordetur, quia sub his comprehendunrur etiam peculia pro *ludis aleatoriis*. Quod porro juxta sive valetudinis, sive infirmitatis diversitatem Magnus Pater jubeat providendum, nulla personarum, graduum, aut dignitatum mentione facta, nullius momenti est. Quoniam infirmitas & Baccalaureatus, valetudo & Magisterium Theologicum idem pror-

profius sunt. His salibus insipida embammata, hisque jocis, & sibilis contemnenda potius, quam refutanda sunt calefacti cerebri somnia.

XXV. Unica nunc supputatione in summam contrahas velim quæ recensuimus pecculia tum *necessaria* expendenda in vestes, in dapes, in argenteam supellectilem, tum *voluptaria* absumenda in solatiis, oblectamentis, itineribus, ludis, idque genus cæteris. Hæc omnia memoriæ hæreant, ut monstrosam laxitatis imaginem uno oculorum ictu spectare valeas. Magister *Vitæ Claustralis* in universo suo Opere exquisita arte obtegit descripti peculii horrorem, ut odio invidiæque causam suam subducat. Peculium hactenus descriptum harum vocum calamistro adulteratum exprimi solet: *Aliquid de venia Prælatorum permissum ad usus necessarios honestosque*. Quoties ergo offendas *To* aliquid, in mentem revoca amplum, uberrimumque peculium, quod hoc in capite descriptum est.

CAPUT X.

ERROR SEPTIMUS VITÆ CLAUSTRALIS.

Descriptum peculium asseritur ab Authore Claustrali ceu primum Monasticæ Sanctitatis fundamentum, & Sacrorum Ordinum propugnaculum. Nihil cum paupertatis voto commune habere ait bonorum communionem.

I. OMnes, quos recensuimus errores, in paucos contrahit Author Claustralis. Ingens, quod hucusque descripsit peculium, adeo annexum statui Religioso, & solemni paupertatis voto contendit, ut absque tali peculio Religio consistere nulla nequeat. Sic enim scribit *pag.* 391. *Tolle peculium, quando utilitas, aut necessitas postulat, & sustulisti Religionem. Tolle peculium caute adhibitum, & Religio non est Religio, non securitatis portus, non tranquillitatis statio.* Qui itaque, peculio sublato, exactam rerum communitatem invehit, Religionem de medio tollit? Ut aliquo fuco errorem hunc Adversarius obtegeret, tres adjecit particulas: *utilitas*, *necessitas*, *caute*. Necessitas habendi peculii, si vera & coacta sit, excusat a lege communitatis: secus si voluntaria, & libera fuerit. Utrum hæc, quæ asseritur, necessitas volita sit & ficta,

an vera & involuntaria, infra palam fiet. Accedit, quod si peculium nullo præcepto vetitum sit, ut contendit Adversarius, absolute, & sine necessitate licitum erit. Superflua ergo hæc prima particula. Altera clausula *utilitas* seipsa corruit. Utilitas enim isthæc semper adest. Quandonam non utile peculium? Quis est, qui sibi non *utiles* pecunias affectat? Frustra itaque & ad illudendum imperitis adjecta est particula præfata. Tertia tandem vox *caute* haud est cæteris melior, immo utrisque inanior. Peculium *incaute* adhiberi non votum paupertatis modo, verum etiam lex naturalis prohibet. Cautus & prudens pecuniarum usus omnibus necessarius est. Incautus, & imprudens omnibus perniciosus. Technis, & fucis excussis, erroris gravitatem, atque gravissimum scandalum, nemo non videt. *Tolle peculium, & sustulisti Religionem?* Ecquodnam est peculium illud, sine quo Religio, non est Religio? Peculium quod supra recensuimus: adeo abundans, ut præter victum, & vestitum sufficiat ad captanda honesta solatia intra & extra Ordinem, ad munera largienda, ad indulgendum ludis, ad emendam supellectilem argenteam, nempe horologia, arculas pro tabacco, & cætera id genus. *Tolle hoc uberrimum peculium, & Religio non est Religio?* Absque hoc peculio Religio non est salutis portus, nec securitatis asylus, nec tranquillitatis sedes? *Tolle peculium caute adhibitum, & Religio non est Religio, non securitatis portus non tranquillitatis statio.* Omnes ergo Sacri Ordines ad Regularum, & Sacrorum Canonum præscriptum reformati, a quibus procul peculium exulat, syrtes sunt æterni naufragii, non salutis portus, non securitatis statio? Exterminanda igitur e Claustris est perfecta bonorum communio, peculiumque introducendum. Consilium Christi Domini dimittendi omnia, nullo reservato peculio, perniciosum erit, viamque æternum pereundi aperiet? Quid plura. Disciplina ipsa exactæ communitatis, quam, Teste Adversario, Christus quoad vixit in hoc mundo servavit, non erit dicenda *nec salutis portus, nec securitatis statio*. Si hæ blasphemiæ non sunt, & scandala gravissima, quænam erunt?

II. Huic errori affinis est alter, quem ceu primarium sui systematis fundamentum distinctis caracteribus scribit his verbis pag. 404. *Rerum communitas aut parum, aut NIHIL commune habet cum paupertatis voto, quod Deo nuncupant Claustrales: Nec ex stricto præcepto Claustrali-*

bus

bus præscripta est. Si qui Evangelium, Apostolorum Acta, Patrum, Conciliorum, & Pontificum Canones ignorarent, talia scriberent, excusatione digni essent. Cæterum, utrum veniam mereatur eruditus Adversarius Christianæ, & Monasticæ Theologiæ Professor, alii judicent. *NIHIL* affinitatis cum paupertatis Monasticæ voto exacta rerum communitas habet? Inepte ergo Patriarchæ Sacrorum Ordinum Institutores, inepte Concilia tum Oecumenica, tum Provincialia illam præscribunt. Inepte Concilium Tridentinum tribus integris capitibus illam præscribit. *Parum aut NIHIL commune habet cum paupertatis voto rerum communitas?* Injuste ergo *sacro jure jurando* ad illam servandam Pontifices Summi Claustrales adigunt? Sed ultima verba veniant in examen. *Nec ea stricto præcepto Claustralibus præscripta est*. Quid prodit, *To Stricto?* Dantur ergo præcepta *larga* & *stricta?* Ea arte intrusa est vox ista, ut si præceptum probetur, possit illudere respondendo, esse præceptum non *strictum*, sed præceptum *largum*. Suo loco evidentius confutabitur error iste, & præcepti gravitas summa demonstrabitur.

III. Pagina proxime sequenti, nimirum 405. suorum errorum consectaria elicit, quorum unum transcribo, cætera alibi relaturus. *Prælati Regulares nec gravissimi, nec gravis, immo nec LEVIS peccati rei sunt, si vitam communem suis non invehunt Monasteriis*. Hæc illatio necessario consequitur descripta principia. Si rerum communitas *NIHIL commune habet* cum paupertatis Voto, nullius sane culpæ Prælati Regulares rei sunt, si illius observantiam negligant: Quid si hæc communitas esset saltem *præcepto largo* imposita? Non ne tum, ut minus *leviter* peccarent, si eam instaurare negligerent? Benigniores Probabilistæ docent, graviter delinquere Prælatos Regulares, si vel unam Constitutionem in desuetudinem abire relinquunt, tametsi ad nullam culpam obliget, ut infra ostendam. Sed in præsentia satis de hoc.

CAPUT XI.

ERROR OCTAVUS VITÆ CLAUSTRALIS.

Observantiam Disciplinæ Regularis in sola arbitraria indulgentia, aut rigore Prælatorum constituit. Extremæ laxitatis error Probabilistarum auctoritate labefactatur.

I. HActenus solemni paupertatis voto bellum indixit, & ultimas quasque struxit insidias Magister Vitæ Claustralis. Universam nunc invadit Monasticam Disciplinam, eamque ab imis suffodit initiis. *Part. I. Dissert. V. pag.* 116. leges & ritus Disciplinæ, quam ipse professus est, describere aggreditur, & neglectis gravioribus punctis, reculas parvi momenti latius extendit: puta quod Fratres canonicas horas recitent per vices alternatim *stando*, & *sedendo*, quod post completorium e choro exeant *infra Umbonem*, quod singulis hebdomadibus defunctis *parentent*, quaterque in annum anniversariam eorumdem faciant commemorationem, cæteraque id genus, quæ missa facio. Describam quæ subdit *pag.* 117.

II. „ Jejunium septem integros menses, a festo exaltationis S. Crucis „ ad Pascha usque, *exceptis diebus Dominicis* observant, sicut & omni- „ bus totius anni sextis feriis, & in Parasceve panem tantum & a- „ quam degustant, carnis esu toto anno interdicto.

III. Plura hic neglexit gravioris momenti. Quid ergo addendum? Quod omnes Fratres cujusque dignitatis sint, accedant ad communem mensam: quod omnes communi cibo contenti, nullus ex *proprio peculio* sibi selectiora comparet fercula. Hæc omnia & a Constitutionibus, & a Comitiis Generalibus præscripta tanti fecit Summus Pontifex Benedictus XIII. ut in Brevi dato an. 1725. typisque edito, & inserto Capitulo Generali Bononiensi ejusdem anni, hæc addiderit: *Nihil tamen magis cordi nobis est, quam quod de uniformitate in CIBIS, ac CELLIS tam per Constitutiones, quam per Comitia Generalia præscriptum est: nimirum, ut nulli ex Fratribus, sive Priori, sive Inquisitoribus, sive Magistris*

in

in Theologia quidquam in mensa ministretur, quam quod cæteris fratribus ministrari solet, ut præcipit Capitulum Generale habitum anno 1694 sub pœnis ibidem sancitis. Ac præterea, ut nemini liceat nisi ex causa infirmitatis in **CELLA** *comedere, sed omnes etiam* **INQUISITORES** *tam mane, quam sero in communi refectorio, infirmaria, vel in Hospitio cum Superioris licentia comedant, ut in mandatis S. Pii V. Prædecessoris nostri ordinatione quinta continetur sub pœnis ab eodem constitutis.* Hæc conferat R. Magister cum iis, quæ scribit pag. 480.

IV. Hæc præ aliis cordi erant pio, sanctoque Pontifici: & tamen, si cum iis, quæ addit, comparentur, leviora evadunt. Sic ergo persequitur Pontifex in laudato diplomate: *Ut denique Fratres in communi Dormitorio habitent, atque in eodem etiam* **INQUISITORES** *dormiant, nec quisquam Religiosam* **CELLÆ** *formam excedat, ut mandata ejusdem Sancti Prædecessoris nostri* **PRÆCIPIUNT** *ordinatione nona, quæ rursus Superioribus localibus injungunt, ut sublata* **CELLARUM** *pluralitate eas ad Religiosam formam, & Fratrum usum reducant, & quos renuentes repererint, per propositas ibidem pœnas parere compellant.*

V. Quid si Fratres ipsi privatim tam superba magnificentia ornarent Cellas suas, ut vel extrinsecus super Cellarum januas cælatas statuas superponi curarent? Quid si proprio *ære, peculioque* has facerent impensas? Quid si extra commune Dormitorium plano pede camerulas sibi ædificarent? Quot flagitia ex propugnato peculio, sine quo nihil horum, promanaret? Scandalum sane maximum, quo offenduntur vel ipsi laici, qui humiliora habitant cubicula: solemne paupertatis votum violatum foret. Quid si hæc non clam fierent ab hoc, aut illo, sed publice & impune ab omnibus, qui pecuniis abundant? Tanta corruptela olim grassabatur, quando *Pestis Claustralitatis*, inquit Fontana *Verb. Cella*, Disciplinam Regularem invaserat. Utrum R. Magistro similia videre contigerit, ille judex sit. Deberem hic transcribere pœnas gravissimas, quas S. Pius V. constituit adversus ejusmodi Fratres; sed indicasse sufficiat laudata verba Sanctissimi Pontificis Benedicti XIII. Lege, si per otium licet, quæ Decrevit Capitulum Generale anno 1569. *cap. de Claustralium, seu Conventualium reformatione*. De cellis plura alia essent dicenda, quæ brevitatis causa omitto. Recurrat itaque Vitæ Claustralis textus.

VI.

Digitized by Google

VI. Pag. 117. „ Prælatis tamen Monasteriorum hujus Ordinis *summa* „ *potestas est* ejusmodi jejunia relaxandi, & carnis esum concedendi, si. „ cut & in reliquis fere omnibus Ordinis statutis, si sacrarum litterarum „ studium, & proximorum utilitas id postulant, ut in legum textu san- „ citum est, prout *videbitur expedire*. Hinc factum est, ut non solum „ in aliquibus Provinciis plus minusve indulgeatur, sed etiam in aliqui- „ bus Monasteriis ejusdem Provinciæ pro PRÆLATORUM ARBI- „ TRIO, caritate, & prudentia. Unde NEMO est in toto Prædicato- „ rum Ordine, qui, indulgente Prælato, *quantumvis sanus, & jejunium* „ *frangere, & carnem comedere licite non valeat* . . . . Temeratoribus „ pœnæ taxatæ, quamvis nulla vel etiam minima culpa sit in harum „ legum violatione, nisi adsit contemptus . . . . Cæterum Ordo iste to- „ to Orbe diffusus, & per varias Provincias ac Congregationes partitus sem- „ per unus, & indivisus mansit sub eodem capite (Magister dicitur) „ iisdemque legibus vivit, ac se regit: *Ut si aliqua appareat diversitas,* „ *HÆC SOLUM penes majorem, minoremve Prælatorum indulgentiam* „ *TOTA se teneat*. Ex quo fit, ut in aliquibus Congregationibus di- „ strictior sit Disciplina, quam in aliquibus Provinciis: & vicissim in „ aliquibus Provinciis, quam in aliquibus Congregationibus major rigor „ exactiorque legum custodia: *immo in uno eodemque sive ejusdem Congre-* „ *gationis sive Provinciæ Monasterio, pro majori, minorique Prælati* **RI-** „ *GORE, aut INDULGENTIA. CETERA NIHIL.*

VII. Quis est eorum omnium, quibus Disciplinæ Regularis observantia, atque inclyti Ordinis decus cordi sit, qui dolore simul & indignatione percitus non exclamet cum D. Hieronymo: *Proh nefas! Non possum ultra progredi. Prorumpunt lacrimæ antequam verba, & indignatione pariter ac dolore in ipso meatu faucium spiritus coarctatur. Ubi mare illud eloquentiæ Tullianæ? Ubi torrens fluvius Demosthenis? Nunc profecto muti essetis ambo, & vestra lingua torpesceret. Inventa est res, quam nulla eloquentia explicare queat. Repertum est facinus, quod nec mimus fingere, nec scurra ludere, nec attellanus possit effari. lib. 1. Epist. ad Sabin.* Quam sit hæc Hieronymi exclamatio peropportunna, patebit continuo ac transcripti textus explanationem incœperim. Quod ut clarius præstem primum generatim, deinceps presse & sigillatim verba faciam.

VIII. Inclytus ergo Ordo noster non firmis, definitisque consistit legibus?

bus? In Prælatorum *arbitrio* sitæ sunt leges istæ? In eisdem Provinciis; immo in eisdem Monasteriis leges servantur plus minusve prout Priorum genio, qui quot biennio in Præfecturis sibi succedunt, visum fuerit? Nihil ergo in Ordine, præter Tria vota, certi, nihil definiti, quo ab aliis secernatur Ordinibus? Nulla peculiaris certa via, quæ ad Evangelicam ducat perfectionem? In hominum phantasmatibus Religionem tuam locas? Tot ergo erunt Ordines quot Priores. At iste non Ordo Regularis, sed irregularis Turba: non Societas perpetuo legum fœdere sacrata, sed confusus populus versatili hominum ingenio moderatus, nunc severitatem præferens, nunc laxitatem. Quænam ab orbe condito bene instituta Respublica hominum arbitrio absolute supposuit leges suas? Quænam Sacra Religio Regulas non præscripsit, quæ vel in ipsa a legibus dispensatione sæpe necessaria, ex rationabili causa, de qua infra, servari debeant? *Ordo* [inquis] *per varias* Provincias, ac Congregationes *partitus semper unus, iisdemque legibus vivit, ac se regit, ut si aliqua appareat diversitas, hæc SOLUM penes majorem, minoremve Prælatorum indulgentiam TOTA se teneat. CETERA NIHIL?* Argutissime ad miraculum usque. Quod ergo in Congregationibus Provinciisque aliquibus jejunia, & abstinentiæ a carnibus, peculiari rationabilis necessitatis casu sublato, examussim serventur: Et quod in cæteris Provinciis, non cum aliquibus, & in aliquo tantum casu, ut leges, de quibus jamjam, clamant, sed passim & fere singulis diebus carnes comedantur, discrimen nullum, *præter indulgentiam majorem, minoremve Prælatorum. CETERA NIHIL?* Quod in Congregationibus Provinciisque aliquibus indumenta ex *fargia* sint, quod nemo unus indusia linea ad carnes adhibeat: quod Fratres per Civitates vix unquam nisi associati incedant: quod una angusta Cella sint contenti: Contra, quod in aliis quibusdam Provinciis communiter, paucis exceptis, indusiis lineis utantur, quod subtilissimas Tunicas induant, quod soli per Civitates discurrant, quod camerulas, & ædiculas tum supra, tum infra dormitorium habeant. Quod alicubi etiam opipare extra refectorium mensas instruant, discrimen nullum, *præter majorem, minoremve Indulgentiam Prælatorum. CETERA NIHIL?* Ah exclamabat olim Mellifluus Bernardus ad similem stultitiam, dixerim, an temeritatem epistola prima ad Robertum: *Si panni subtiles, & pretiosi, si longæ manicæ, & amplum Capucium, &*

oper-

opertorium silvestre , & molle flamineum SANCTUM faciunt, quid moror, & te non sequor? Quod in Congregationibus, & Provinciis aliquibus exacta vigeat communitas, pulso omni peculio: quod omnes pecuniæ sive prædicatione, sive lectione, sive quacumque via conquisitæ in communes omnium usus conferantur: quod nemo pannosus, nemo comptus, sed omnibus tum sanis, tum ægris, prout cuique opus est, provideatur: E contrario, quod in aliquibus Provinciis quisque pecunias lucretur sibi quantum ad eorum usum, relicto dominio civili Conventui [ut illo vescatur]: quod qui peculio pinguiori abundant, selectioribus ferculis vescantur, famulitium promptum habeant: quod ille penuriam, hic redundantiam experiatur: quod iste pannosus, alter comptus: quod infirmis ditioribus nihil desit, & pauperes necessariis non raro careant, *TOTA est indulgentia Prælatorum. CETERA NIHIL?* Postremum quod in quibusdam Provinciis, & Congregationibus Capitula in hebdomadam Prælati teneant, in quibus Sanctum Dei Verbum ad subditos habeant, exactam Disciplinæ Regularis observantiam præfervide inculcent: in abusus invehant, & ne ultra serpant, aggeres adjiciant: quod corrigant delinquentes, excitent tepidos, pœnas infligant transgressoribus: & subditi omnes in genua procumbentes culpas adversus leges perpetratas publica confessione alta voce exponant, debitamque suscipiant pœnam: Quæ omnia severa lege præscribuntur. Quod vero in quibusdam Provinciis vel ipsæ Fabricæ Capitulorum, in quibus Fratres audire Verbum Dei debent, dirutæ, aut aliis destinatæ usibus sint: quod alibi vix in annum culpæ subditorum adversus Constitutiones Ordinis audiantur: quod transgressiones impunitæ grassentur, *TOTA est indulgentia Prælatorum. CETERA NIHIL?* Qui Religio tua ab omnibus aliis secernetur, nisi Legum suarum prærogativis? Si hæ in hominum *arbitrio* positæ sunt; Arbitraria ergo Religio, phantastica, versatilis. Si observantia Regularis quarumdam Provinciarum, & Congregationum: & aliarum Provinciarum laxitas nil aliud est, quam *indulgentia*, aut *rigor* Prælatorum, in vanum B. Raymundus improbum laborem subiit in Ordinis reparatione: in vanum Taumaturgus Ferrerius, ejusque Discipuli Petrus Cerdanus, Michael Pages in Hispania: in vanum Catharina Senensis, Joannes Dominici, Marcolinus, Thomas Senensis, Thomas Ajutamicristo in Italia: in vanum Conradus de Pruscia, Franciscus Retza, Joannes Nyder in Germania, Joannes Excuria, in

Bur-

Burgundia: in vanum Sanctissimi Pontifices Pius V. & Benedictus XIII. aliique innumeri miraculorum omniumque virtutum splendore celeberrimi pro Disciplinæ Regularis reformatione adlaborarunt? Quid Concilium Tridentinum, quid cæteri Pontifices omnes tot Constitutiones ediderunt? Quid tremendo interdicto suspenderunt laxatis Provinciis facultatem recipiendi juvenes in Ordinem? Quid nunc sacrum jusjurandum exigunt, quo adfirmetur, exactam *Constitutionum* & potissimum *vitæ communis*, pulso peculio, observantiam vigere iis in Cœnobiis, in quibus juvenes profiteri Religionem debeant, si hæc observantia non aliud est *quam indulgentia, aut Rigor Prælatorum*. *CETERA NIHIL?* Filum abrumpo, ne satiram scribere videar, dum leges servandas describo, & errores atque offendicula propulso.

VIII. Hactenus universim, nunc sigillatim dispicienda est Doctrina Concellitæ nostri. Eam in capita duo tribuo. In primo legum obligationem: in secundo facultatem, quæ Prælati pollent ad dispensandum, quam brevissime indicabo. Et ad primum quod attinet, Verba Magistri vitæ Claustralis revocanda sub oculos. *Quamvis* (inquit) *nulla vel etiam minima culpa sit in harum legum violatione, nisi adsit contemtus*. Hæc doctrina omnium vel benigniorum Probabilistarum consensu, nemine excepto, falsa est, & ruinam disciplinæ Regularis inducens. Quod nullam *mortalem* culpam perpetret legum harum violator, sublato contemptu, verum habet. Quod sine contemptu *nulla vel minima culpa sit in harum legum violatione error est*. Quod ut clarius pateat, aliud est, quod leges seu Constitutiones genere suo non obligent ad ullam sive gravem sive levem culpam: quod verum habet, & Constitutiones ipsæ declarant. *Declaramus, ut Regula nostra, & Constitutiones nostræ non obligent nos ad culpam, sed ad pœnam, nisi propter præceptum, vel contemptum. In Prol. tex.* 4. Aliud longe diversum, quod in ipsa violatione legum nulla vel minima adsit culpa sine contemptu: quod erroneum est, ut explicant Constitutiones ipsæ ibidem ad Lit. L. *Nam* [inquiunt] *ut docet S. Thomas* 2. 2. *q.* 186. *a.* 9. *ad* 1. „ In „ Religione Ordinis Fratrum Prædicatorum transgressio vel omissio (scilicet Regulæ sive Constitutionum) ex suo genere non obligant ad culpam nec mortalem, neque venialem, sed solum ad pœnam taxatam „ sustinendam, quia per hunc modum ad talia observanda obligantur. „ *Qui tamen possent venialiter vel mortaliter peccare ex negligentia vel libi-*

„ *dine, seu contemptu* „. Hæc Constitutionum verba ut jacent transcripta sunt a S. Thoma *loc. cit.* quæ sic interpretatur Cajetanus in Commentariis in hunc ar. 9. „ Oportet diligenter notare verbum Auctoris in li- „ tera hæc dicentis, quod hujusmodi transgressiones non sunt culpæ *ex suo* „ *genere* : ita quod sensus Legis obligantis ad pœnam, & non ad culpam „ est, quod statuit actum illum esse extra genus culpæ, non qualitercum- „ que *ex suo genere*, hoc est, *non ex parte operantis*, sed secundum suam „ naturam, & propterea trifariam potest ex parte operantis ingredi ge- „ nus culpæ actus, qui *secundum se* extra genus culpæ a lege posi- „ tus est. Numerantur autem in litera *tres modi*, quibus ex parte „ operantis *actus hujusmodi fit culpa*. *Primus*, qui manifestus est, dici- „ tur ex contemptu .... *Secundus* est ex cupiditate .... *Tertius* est ne- „ gligentia &c. „ Consule & Thomam & Cajetanum R. Magister, qui scribis cit. pag. 117. *Angelicum Doctorem D. Thomam Aquinatem Præceptoris loco habent, a quo vel digitum tantum desciscere Prædicatoribus Religio est .... Quis namque per hominum Deumque fidem doctrinam Aquinatis Doctoris sequi, eamque pro viribus defendere non glorietur?* Dicendum fuisset *universam Doctrinam*, ne aliqui suspicentur, te velle dumtaxat doctrinam aliquam Angelici peculiarem, puta Prædeterminationis Physicæ [quam & ipse germanam esse D. Thom. sententiam judico] pro viribus defensurum fore, *cetera nihil*, eorum nempe, quæ mores formandos spectant. Triplici ergo via juxta Angelicum peccare potes suas violando leges, quæ alioquin ad culpam *genere suo* non obligant. Prima est negligentia. Altera libido, seu nimia animi cupiditas erga aliquid, ob cujus amorem legis observantiam negligas. Tertia contemptus.

IX. Sed ad Constitutiones ipsas regrediamur, quas detruncatas refert R. P. Magister. Hæc ergo adjiciunt laudatæ Constitutiones *loc. cit. ad lit. D. sub textu* 2. „ Declaramus quod illa, quæ ponuntur in nostris Constitutio- „ nibus, & non habent præceptum annexum, sed sunt pure statuta ad „ ornatum & decorem Regularis vitæ pertinentia, videntur esse minima „ respectu illorum, quæ pertinent ad substantiam Religionis [ut est ex- „ acta rerum communitas] vel quæ habent præceptum annexum. *Ta-* „ *men illorum transgressio ex negligentia non est sine veniali culpa, quæ dis-* „ *ponit ad MORTALEM, ut docet S. Thomas* 2. 2. *q.* 186. *a.* 9. *ad* 1. „ Plura in hujus rei confirmationem ex Scriptura sancta, ex Hieronymo,

cx

Digitized by Google

ex Isidoro addunt, quæ legere poteris. Spiritus ergo legum in hoc situs est, ut conscientiarum perplexitates & angores abigat, ut animorum tranquillitati consulat, atque optimis subditis observare leges conantibus solamen afferat: minime vero, ut desidiosis, tepidisque viam ad transgressiones aperiat, ut omnes tum domestici tum extranei Theologi docent. *Constitutiones illæ* (inquit Joannes Excuria de ref. a. 2.) *non obligant Fratres ad culpam, sed pœnam tantum. Sed hujusmodi Constitutio, licet magnum solamen afferat timoratis observantibus, qui interdum scrupulosis perplexitatibus agitantur, nihil tamen remedii confert renuentibus observare.* Lege B. Umbertum in Regulam D. Augustini cap. 10. Sed missis antiquioribus Theologis, ad recentiores accedamus.

X. P. Paulus Layman Probabilista *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 9. *n.* 8. *Utrum nullum omnino peccatum sit trasgrediendi Regulam Ordinis Prædicatorum, & Societatis JESU, cujus statuta non obligant sub culpa?* Dico 2. *Si quis Regulam transgrediatur ex animi torpore vel negligentia, venialiter peccat* .... Dico 3. *Si quis Regulam trasgrediatur propter libidinem, seu inordinatum affectum erga rem aliquam, constat culpam committi saltem venialem.* Legesis P. Hermannum Busembau *lib.* 4. *dub.* 3. ejusque interpretem P. La Croix, qui *tom.* 2. *lib.* 5. *n.* 214. *pag.* 32. *Imo docet Dicastillus, ut docte probat Lessius, singulas Regulas cujuscumque Ordinis vix posse violari sine peccato; quia in eo est saltem deordinatio, inquit Suarez* &c. Lege cæteros omnes vel benigniores Casuistas.

XI. Quæ sequuntur excitare deberent vel ipsos surdos. Violare Regulam & Constitutiones, quæ absolute ad nullam culpam obligant, ex negligentia culpa est venialis, quæ disponit ad mortalem, ut clare edicunt Constitutiones ipsæ. Frequentia vero & consuetudo easdem violandi plerumque culpa mortalis est, ut docent non solum D. Thomas, Humbertus, Excurias, Trithemius, Carthusianus, omnesque graviores Theologi, sed Recentiores Probabilistæ Layman, Sanchez, Castropalaus, Busembau, & quotquot hac de re scripserunt. Paucorum textus transcribam. Ex antiquis omnes docent cum D. Thom. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3. *Frequentia tamen peccati dispositive inducit ad contemptum.* Quem contemptum duplicem esse Theologi afferunt, *formalem*, & *interpretativum*, qui ex frequenti, & continuata transgressione consurgit. Sed audiamus Recentiores Probabilistas.

H 2 XII.

XII. P. Paulus Layman *loc. cit. pag. mihi* 113. *Dico* 4. *Si quis Regulam Ordinis frequenter, & per consuetudinem violat, eaque ratione vel graviter perturbat Religiosam disciplinam, vel in eo statu se constituat, ut tanquam incorrigibilis expellendus sit, talis mortaliter peccat.*

XIII. P. Ferdinandus de Castropalao *tract.* 16. *punct.* 3. *n.* 7. „ Dixi „ *per se* non committere peccatum mortale Religiosum sic passim Re- „ gulas violantem : At per accidens *credo sæpe peccatum mortale com- „ mittere*, nisi efficaciter proponat, & procuret illius pravæ consuetudi- „ nis correctionem „.

XIV. Tamburinus de *Jur. Abbat. tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 6. *n.* 7. *pag.* 22. *Monachus tenetur sub pœna lethali sic vivere, ut non sit perniciosus suæ Religioni inducendo alios exemplo suo pravo ad relaxationem Monasticæ vitæ; ex quo sequitur perturbatio totius Monasterii, & Congregationis, dum nollet v. g. observare statutum silentii, præceptum Orationis, legem Jejunii, & alias obligationes Regulares.*

XV. Paulus Nazarius opusc. 2. conclu. 6. *Pravus habitus acquisitus in Religioso ex frequentatis, & ex multo tempore continuatis actibus prævaricationis Regulæ, & suarum Constitutionum, intrinsece claudit inclinationem voluntatis ad similes actus. Hæc autem inclinatio repugnat voluntariæ subjectioni ad Regulam & Constitutiones: ac proinde contemptum etiam habet interpretativum cum lethalis culpæ gravitate, quam ex aliis capitibus secum trahit frequens illa, & continuata transgressio. Hæc vero sunt scandalum, quod cæteris præbet exemplo suo prævaricator .... Secundum est perturbatio magna Religionis .... Denique talis prævaricator a fine deficit Religionis primario, cum intentionem non habeat in Christiana, & Religiosa perfectione proficiendi, sed magis continuo deficiendi : atque adeo est in STATU DAMNATIONIS ÆTERNÆ.* Laudat in hujus rei confirmationem Joannem Dominici, D. Antoninum, Sylvestrum, Sanchez, Valentiam.

XVI. P. Hermannus Busembau *lib.* 4. *dub.* 3. & P. Claudius la Croix *ibidem num.* 58. *pag.* 375. *Religiosum teneri sub mortali tendere ad perfectionem servando Regulas etiam non obligantes sub peccato docet Eliz. ex his rationibus.* 1. *Quia Religiosus tenetur sub mortali sic se gerere, ut censeatur Religiosus .... Sed censeri non posset Religiosus, si nihil curaret de servandis meditationibus, examinibus, silentio, mortificatione, modestias,*

ſtia, cæteriſque in ſuo Ordine citra peccatum præſcriptis. 2. Alioquin Superiores non peccarent graviter, ſi horum obſervationem non procurarent ... 3. Alioquin ſequeretur relaxatio Religionis, & ejus diſſolutio. Lege plura ibi. Lege Sanchez *lib. 6. cap. 4. n.* 18.

XVII. Claudat hoc punctum non Probabiliſta aliquis, ſed Dionyſius Carthuſianus *de Refor. Clauſtr. ar. 6. Quamvis autem multa contineantur in Regulis aut ſtatutis Religioſorum, ad quæ non teneantur de neceſſitate præcepti, ita quod ſtatim mortaliter peccent, quando in aliquo illorum fuerint negligentes, ut eſt obſervatio ſilentii, ſurgere ad matutinas, otioſitates vitare, inutiliter hinc inde diſcurrere, atque ſimilia: Verumtamen conſuetudo excedendi, ſeu aſſiduitas delinquendi in iſtis, & non curare, nec emendare, non poteſt a mortali excuſari peccato. Propterea Religioſi deformati, in quibus parva, aut nulla eſt rigoris, aut diſciplinæ obſervantia, quia carnaliter vivunt, & mundanis vanitatibus pleni ſunt, otioſitati, & loquacitati vacantes in innumerabilia prorſus incidunt vitia, non venialia ſolum, ſed mortalia quoque. Immo tota eorum vita eſt quaſi quoddam* PECCARE CONTINUUM.

XVIII. Alterum punctum, quod diſpenſationem Prælatorum ſpectat, Conſtitutiones ipſæ in *Prol. tex. 3. ad litt. G.* declarant, *quod Diſpenſationes in jejuniis, & abſtinentiis numquam ſunt faciendæ, niſi ex magna cauſa cum toto Conventu, etſi perſonis aliquibus merito interdum ſint indulgendæ: nec etiam ſemper fieri debent, & aſſidue, ſed ſolum aliquando juxta quod Prælato propter aliquam utilitatem, vel neceſſitatem, vel honeſtam, & rationabilem cauſam videbitur expedire* [& ad litt. F.] *Unde S. Bernardus in lib. de Diſp. ſic ait: Votum meum non augeat Prælatus abſque mea voluntate, nec minuat ſine certa neceſſitate, alioquin remiſſio voti abſque neceſſitate, non diſpenſatio eſt, ſed diſſipatio.*

XIX. Peccant ergo Priores, ſi abſque rationabili cauſa diſpenſant in jejuniis, in abſtinentiis, aliiſque Conſtitutionibus. Rationabilis cauſa eſt neceſſitas, aut publica utilitas, quæ ſpectet bonum commune. Communis Theologorum ſententia eſt, peccare non venialiter modo, verum etiam mortaliter Priores Ordinis, ſi aut imprudenti diſpenſatione, aut diſſimulatione negligunt obſervantiam hujus, aut alterius Conſtitutionis, quæ ad nullam culpam obligat. Aliquos curſim indicabo. P. Dominicus Banez 2. 2. *q. 33. a. 3. dub. 3. Prælatus in Ordinibus Mendicantibus, potiſſi-*

tissime in Ordine Prædicatorum, tenetur sub præcepto habere specialem curam, ut Religiosi se exerceant in operibus Misericordiæ Spiritualibus &c. .... Confirmatur. Quoniam sententia communis est, quod si Prælatus negligat cæremonias, quæ alias non obligant sub mortali, ipse peccat mortaliter. Idem docet Dominicus Soto de *sec. tegend. membr. 2. q. 2. conclu. 3.*

XX. Cardinalis de Lugo de Just. disp. 9. sec. 2. n. 21. *Exemplum autem commune esse solet in Prælato Regulari, qui aliquando potest graviter peccare negligendo culpas veniales in subditis; immo & inobservantiam circa Regulas, quæ tamen ex se non obligant subditos ad peccatum etiam veniale, quia in ipsa negligentia Prælatus defuit obligationi*. Tamburinus de Jure Abbatis *tom. 3. disp. 3. q. 6. n. 10. Advertant tamen Abbates, & Prælati si in suis Monasteriis tales transgressiones sunt frequentes, tenentur sub mortali transgressores illos corrigere*. Lege quæso Disciplinam Apostolico-Monasticam par. 2. Differ. 1. a cap. 3. ad 10. usque, ubi fuso calamo hæc omnia discussa sunt.

XXI. Post benignissimos Probabilistas audiat R. Magister Vitæ Claustralis unum, & alterum ex plurimis antiquis gravissimis Theologis & Patribus, quos referre possem. Dionysium Carthusianum *opusc. de reg. Arch. cap. 11. Si omnium Divinorum Divinissimum est Deo cooperari in reductione animarum ad ipsum: Non ne omnium Diabolicorum Diabolicissimum est cooperari Diabolo in aversione animarum a proprio Creatore? .... Certumque est, quod sicut illud faciunt virtuosi ac diligentes Prælati: Sic istud negligentes Prælati, ac vitiosi, qui multipliciter hoc ipsum peragere a Sanctis Patribus asseruntur, videlicet inexemplariter, ac scandalose vivendo, aut non debite resistendo, non arguendo, non corrigendo: itemque tacendo, palpando, consentiendo, hortando, fovendo. A talibus Præsidentibus CHRISTUS, ut sanctus ait Bernardus, graviorem persecutionem patitur, quam a Judæis ipsum crucifigentibus est perpessus*.

XXII. Audiat piissimum doctissimumque Trithemium in *lib. Penthico c. 5. Ad vos nunc, o Abbates, meus dirigitur sermo, qui Monachorum vestrorum mala studia non corrigitis .... O Abbas Pastor, & Idolum, qui ex ovibus lupos, ex Monachis sæculares facis. Quid respondebis Summo Pastori cum rationem villicationis tuæ reddere compulsus fueris?*

XXIII. CONSECTARIUM I. Quam monstrosa sit Disciplinæ Regu-

Digitized by Google

gularis facies a R. Magistro nostro depicta: quam sint horrenda scandala, quæ illam consequuntur descriptionem, ex his, quæ paucis delibavi, colligere quisque valet. Heinc siquidem excidium, clades, extremaque ruina observantiæ Constitutionum. Nullam in violatione legum contingere culpam absolute enarrat P. Magister. Quæ propositio absolute accepta sanum excipere sensum posset: sicut & altera, quod Prælati possint in jejuniis aliisque legibus dispensare, *si sacrarum litterarum studium, & proximorum utilitas id postulant*. Nullum in hoc dissidium. Quæ sequuntur, seductionem, scandalumque funestum pariunt. *Unde NEMO est* [inquit Magister] *in toto Prædicatorum Ordine, qui, indulgente Prælato, quamvis sanus, & jejunium frangere, & carnem comedere licite non valeat*. Omnes ergo Prædicatores, *quamvis sani*, idest absque ulla necessitate, absque ulla causa, & carnes comedere, & jejunia frangere jure valent, Prælato indulgente? Prælatus ex *arbitrio* indulgere valet? At Patres, Theologi, Probabilistæ omnes docent, tam subditos, quam Prælatos absque causa legum observantiam negligentes peccare, & Superiores quidem gravissime. Casuistæ omnes vel laxiores damnant hanc doctrinam eeu falsam & erroneam. Subdit Magister. *Si aliqua apparet diversitas* (in jejuniis, abstinentia, silentio, peculio, laneis indusiis) *hæc solum penes majorem minoremve Prælatorum indulgentiam TOTA se tenet*. Diversitas observantiæ Regularis a relaxatione mera est indulgentia Prælatorum? Doctrina hæc abducit Fratres ab observantia Regulari, audaciores efficit transgressores, tepidos ad dissolutionem urget, dissolutos in obstinatione confirmat, Prælatis, Prioribus imperitis animos facit ad relaxandas leges omnes ex arbitrio absque rationabili causa. Hæc est illa doctrina, quam consequitur *Quoddam PECCARE CONTINUUM* inquit Dionysius Carthusianus. Quid ergo miramur, si nullam relaxatæ Disciplinæ reformationem conspicimus? Priores legunt in his Magistrorum in Theologia libris, se posse dispensare in omnibus legibus *pro arbitrio*. Subditi legunt, se quamtumvis sanos posse jejunia frangere, carnes comedere. Libri isti, inquiunt, Superiorum gaudent approbatione. Quid ergo nobis aures obtundunt *Rigoristæ* quidam Aristarchi? Ergo usquedum ejusmodi libelli diris flammis non devoveantur, non solum nulla reformationis spes affulget; sed ipsa observantia Regularis suos amittet cultores, præfatæ doctrinæ præstigiis deceptos seductosque.

C A-

CAPUT XII.

Epocha certissima invecti Peculii, & relaxationis Disciplinæ in Mendicantium Ordines. Omnium ad unum Historicorum auctoritate fabulosa VITÆ CLAUSTRALIS *commenta repelluntur. Quam apprime Operi congruat ejusmodi Titulus* : Vita Claustralis.

I. Prior *Vitæ Claustralis* Pars tributa est in Dissertationes septem. Quarum prima varia Claustralium nomina, & vitæ notiones prodit. In altera Disciplinæ Claustralis origo legitur. Vapulat Samuel Basnagius in tertia, quod Therapeutas, Judæos, non Christianos, fuisse defendat. Propagationem Vitæ Cœnobiticæ, ejusque varios Ordines exhibet quarta. Tribus posterioribus ritus, consuetudines, & privilegia eorumdem Claustralium perstringuntur. Hæc omnia, non modo eruditi Viri Bellarminus, Montfaucon, Natalis Alexander, Martene, sed vel ipsi semidocti homines ad satietatem jam pridem versarunt. Et quod magis festivum est, has Dissertationes se præmittere Author scribit *pag.* 2. veluti *prolegomena quædam*, quæ ad orandam, dirimendamque causam viam sternant. Sint ne vero pura, putaque parerga plus a scopo, & instituto distantia, & disparata, quam Cœlum a Terra, aliorum esto judicium. Altum in eisdem silentium de vicissitudinibus, quibus tum Monachorum, tum Mendicantium Fratrum paupertas obnoxia fuit. De invecti peculii penes Monachos, & Mendicantes Fratres origine, mentio nulla. Quæ omnia, ut discuterentur, ratio, tempus, locus, operis scopus postulabant. Verum, vel quia hæc in Edmundo Martene, aliisque eruditis in ordinem digesta non reperit, vel quia peculio sarto tecto propugnando minime conducebant, prætermisit, calamo ad Therapeutas, aliaque extrariæ eruditionis puncta converso. Paucis ego, quoad fieri poterit, rem expediam, ut dirimendæ controversiæ viam parem.

II. Quamdiu exacta rerum communitas ab Apostolico Collegio in Cœnobia immigrata suo vigore constitit, tamdiu Monasticæ Disciplinæ splendor emicuit. Voluntariæ istius, propter Christum, susceptæ paupertatis ob-

observantia tantum obsequii, reverentiæ, æstimationisque in Monachos conciliavit, ut Christiani proprias opes divitiasque in Monasteria effundere larga manu Religioni sibi, & sanctitati ducerent. Redundantes sæculi divitiæ Claustra ingressæ ex iisdem alicubi virtutes, & sanctitatem ablegarunt. Suffossis namque fundamentis, corruat ædificium iis superistructum oportet. Heinc Monastica peculia, superba ædificia, pompæ, luxus, & fastus. Heinc Sanctorum Monachorum, qui avitæ paupertatis zelo flagrabant, in Monachos, quos a privato peculio *Nummicolas* appellat S. Petrus Damianus *opusc. 12. cap. 6.* acerbæ lamentationes, & adversus privata peculia acerrimæ invectivæ, & præfervidæ declamationes, quas in Patrum libris, potissimum Augustini, Hieronymi, & Damiani legimus. Hic opportunus, latissimusque patebat campus Magistro *Claustrali* integram adornandi Dissertationem, missis *Therapeutis*.

III. A Monachis ad Mendicantes Fratres congruus fuisset transitus. Istorum Sanctissimi Institutores ex Monasticæ Disciplinæ jactura proventum fecere. Uberes divitias, non penuriam, in Monachos *privata* induxisse *peculia*: & peculia privata universæ Monasticæ Disciplinæ alicubi devastationem manifesta experientia didicerunt. Quare ne suos, quos instituere Divino afflati lumine designarunt Ordines, dira peculii pestis invaderet, divitiis bello indicto, *Mendicitatem* in patrimonium elegerunt, dicti propterea *Mendicantes*. S. Patriarcha Dominicus, ultra exactam rerum communitatem in selecta Augustini Regula præscriptam, rejectis fundis, redditibus, seu censibus vel in communi possidendis, solis eleemosynis in rem communem redactis alendos fratres suos constituit. Cujus altissimæ paupertatis Consilium Tolosæ primum conceptum, post Boniæ, rogata lege, firmavit. Similem paupertatis formam Seraphicus Franciscus, cæterique Sacrorum Ordinum Mendicantium Institutores in suis Regulis præcipiunt, ut in loco dicemus. Hæc adeo comperta, exploratàque sunt, ut eadem documentis firmare supervacaneum foret, nisi ad id nos cogeret Author *Vitæ Claustralis*. Hic omnium Mortalium primus vel in ipso Collegio Apostolico serpsisse peculii privati pestem scribere non erubuit: atque adeo Sanctissimos Patriarchas, & singulariter S. Dominicum nequaquam præcepisse Vitam communem peculii expertem. Quod, ut aliquo tangatur pudore, lubet isthuc transcribere quæ docet B. Humbertus quintus O. P. Generalis Magister, non minus sanctitate,

quam doctrina præstantissimus, in Regulam D. Augustini. Et ne de more calumniari audeat mancos afferri textus, integrum caput exscribam, quod est

Caput CX. B. Humberti in Regulam D. Augustini.

IV. „ Circa secundum notandum, quod in quibusdam Religionibus „ maxime possessiones habentibus, providetur Canonicis hoc modo: vi„ delicet quod datur cuilibet *certa summa pecuniæ*, quolibet anno, de „ qua providet sibi in vestibus sicut vult. Sed hoc est *expresse contra* „ *Regulam*, quæ dicit supra (distribuatur victus, & tegumentum, vel „ vestimentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis „ omnes.) Per hujusmodi modum æqualitatis providetur plus & mi„ nus indigenti. Præterea hoc vel est proprietas, vel saltem proprie„ tatis species manifesta: quorum utrumque cavendum est. Item per „ hoc datur interdum occasio expendendi, quod pro vestibus datur, in „ usus alios præter Domini voluntatem, quod furtum reputatur, & „ adhuc remanet eadem indigentia vestium. Propter hoc alii hæc in„ convenientia declinare volentes faciunt aliter, ordinantes, quod il„ lud, quod datur pro vestibus fratri, sive deintus, sive de foris, sive „ in panno, sive in pecunia, servetur eidem sub communi custodia: „ *ita tamen quod alii nunquam detur*. Sed hoc iterum est contra regu„ lam, quæ vult *omnia esse communia*. Et infra dicit expresse de hujusmo„ di, quod in locum communem redactum cui necesse fuerit præbea„ tur. Præterea per hoc aufertur Viris sanctis illa confidentia de Deo, „ quæ dicit eis non esse cogitandum de crastino, cum ipsis per hoc „ provideatur neque ad annum, vel magnum tempus certitudinaliter de „ vestibus per hujusmodi ordinationem: contra illud Matth. 7. Et de „ vestimento quid solliciti estis? *Item hoc non caret specie proprietatis:* „ *Ita enim proprietarius est ille, qui facit sibi aliquid ab alio illicite ser*„ *vari: sicut ille qui servat apud se*. Propter hoc alii reprobantes hos „ modos, tenent alium modum, *præcipue in pauperibus Religionibus*, dan„ tes licentiam singulis, ut sibi provideant tempore necessitatis quæren„ do ab amicis, vel familiaribus *: sed hoc videtur iterum reprobandum;* „ *quia sequitur ex hoc multa inæqualitas*: cum videlicet unus habet a

„ quo

Digitized by Google

„ *quo requirat, alter non: unus cum facilitate multa potest acquirere,* „ *alter non sine multa difficultate:* unus invenit, qui dat ei bonas ve- „ stes, alter non nisi viles. Si autem apud sæculares tantum curatur de „ æqualitate, quod abundantia divitum debet supplere indigentias pau- „ perum, secundum Apostolum 2. Cor. 8. ut fiat æqualitas; quanto ma- „ gis viris ejusdem professionis? *Præterea ex hujusmodi ordinatione co-* „ *guntur homines resumere curam sui, quam deposuerant contra illud Ber.* „ Qui nobis semel curam vestri commisistis, quid iterum de vobis vos „ intromittitis? Item ex tali ordinatione minuitur meritum charitatis, „ quæ communia anteponens magis proficit: sicut dicitur infra [hic au- „ tem relictis pertinentibus ad commune, propriis intenditur] *Propter* „ *hoc istis tribus modis reprobatis, ordinandum est apud pauperes, quod* „ *ita quæratur, quicquid quæritur pro vestibus, quod etiam in communi* „ *ponatur quicquid datur, quicquid habetur pro vestibus, & ex uno ve-* „ *stiario provideatur omnibus, sicut dicit vir Sanctus. Nec est diffiden-* „ *dum, quin bonis viris modum istum magis sanctum servantibus provi-* „ *deat ille, qui quærentibus justitiam promittit. Matth. 6. non solum vi-* „ *ctum, sed etiam vestitum.*

V. Recensita B. Umberti doctrina in fumum amandat distinctiunculas, sophismata, effugia *Depositi*, *Custodiæ*, & id genus thecnas, quibus occultari peculii vitium solet. Et tamen B. Umbertum propugnare ut licitum peculium scribere non veretur *Claustralis* noster, ut videbimus *Dissert.* 2. Ex quo, quæ sit illius indoles, sinceritas, & genium, colligere vales. Centum in locis præfati commentarii Humbertus demonstrat communitatem gravi juberi præcepto in Augustiniana Regula, sicut *Diss.* 2. allatis textibus evincam. Ubique elamat, communitate neglecta, & peculii peste grassante, Ordines destrui. Ex multis pauca nunc dabo. Cap. CXVII. *Interdum aliqui Religiosi, qui ad opera communitatis modo sunt impotentes, modo negligentes, modo querulosi, & tristes, ad propria vero fortes & diligentes & læti, & hoc est quod in loco communitatis singularitatem inducit . . . Hoc est quod servos Dei præparat ad tempora Antichristi, de quibus dicitur 1. Tim. 4. In novissimis diebus instabunt tempora periculosa: & erunt homines se ipsos amantes; ex hujusmodi enim amore PRIVATO procedunt ista . . . Hoc est quod Religionem destruit. Quanta enim ABBATIÆ sunt & temporaliter, &*

spiritualiter destructæ, quia, relictis communibus bonis, vacaverunt multi suis propriis commodis? Et ideo bene dicitur in Psal. Singularis ferus depastus est eam, idest vineam Domini; *quia hujusmodi singularitates Religionem destruunt . . . Quia ergo tot mala sequuntur in Religione cum, relictis communibus, singuli vacant propriis, bene dicit Vir sanctus, ut omnia in unum fiant studiosius & alacrius &c.* Hanc B. Umberti doctrinam confirmant omnes tum ejusdem sæculi, tum præcedentium temporum Theologi, & Patres omnes, potissimum S. Petrus Damianus, & D. Bernardus.

VI. Immanis itaque peculii pestis florentissimam Monasticæ Disciplinæ vineam non paucis in locis exterminavit. Hanc tantæ cladis originem præ oculis habentes Mendicantium Fratrum Patriarchæ sancti severissimam præscripserunt paupertatem. Porro, quo severior est paupertas, eo exactior communitas. Ad hanc sartam tectam custodiendam conatus suos intenderunt Mendicantes omnes. Floruit hæc mirum in modum ad annum usque MCCCXLVIII. Hac tempestate, sæviente in universa Europa teterrima lue, Disciplina Monastica ultimam passa jacturam est. Absumpta enim maxima Religiosorum multitudine, & potissimum senibus, optimisque denatis Fratribus, ne Cœnobia incolis vacua remanerent, ad profitendam Religionem juvenes litteris, ac pietate destituti, nullo recipiebantur delectu. Accessit ad hæc augenda mala funestum, diuturnumque schisma, quod universam Ecclesiam dilaniabat in partes.

VII. Hæc est omnium historicorum consensione prima apud Mendicantes *invecti peculii* Epocha. Hæc tantæ corruptelæ origo. Ita testantur Nostrates omnes B. Raymundus de Capua in *tract. de Refor.* B. Joannes Dominici *in MSS. de possess. non habend.* S. Antoninus *3.part. Tit. 16.* Joannes Nyder in *tract. de Refor.* Joannes Excuria *in epis. ad Ducem Burgundiæ*. Leander Alberti I. de *viris illustribus*. Joannes Caroli *in Actis* Cardinalis Joannis Dominici, quorum textus alibi referam. Pauca nunc transcribo eorum, quæ narrat Sebastianus *Olmeda* diligens rerum nostrarum scriptor in Chronico Magistrorum Generalium O. P. Collapsam hoc tempore exactam rerum omnium communitatem describit his verbis in Actis Magis. Gen. Guarini de Giacco. „ Dira Pestis per totum Occidentem evagata multos e medio sustulit

„ vi-

„ viros, qui in Ordine doctrina, & virtutibus pollebant. Relaxato „ quoque rigore in cibo, & aliis, cessante peste, rigor ille reparari „ non valuit ex supervenientium tepiditate, temporis malitia, & hu„ manæ conditionis fragilitate, qui etiam non diu omnia in eodem „ statu permanent: & per hunc modum *Omnes Religiones claudicave„ runt a semitis suis*; adeo ut adhuc ex toto prima ruina reparari mi„ nime potuerit. Crescente quoque quæstuantium numero, & frige„ scente charitate multorum, *in tantum* COMMUNITAS ubique pe„ rierat, quod DE COMMUNI NON POTERAT FRATRIBUS „ SUBVENIRI: & quamquam multoties in capitulis injunctum fuerit „ Prioribus Provincialibus, & Definitoribus, *ut adversus* [erigant aures „ RR. Magistri] *HANC PESTEM* remedium opportunum excogita„ rent, & ad Capitulum sequens transmitterent; nullum adductum est „ adeo efficax, ut tantæ necessitati Ordinis subveniri posset. Cœpit er„ go *ætas ferrea*, dura, frigida, & vilis, quaque incude & malleo o„ pus erat.

VIII. Et quia manifesta, & evidens Epocha Relaxationis Disciplinæ Regularis, & invecti apud Mendicantes peculii, mirum in modum conducit ad causam nostram dirimendam; lubet transcribere narrationem celeberrimi inter nostrates Historici, & ab extraneis ipsis summo loco habiti P. M. Ferdinandi del Castiglio, qui *secund. Histor. par. lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 130. hæc scribit lingua Hispanica, & idiomate Italico typis edita, quæque ego nolo in latinum vertere. „ Quantunque fosse „ tanto universale la pestilenza, di cui si è fatta menzione nel capi„ tolo precedente, tuttavia ella non fu sì crudele per le vite [con „ finirle quasi tutte] come per *la osservanza Regolare*, e per la perfe„ zione della vita Monastica, che stette in punto di perdersi del „ tutto . . . . E siccome al tempo di Noè venne il Mon„ do a conservarsi in otto persone tra uomini, e femine che si „ chiusero nell'arca, morendo tutti i viventi della terra: così la perfe„ zione della vita Regolare, e la osservanza di essa venne a comprender„ si in molti pochi, i quali Iddio molto amava. E del rimanente si pro„ dusse il *Mostro*, *che chiamano i Santi Conventualità*. *Mostro composto di „ molti mostri*, *destruzione de' buoni spiriti*, *sepoltura della povertà evan„ gelica* .... E come quelli, i quali aveano preso l'abito avanti, erano per

„ la

„ la peste anco infermi, e debilitati, e come tali erano trattati in ogni „ cosa nella qualità del mangiare, ne' digiuni, ed astinenze, nel Coro, e „ negli esercizj Ecclesiastici, nelle ceremonie, nella osservanza Regola„ re, nel silenzio; ne' *Mattutini di Mezza Notte*, e nelle altre mortifica„ zioni travagliose, e penose, si ripigliavano ciò i Novizj *per legge*, e „ *non pensavano, che fosse dispensazione d' infermi*, ma professione di sa„ *ni*. E così tutti erano eguali gl' infermi, e i sani.

„ Con questo andossi la piaga stendendo, e la mal'erba s'andava da „ un anno all' altro indurandosi, e radicandosi di maniera, che in pochi „ anni *si dimenticò il rigore de' nostri primi Padri*, la santità nella quale „ ci allevarono, le leggi che ci diedero, e gli esempj che ci lasciarono : „ *E le cose antiche così si osservavano, come se non fossero state giammai*.

„ Incominciò ad introdursi certa maniera di vita, dove ciascun fa„ cea quel che più gl' aggradava, senza rispetto a legge, nè a Supe„ riore: *e di quella santa POVERTA', obedienza, clausura, orazione, digiu„ ni, e astinenze de' nostri Padri, non rimase, se non che le vesti, e „ sembiante d' essere stato*.

„ *I Frati vivevano a suo gusto possedendo robe, e vestiti proprie* O IN „ *TAL MANIERA IN COMUNE, CHE SOLO FOSSE IL NO„ ME COMUNE, E NON le cose*.

Poterat ne Historicus *Castiglio* magis graphice describere librum *Vitæ Claustralis seu Conventualis, & Communitatis nomen*, quod propugnat, pulsa rerum vera communitate? Sed nonnulla alia ex multis describamus.

„ Con gli anni andò crescendo il danno: e quando gli uomini spiri„ tuali, e veramente *Frati* vollero porvi qualche rimedio, fu loro tan„ to impossibile, che in più di dugent' anni non si finì d'estirpare la „ mal erba, perchè stava piantata non nella terra, nè nelle pie„ tre, ma radicata negli stessi cuori. E siccome i Padri, che so„ no leprosi generano i loro figliuoli con la lepra. Così i Mona„ chi allevati in quella vita l' attaccavano a i figli, che riceve„ vano nell' Ordine, ed a quelli, a' quali davano l' abito. E così „ di mano in mano, di Convento in Convento, di Provincia in Pro„ vincia s' andò attaccando la *Conventualità, se non a tutti, almeno alla „ maggior parte*.

IX. Lopez, qui historiam a Castiglio incœptam persequutus est ad annum

num usque 1613. eadem de peculii, & relaxationis Mendicantium origine scribit. In Præfatione ad 3. *part.* duo prodigia narrat, quæ horrorem incutere deberent summum Nummicolis. Referam verba ejusdem Lopez.
„ Il Miracolo, che successe in Bologna al Sepolcro di S. Domenico chi
„ non lo sa? Uscì una voce &c. *Neque ego Pater, neque voi filii*, il che
„ fu principio della Riforma di quel Convento. E il caso del Crocifisso di
„ Zamora è molto pubblico nella provincia di Castiglia: perchè stando
„ uno de' Riformatori in Orazione, e pregando Iddio che l'ispirasse quel-
„ lo, che aveva a fare, li parlò il Crocifisso e disse: *Reges eos in virga*
„ *ferrea*. Sappi che la durezza della rilassazione *ha bisogno di un bastone*
„ *di ferro* per ridurre quelli, che in essa vivono, al debito segno. Sono
„ questi due casi, l'uno celebrato e noto in tutto l'Ordine, e l'altro al-
„ meno in tutte le Provincie di Spagna „ Audistin' R. Magister Claustralis? *Baculo ferreo*, non calamo opus esse refert Lopez, ut animi in Relaxationis luto hærentes ad peculium abigendum, suscipiendamque reformationem excitentur.

X. Et ut innumeros alios omnium Ordinum Scriptores prætercam, unius tantum auctoritatem adjiciam P. Vincentii Fontana O. P. qui tum in *tract. de Reform. Ord. pag.* 548. tum in sua *de Romana Provincia* Opere pag. 12. hæc scribit. „ Anno autem reparati Orbis 1348. mortalium culpis
„ exigentibus sævissima pestilentia exorta, ex Ordine Regularem obser-
„ vantiam fugavit .... Cum vero Cœnobia adeo desolata essent, ut Or-
„ do unusquisque crederetur pene extinctus, ex incauta noviter recepto-
„ rum multitudine, *relaxationis obedientiæ, proprietatisque vitia in Ordi-*
„ *num omnia Cœnobia irrepsere .... Unde fugatis jejuniis, eliminatis vigi-*
„ *liis, violata paupertate, silentiisque exilio pulsis, carnes per refectoria ex-*
„ *currere, atque dissolutiones undique emicare videbantur* „. Plurima alia rescribere possem. Sed hæc pauca sufficiant ad labefactanda illa duo horrenda errorum portenta, quæ evulgare ausus est Author *Vitæ Claustralis*. Alterum: Peculium omni ætate sub ipsis Apostolis, & omnibus Sacrorum Ordinum Patriarchis obtinuisse. Alterum: *Si aliqua apparet diversitas* (inter Fratres Claustrales collapsæ Disciplinæ, & Fratres exactæ communitatis) *penes majorem, minoremve Prælatorum indulgentiam TOTA se tenet*. Calamo P. Magistri *Castiglio*, & baculo ferreo P. Magistri Lopez opus esset ad hoc monstrum profligandum.

XI.

XI. Habes heinc manifestam apud Mendicantes originem tum privati peculii, tum universæ Disciplinæ relaxationis. Sequiorum temporum Capitula Generalia haud potuerunt diram hanc peculiorum corruptelam penitus & ubique evellere. Sed quemadmodum numquam defuere exactæ communitatis cultores, ita semper abundarunt Nummicolarum cœtus. Heinc est, quod plura Comitia Generalia quinti decimi, & sexti decimi sæculi, necessitate urgente, deposita privata *in determinata quantitate*, *ad certum usum*, *ad breve tempus*, *idest ad mensem*, permiserunt privatis Fratribus, ut vestitum sibi compararent, manibus tamen officialium. Quæ capitula ex supina historiæ ignorantia nobis objiciunt RR. Magistri, ut *diram peculii pestem* defendere pergant. Remedium, quod pro temporum calamitate Patres nostri præscripsere, tanquam legem absolutam nobis in præsentia obtrudit Magister noster. Unica causa permittendi peculii tot conditionibus circumscripti, fuit tempore illo tum obfirmata plurium Claustralium in relaxatione voluntas, tum necessitas victus & vestitus, ut omnes testantur Historici. Cæterum, ut vel per transennam ad incitas redigam Adversarios, quæro ab illis, obtineat ne præfatarum conditionum observantia, *temporis brevitas*, idest *mensis* spatium: *parva quantitas*, & definitus usus peculii? Constitutiones, quas professi sunt Magistri nostri, *proprietarios* declarant illos, qui has conditiones transgrediuntur. Edisserant, transacto illo brevi tempore, quo ad determinatum quempiam usum peculium permittitur, teneantur ne Fratres exactam servare communitatem? Nisi communitatis præceptum gravissimum esset, quod præceptum gravissimis verbis inculcatum sub initium Prologi, præscriberent ne tam arcta peculii confinia? Verum plura de hoc suo loco. Primi qui adversus Mendicantium peculii corruptelam calamum acuere, fuerunt Joannes de Neapoli, Joannes Nyder, Theologi Cistercienses in Concilio Constantiensi, Alvarus, Pelagius, Theodoricus de Monasterio, Joannes Gersonius, Joannes Dominici, Joannes Turrecremata, D. Antonius, Joannes Trithemius Dionysius Carthusianus. Ex his Auctoribus, qui omnes uno, aut altero excepto, non obiter, sed ex instituto causam & communitatis exactæ, & peculii privati versarunt, colligi potest quænam fuerit Theologorum mens, ante Concilium Tridentinum. Ex Canonistis antiquis, qui in favorem peculii citari solent, nemo unus spartam hanc ex professo versarunt: sed pro temporum qualitate licitum dixe-

runt

runt usum peculii necessitatis causa, secus absolute, & causa gravi sublata.

XII. Tandem, quod Generalia Capitula Mendicantium præstare, sive Prælatorum incuria, sive Religiosorum reluctantia, nequiverunt, executioni demandarunt Concilii Tridentini Patres, qui novo severissimo præcepto jubent, perfectam illam instaurari communitatem, quam & Regulæ omnes præcipiunt, & Regulares omnes longissimo sæculi cum dimidio intervallo exacte coluerunt. Vetantque Superioribus, ne usum peculii cuiquam fratrum concedant. Facultatem insuper illis fecerunt fundos, & redditus in communi possidendi, tum propter gravia mala, quæ ex quæstuantium multitudine, & vagatione emanabant, tum ut prætextum adimerent retinendi peculii privati, propterea quod Conventus non possint ob defectum redditutum omnia de communi porrigere. Ex hoc tamen quod Concilium privilegium indulsit prædia, censusque retinendi in communi, non idcirco rigorem minuit paupertatis Mendicantium: Quæ, nisi mendax est nomen istud, major sit oportet, ut docent omnes, quam paupertas Monachorum.

XIII. Quæ hactenus obiter de peculii apud Mendicantes Fratres origine delibavi unanimi omnium Ordinum historicorum consensione, nemine repugnante, certissima sunt. Hæc prima corruptelæ peculii epocha nulli est disputationi obnoxia. Corruit ergo seipsa *Vitæ Claustralis* Machina. In fumum occidit *Traditio* illa *pecuniaria* cujusque sæculi. Quatuor circiter sæculorum intervallo vel in communi licitum Mendicantibus haud fuit census vitalitios retinere: & RR. Magistri hos redditus privatis tribuere Fratribus haud quaquam reformidant? Sibi religioni minime vertunt tantam imprudentiæ, ne dixerim stultitiæ labem Sanctissimis Patriarchis affingere, quasi prohibuerint illi census vel in communi retinendos, ut singuli Fratres peculiarem suam haberent ex Prælatorum venia crumenam? Contemptis Regulis, aut vi summa in prava sensa detortis, nonnulla Comitiorum statuta, quæ aut permittunt mala quæ auferri nequeunt, aut, necessitate urgente, concedunt quæ absolute illicita sunt, tanquam Canones absolutasque leges obtrudunt? Verum cum de his omnibus infra recurrere sermo debeat, ab iisdem supersedeo.

XIV. Duo verba in Operis titulum: *Vita Claustralis*. In defensionem illius tituli hæc scribit Author pag. 2. „ Et ne amplissimo *Vitæ Claustralis*

Digitized by Google

„ Titulo plura polliceri videar, quam revera traditurus sim, spartam „ hancce ita adornabo, ut liber ejusque inscriptio *utcumque* congruere „ deprehendantur „. Bene habet. Si Historicos omnes O. P. consulamus, nullus unquam liber prodiit in lucem aptiori inscriptus Titulo. Historici quippe nostrates, & ipsa Generalia Comitia nomine *Vitæ Claustralis* seu *Conventualis* vitam intelligunt relaxatam, deviam ab observantia regulari: Vitam peculio privato instructam, vitam, quæ jejunia, silentia, abstinentiam a carnibus, communitatem rejicit ut Phantasticum Prælatorum rigorem. Ne longior sim, lege Fontanam *Const. Ord.* Verbo *Reformatio* Ordinis pag. 574. *Ut autem eadem Regularis Observantia in toto Ordine, prout in multis Provinciis introducta fuerat, stabiliretur, sub P. F. Thoma de Vio Cajetano Mag. Ordinis mandatum fuit omnibus Superioribus, ut Fratribus in COMMUNI DE VICTU, VESTITU, AC OMNIBUS ALIIS NECESSARIIS provideretur &c, Et Superiores, qui hoc non adimplevissent, tanquam ORDINIS DESTRUCTORES haberentur*. Quid de Magistro Vitæ Claustralis, seu Conventualis dicendum, qui libro typis edito docet hanc exactam communitatem arbitrariam esse? Eversor ne Ordinis, an instaurator nuncupandus? Pergit Fontana pag. 576. *Cum autem etiam in aliquibus Conventibus nondum fuisset revocata in pristinum vigorem, in Capitulo Generali Romæ* 1569. *sub Reverendissimo P. F. Vinc. Justiniano celebrato, mandante Sanctissis. ac Gloriosiss. Pontifice nostro Pio V. interdictum fuit illis novitios ad habitum & Professionem recipere, prout habetur ibi Cap. DE CLAUSTRALIUM, seu CONVENTUALIUM Reformatione*. Item pag. 97. *Fuit in præfato Capitulo CLAUSTRALITATIS Pestis &c. Pro extirpanda igitur hac zizania Patres in Generalibus Comitiis Romæ* 1569. *habitis, Sanctissimi Pontificis Pii V. nostri Ordinis nobilis germinis Decreto ab EISDEM CLAUSTRALIBUS recipiendi Novitios ad habitum & professionem facultatem amoverunt*. Lege eumdem P. Fontanam par. 2. pag. 49. Verbo Provincia Lombardiæ, de qua inquit, *Denunciamus S. D. N. Clem. Papam VII. Congregationem utriusque Lombardiæ extinxisse & erexisse in Provinciam utriusque Lombardiæ REFORMATAM*. Lege Castilium, Pio, Modestum Biliochum in suo Chronico MSS. servato in celebri Conventu Fiorentino S. Mariæ Novellæ, & quotquot de rebus Ordinis scripserunt. Cardinalis Cajetanus 2. 2. q. 189. a. 5. inquit. *Regulares relaxati*

Digitized by Google

xati vulgo Conventuales seu Claustrales appellantur, quo fit, ut reformandi numquam reformari possint. Quid, quod vel ipse Dionysius Carthusianus Opusculum suum adversus peculium, inscripsit: *De Reformatione Claustralium*, quia nomine *Vitæ Claustralis* disciplinam intellexit relaxatam. Nullus dubito, quin alio titulo donasset opus suum eximius adversarius, si, omissis *Therapeutis*, sui Ordinis, & aliorum Mendicantium Historicos consuluisset: Nisi dicamus, voluisse illum propugnare pestem illam *Claustralitatis*, quam omnes præfati Historici deplorant.

XV. CONSECTARIUM. Planum ergo compertumque, *Vitam Claustralem*, quam suo operi impressit P. Magiller, vitam illam esse *Conventualem*, quam describunt Castiglio, Fontana, cæterique Historici nostri. Siquidem *Vita Conventualis* seu *Claustralis* & *relaxata* ea est, quæ respuit exactam communitatem, quæ peculia privata retinet, quæ sub umbra dispensationis Prælatorum, carnibus fere quotidie vescitur, jejunia frangit, silentia negligit, mollibus vestitur &c. quæ denique diversitatem observantiæ a relaxatione legum *totam se tenere penes indulgentiam Prælatorum* effutit. Quid ergo agendum de libro istius *Vitæ Claustralis*? Scribit Castiglio *loc. cit. pag.* 131. *Che se si lasciassero crescere queste ortiche e mal erbe della Conventualità* [o sia vita claustrale] *nella Religione, in due giorni si farebbero alberi, ne' quali nè scurre di ferro, nè fuoco elementare, nè artificiale potrebbero farvi taglio alcuno, o segno senza miracolo.* Flammis ne ergo devovendus liber sit, qui velis remisque hanc fovet *Conventualitatem*, & *Claustralitatem*, cæteri videant. Nec dicat adversarius, se Titulum *Vitæ Claustralis*, eo sano in sensu usurpasse, quem excipere potest, & in quo usurparunt alii; quoniam duo obstant. Primum, quod homo, qui septem Dissertationibus vel ipsas quisquilias præfati nominis explicat, duplicem Tituli libri sui sensum, quem apud Historicos obtinet, exponere debuisset. Alterum, quod revera, ut ostensum est, doctrina contenta in libro evincit nomine *Vitæ Claustralis* non aliud significari, nisi *vitam illam Claustralem, & Conventualem*, quam omnes Historici nostrates detestantur,

Digitized by Google

CAPUT XIII.

CALUMNIA TRIPLEX *Disciplinæ Apostolico Monasticæ Authori impacta : Altera Rigorismi : Altera, quod infamaverit omnes collapsæ Disciplinæ Claustrales, damnatos illos asserendo. Tertia, quod Authorum textus truncaverit.*

I. PRima Rigorismi calumnia vel in ipsa ad Disciplinam Apostolico-Monasticam Præfatione §. *IV. n.* 17. præoccupata, penitusque labefactata est. Alteram damnationis omnium Claustralium collapsæ Disciplinæ fusiore calamo confutatam, legere quisque potest in eadem Disciplina *Dissert. IV. cap. XI. XII. & seqq.* Nihilo secius eamdem recoquere crambem RR. Magistris *Vitæ Claustralis*, & *Vindiciarum* placuit. Afflictam causam, quam defendere aggressi sunt, rationibus fulcire cum non potuerint, commentis vanis, dicteriis, calumniisque eam sustinere pervetusta arte tentarunt. Quæ hoc in genere commentus est Professor Regius *Vindiciarum* Author, in ultima Dissertatione repellentur. In præsens Magistri *Vitæ Claustralis* imposturas propulsabo. Is singulis fere paginis Adversarium suum severissimum *Aristarchum*, tetricum *Rigoristam* appellat. Vel in ipso præloquio ad secundam sui Operis partem hæc scribit: *Non desunt hac nostra ætate, qui eam* [Paupertatem Evangelicam] *altius extollere studentes ad tot talesque angustias redigere moliantur, ut non suavissimum Clementissimi Dei Consilium, sed gravissimum immisericordis Tyranni jugum a nemine ferendum videatur. Inter hos rigidissimos Aristarchos primas tenet ex nostratibus Daniel Concina.*

II. Principio ab eo quæro, quo in sensu *suavissimum sit Consilium* illud, quo Clementissimus Deus nos hortatur, ut, terrenis honoribus, divitiis, dignitatibus, amicis, parentibusque contemptis, in ea paupertate Christum nudi sequamur, quæ ab alterius nutu provisionem expectat? Consuluit ne ille unquam Patres super istius *suavitatis* sensu? Clamant illi omnes, *suave* jugum Christi dici, quod charitatis illitum unctione sit, cœlestique perfusum gratia. *Suave*, quod *omnia* distribuere pauperibus jubens, ab omnibus terrenis curis liberat, expeditosque celeriores efficit

ficit ad iter Cœleste. Hic vero novus Scripturarum interpres *suave* & *leve* illud vocat, quod *reservato censu vitalitio*, crumenis redimitum sit, & pecuniis: quod solatia, oblectamenta, ludos, honestasque delicias Prælatorum dextera impertiatur. Næ novum *suavitatis* Evangelicæ inventum? Qui aliter sentit, immisericors Tyrannus est. Sed ultra pergamus.

III. Si Daniel, ut ille dicit, ex nostratibus inter *rigidissimos Aristarchos* primas; quis, amabo, ex iisdem secundas tenet partes? Eccur rigidissimus Aristarchus? Ideone, quod Census vitalitios, pecunias prædicatione, lectione, & quoquomodo conquisitas non servandas in loculis privatis, sed in communes Fratrum usus convertendas doceat? Ideone Rigidissimus Aristarchus, quod damnet peculium retentum ad solatia, ad oblectamenta, ad ludos, ad supellectilem argenteam parandam? Quod continuatas transgressiones, jejuniorum, abstinentiæ, silentii: quod vanum vestitum, indusia linea, cæterasque id genus observantiæ Regularis deformationes execretur? Ubi ergo Adversarii *Rigorismus*? Non ne centies testatus ille est, iterumque testatur, se communem omnium Patrum, Theologorum, Canonistarum, atque adeo Ecclesiæ doctrinam propugnare? Quid est ergo, quod nullibi allegare Claustralis noster potuerit ex ipso unicam propositionem, aut nimii rigoris fuligine tinctam, aut suæ protestationi adversam? Causam afferat, cur tetram illi *Rigorismi* notam impegerit? Respondet *loc. cit. Causam inquirere, quam ob rem id fecerit vir ad pietatem, ut ipse de se ait, & mansuetudinem natus, supervacaneum*. Prius factum ostendendum erat, deinceps facti causa inquirenda.

IV. Cæterum si Magister noster supervacaneum reputavit *rigoris*, non quam adversarius docuit, sed quam ille confinxit, causam inquirere, ego in rem meam fore arbitror, cur tot ille cuderit errores, quos propriis ipsius verbis transcriptos dedimus, investigare. Veniam lector dabit, si brevi diverticulo illum detineam. Causa cur Authores aut laxiori in morum Regulis, aut rigidiori insistant viæ, a sola Critica arte arcessere nunc velim. Quoniam tantum in ejusmodi facultate sese excellere demisse fatetur P. Magister noster, ut & suam *Vitam Claustralem* inscripserit rubris characteribus *Opus Criticum*, & in ejusdem litterariis nuntiis modestissime sequentia lingua vernacula repetit. „ Che però sti-

„ mo

„ mo bene di farne avvisato il pubblico , sperando riescirà di comune „ aggradimento sì a' Teologi, che ad ogni Letterato : *perchè oltre una* „ *sola dottrina ec. .... ella è* [la Vita Claustrale] *altresì ripiena di eru-* „ *dizione, e buona Critica* „ Age porro ab hac exquisita Critice , qua plenum , & redundans asserit opus suum , conjecturas repetamus , cur aut ille in extremum Rigoris, aut iste in extremum laxitatis declinaverit? Quid itaque causæ est, cur *Disciplinæ Apostolico-Monasticæ* Author plus justo severiorem doctrinam evulgaverit? Forsitan, ut pro domo sua oraret, ut suæ crumenæ caveret, ut lautius viveret, splendidiusque vestiret? Forsitan, ut lauream aliquam sibi compararet, ut a Claustralibus gratiam iniret, ut gloriolæ auram captaret? Hæc, inquis, laxandæ, non arctandæ doctrinæ momenta. Quænam ergo Rigorismi illicia? A Rigore natura abhorret. Rigor non populi plausum , non divitum favorem , non potentum præsidium , non multitudinis obsequium; sed odium, invidentiam, atque maledicta parit. Cujus rei Claustralis Author callentissimus præfatam rancidulam *Rigorismi* notam in adversarium suum intorsit, ut hac saltem via colligeret de hoste triumphum. Accedit quod ille , non secus ac iste, eodem paupertatis vinculo obstrictus , sua intererat Monasticæ Paupertatis severitatem delinire. Quid contra, si, qui pro *peculio* sarto tecto custodiendo stylum acuunt , reapse propriam orarent causam, & inter nummos scriberent? Quid, si pro ædiculis duplicatis tanquam pro aris, focisque decertarent? Quid , si ut ludos pecuniarios , ut supellectilem argenteam propugnarent, ut selectiora fercula ligurirent, ut illecebris dignitatibusque assequendis indulgerent ? De ejusmodi Authoribus scriberet Hieronymus: *Delicatuli Magistri, qui pleno ventre de jejunio disputant. Accusare avaritiam & latro potest , paupertatemque formosuli & thoresuli laudare.* Consulat Reverendus Pater artis Criticæ Regulas : revolvat Eruditorum omnium scripta. Nullibi inveniet, qui asserat optimum istius Controversiæ Judicem esse illorum aliquem , qui , crumena lateri affixa, scribillat, qui inter nummos, & solatia de Christi paupertate disputat. Solius optimæ critices regulis nullius auctoritatis esse evincitur innumeros, qui de peculio paginas [illegible]re, quod aut partium studio, & propriæ commoditatis cupidita[illegible]nti, aut imperitia obducti, laxius quam par erat scripsere. Ita [illegible] Theologiæ, tum critices principiis,

Digitized by Google

piis, etiamsi aliunde deessent argumenta, evincitur te laxa, non vero Adversarium tuum rigida, docuisse.

V. Altera calumnia, quod Disciplinæ Apostolico-Monasticæ Author infamaverit, æternæque damnationis reos postulaverit omnes collapsæ Disciplinæ Claustrales, omnium est atrocissima. Et tamen singulis paginis ambo Magistri *Vitæ Claustralis*, & *Vindiciarum* vociferantur, præfatum Authorem Claustrales laxioris Disciplinæ in totius mundi odium, contemptionemque pertrahere, & ad tartara detrudere omnes. Illorum Textus prætereo, quia singulis, ut dixi, paginis occurrunt. Si vera, quæ illi scribunt, essent, nemo Authore *Disciplinæ Monasticæ* dementior, nemo sceleſtior. Si falsa, nulla atrocior criminatio. Verum quod omnes admirationis limites transilit, est, quod Author *Disciplinæ &c.* hanc præoccupavit calumniam, illamque fusius labefactavit. Istud quippe criminationis genus laxis Claustralibus familiare fuit semper. Hoc telo lacessiti fuere Benedictus, Petrus Damiani, Bernardus, Nyder, Trithemius Carthusianus, cæterique Monasticæ disciplinæ assertores, & Vindices. Quare vel in ipsa Præfatione ad Disciplinam Apostolico-Monasticam S. Bernardi responsum ad hanc calumniam transcriptum legitur hoc pacto: *Non adversus Ordinem, sed pro Ordine disputare putandus ero. Non Ordinem in hominibus, sed hominum vitia reprehendo. Et quidem diligentibus Ordinem in hac re molestum me fore non timeo: quin immo gratum proculdubio accepturi sunt, si persequimur quod & ipsi oderunt. Si quibus vero displicuerit, ipsi se manifestant, quia Ordinem non diligunt, cujus utique corruptionem & vitia damnari nolunt &c.*

VI. Data opera objectum crimen diluitur in præfata Disciplina Apostolico-Monastica Dissert. IV. quinque integris capitulis, nempe XI. XII. XIII. XIV. & XV. sub initium capitis XI. hæc præmittuntur. „ Unius præ alio damnatio Mysterium est cujusque creatæ mentis „ aciem fugiens. Omnes eadem versamur in navi, hinc scopulis, il- „ linc fluctibus exposita: quinam naufragium passuri, quinam portum „ arrepturi, arcanum est, nobis impervium, solique increatæ Sapientiæ „ referatum. Tantum supplicii de quoquam vel ominari, nedum certo „ statuere, humanitas ipsa refugit, horret, detestatur. D. Franciscum „ Salesium adeo circumspectum cautumque hoc in negotio fuisse ferunt, „ ut neque Calvinum ipsum Hæresiarcam certo damnatum esse asserere

„ vel-

„ vellet, eo quod perspectum haud ei esset, an extrema in lucta internum aliquem pœnitentiæ fructum edidisset .... Itaque, ne quid temere, ne quid arroganter, impudenterque calamo excidat nostro in tam salebrosa difficultate, ad Scripturarum in primis, ac Patrum authoritatem confugiamus &c. „ Legantur integra quinque capita. Legantur sequentia consectaria, quibus universa doctrina illius Operis paucis perstringitur, & sub uno oculorum aspectu proponitur.

CONSECTARIUM I. pag. 203. Discipl. Apost. Monast.

„ Regulares Disciplinæ collapsæ, qui *reformari recusant*, maxima in parte crimine proprietatis infecti sunt, & in extremo damnationis æternæ periculo versantur, tum quod peculii Monastici necessarias conditiones non servant, tum quod deliberato animo persistunt in necessitate, quam vocant *consequente*, violandi legem communis vitæ, quæ vel essentiam voti paupertatis Monasticæ, ut ego quidem arbitror, ingreditur, vel gravissimo præcepto, ceu medium in practica executione cum eodem voto connexum ab omnibus Regulis Monachalibus, Conciliis, & Pontificibus imperatur, cui proinde communitati lege a peccatum lethale absolute obligante obstricti sunt Regulares, ut omnes Theologi fatentur. Quoniam si Regulares secundum majorem partem revera sincerum haberent, quem jactant, animum deponendi peculia, & communitatem introducendi, quantum per eos stat; tandem aliquando obedirent Regulæ, obedirent Pontificibus Summis, obedirent Ecclesiæ, communitatem, quam præcipiunt, acceptando, & peculia, quæ vetant, abigendo. Nec pauci refractarii optatum finem, effectumque remorari possent. Quandoquidem major pars prævaleret „.

CON-

CONSECTARIUM II. pag. 203. Difcipl. Apoft. Monaft.

„ In Religionibus collapfæ Difciplinæ reperiuntur Religiofi aliqui, „ qui votum paupertatis fervant, qui *pietate*, *obfervantia Monaftica*, „ *charitate*, *& fanctitate fulgent*. Quoniam ifti non fponte, & libere „ in occafione perfiftunt hábendi peculium, & violandi five præceptum, „ five votum communitatis; fed ferventi fpiritu communitatem, & „ univerfæ Difciplinæ reformationem optant, inhiant, & prout eorum „ fert conditio procurant, manufque ad id, data occafione, porrige„ rent. Neceffitate alendæ induendæque naturæ coacti moderatum po„ culium quandoque retinent; fed fublevata indigentia, qua premun„ tur, fi quod fupereft, totum communitati immifcendum tradunt. „ Paupertatem reipfa feveriorem, quam iimetipfi, qui in communi vi„ vunt, experiuntur tum in victu, tum in veftitu. Pauci tamen ejuf„ modi funt, ut experientia didici, & rationes evidentiffimæ demon„ ftrant. Quoniam fi multi forent, pulfis peculiis, communitatem, „ quin & Regulæ, atque Conftitutionum obfervantiam inveherent: „ fed quia pufillus eft grex, multitudine opprimitur. Pauci ifti vel „ ob infirmitatem, vel alia impedimenta ad Provincias, feu Congre„ gationes reformatæ Difciplinæ tranfire nequeunt. Idcirco in occafio„ ne, non libera, fed neceffaria tranfgrediendi legem communitatis de„ tinentur, quæ tamen tranfgreffio, quia minime libera, culpa caret„. Lege integrum *Caput XI. Differt. V.*

CONSECTARIUM III. pag. 204.

„ Ex his duobus præviis confectariis fponte fluit tertium, videlicet, „ inane, & commentitium effe fpectrum illud, quod objiciunt, ex no„ ftra fententia confequi, omnes Regulares laxatæ Difciplinæ continenter „ peccare & in ftatu effe damnationis: fiquidem femper aliquos ex hoc „ numero exemi. Quid eft itaque, quod feveri cenfores carpere, aut vel„ licare aufint? „ Lege quæ ibique latius fcripta funt.

VII. Facta cum factis collata funt. Colligat hinc lector qua fide, qua ho-

honestate æternæ salutis negotium agatur. Dum veritas, & ratio desunt, dicteria substituuntur, & calumniæ. In tam gravi causa tam aperte imponere? Ubi in tota quanta est Disciplina Apostolico-Monastica verbulum aliquod vel oblique indicans, Regulares OMNES laxioris Disciplinæ damnatos esse? Quin, in qua fere pagina opposita non traditur doctrina? Non ne loco primi principii in hac materia ibidem habetur istud? In Paupertatis Monasticæ voto mutuus continetur contractus Religionem inter, & Religiosos: Hi omnia sua tum præsentia, tum futura Religioni renuntiant: Hæc illis victum, & vestitum promittit: Si Religio fidem frangit, aut impotentia, aut alia causa provisionem necessariam subditis non impertiendo; isti jure naturæ victum, & vestitum comparare sibi valent. Principium hoc centies repetitum est. Quid est ergo in universo illo Opere censuræ obnoxium? Forsitan quod improbentur peculia expendenda in ludis, in solatiis, in lautis dapibus, in supellectili argentea? Forsitan, quod Author docuerit, Regulares qui reformationi exactæ communitatis resistunt, qui peculiis absque vera necessitate utuntur, ut cupediis, deliciisque indulgeant, ut marmoreas aras nobilesque capellas erigant, in gravi damnationis versari periculo? Forsitan quod docuerit, paucos esse, qui in Conventibus deformatis votum impleant paupertatis? Hæccine spongia eruditorum egent? Istorum ergo spongia Magistrorum egebit Christi Oraculum: *Pauci electi*. Quid? Non ergo licitum erit futuræ damnationis periculum denuntiare legum, votorumque violatoribus? Non ne omnes Theologi docent, Regulares resistentes vitæ communi in malo esse statu? Quid aliud docet Author Discipinæ Monasticæ?

VIII. Heinc nemo non videt quam sit futilis argumentatio illa, qua vociferantur: Numquid omnes Patres nostri damnati? Numquid omnes reprobi? Cedo. Quid præsidii attulisset hæc vestra argumentatio, quam ubique jactatis, & a sæculis jactaverunt Nummicolæ omnes universo humano generi diluvii aquis demerso? Quid responsi dedissetis, si universi homines exclamassent: Numquid nos omnes, sola Noemi familia excepta, naufragio peribimus? Quid si Populi Pentapolitanæ Regionis exclamassent: Numquid nos omnes, sola familia Lothi incolumi servata, incendio peribimus? Quid si exclamassent Hebræi ab Ægypto egressi: Numquid nos omnes in itinere morte confecti jacebimus, duobus tantum

tum Josue & Chaleb terram illam fluentem lacte & melle ingredientibus? Et quod propius ad rem nostram accedit: non ne omnes *Proprietariorum* coriphæos damnatos legimus? Acham Filius Charmi cum universa ejus familia lapidibus obrutus interiit, quod pallium coccineum, aurum, argentumque peculatus sit. Giezi cum universa progenie sua lepra mulctatus fuit, quod munera a Naaman Syro, inscio Elisæo, acceperit. Judas, quia loculos privatos habuit, & communia sibi appropriavit, & Christum vendidit, & suspensus laqueo crepuit. Ananias & Saphyra repentina morte plexi sunt, quod censum vitalitium sibi reservarunt. Quid, quod Christus illis, qui clamabant: *Domine si pauci sunt qui salvantur?* hoc exhibet responsum. *Ipse autem dixit ad illos: contendite intrare per angustam portam; quia multi dico vobis quærent intrare, & non poterunt*. Per angustam abstinentiæ, jejuniorum, paupertatisque. Nam per latam cupediarum, commoditatum, sorbitiuncularumque ad Tartara properant.

IX. Enixe te rogo Lector, ut legas quinque integra capita *Dissert. IV.* Disciplinæ Apostolico-Monasticæ, ubi hoc perniciosum sophisma: *Numquid damnandi sunt omnes Monachorum & Regularium Ordines*, penitus contritum, & quam sit ineptum ac omnino futile invenies. Quippe cujusque ætatis Patres & Theologi illud ut seductionis commentum repulerunt. *Quam vero*, inquit ex Basilio Theodoretus, *multitudinem mihi prædicas? Multitudine mendacium defendis? Hinc mali vim declarasti; quo enim ad plures malum pertingit, eo major est calamitas*. Quid, exclamat celeberrimus Joannes Nyder, *Auctoritatem præcedentium Patrum in suo Ordine allegant qualiter vixerunt, ut vivunt ipsi? Respondetur, quod aut loquuntur de primis sui Ordinis Patribus, aut de Modernis transgressoribus. Si de primis, quod non credo, quia alias loquentes ut Judas perfidi, eisdem datum responsum a Christo mererentur accipere. Nam Judæi Christo Primo Reformatori resistentes dixerunt*: Pater noster Abraham est. *Quibus respondit Christus*: Si filii Abrahæ estis, opera facite Abrahæ. . . . . . *Si autem pro se allegaverint Patres suæ Regulæ & Statutorum transgressores, Responsum accipiant tales Philosophi dicentis, quod multiplicare inconvenientia non est solvere argumenta: & uno dato inconvenienti, multa sequuntur: errorque pravus in principio, in fine maximus erit. Lugeant potius talium filii pro Patribus, dicentes cum Jeremia*: Patres no-

ſtri peccaverunt & non ſunt : & nos iniquitatem eorum portamus *& eum Pſalmiſta: peccavimus cum Patribus noſtris, injuſte egimus, iniquitatem fecimus*. Quid vociferantur, ſubdit Alvanus Pelagius, quod *omnes quaſi Religioſi ſic vivunt cum ſua proprietate permiſſa? Reſpondeo cum Auguſtino, quod non minus ardebunt, qui cum multis ardebunt : & multi ſunt vocati, pauci vero electi*. Qui plura avet, legat loca citata.

X. Sed paulifper ad RR. Magiſtros calamum converto. Edicant, amabo, quid reſponſi exhibeant e ſuggeſtis conciones habentes Chriſtianis omnibus, qui hoc ipſum commentum opponunt, dum eorum pravæ conſuetudines improbantur. Nonne, & ipſi clamant: Numquid omnes Chriſtiani peribimus? Quibus ſimilia reponuntur : *Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum aequieſces ſententiæ, ut a vero devies*. Exod. 23. Nonne exclamatur? *Interveniente tempore, & convaleſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt*. Sap. cap. 5. Nonne Jeremiam improperantem inducunt? *Leges populorum vana ſunt*. Cap. 10. Quid ſi referre vellem Patrum oracula, quæ illipſi eiſdem Chriſtianis objiciunt? S. Eucherius *ad Val. Conſenſere jura peccatis, & cœpit licitum eſſe quod publicum eſt*. Cyprianus Epiſtola *ad Donatum*. *Invadens omnia conſuetudo pro lege obſervatur*. Auguſtinus *lib. de decem chord. cap.* 4. *Non prævaleat evangelio neque privilegium Nationum, neque patrocinium perſonarum*. Quid Patres refero? Ethnici ipſi commentum iſtud explodunt. Audite Senecam lib. de vit. beat. cap. 2. *Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum peſſimi turba eſt. Quæramus ergo quid optime factum ſit, non quid uſitatiſſimum*. Et epiſt. 58. *Recti apud nos locum tenet error, cum publicus factus eſt*.

XI. Tertia calumnia, quod Diſciplinæ Apoſtolico Monaſticæ Author truncaverit textus ab ſe allatos, non eſt cæteris mitior, nec minus a veritate remotior. Leges ipſæ Civiles ut mendaces illos damnant, & ut effrontes calumniatores declarant, qui proximo delictum impingunt nulla adducta probatione. Omnium documentorum, quæ in præfata Diſciplina allata ſunt, nec unum deſignare potuerunt RR. Magiſtri minus ſincere allatum. Illos provoco, ut vel unicum textum truncatum prodant. Hanc criminandi artem mutuati ſunt ab Authore libelli inſcripti: *Difeſa della Diſſertazione ec. contro il Libro della Quareſima*

sima Appellante. Iste quoque P. *Defensor* truncatos in materia jejunii, quemadmodum isti in peculii Monastici causa falsatos textus,obiectabat. Verum quemadmodum illius *P. Defensoris* imposturæ integra Dissertatione Apologetica, secundo tomo *Historia Probabilismi* inserta, propulsatæ sunt, & Defensor ipse truncatorum textuum reus apparuit : ita utriusque Magistri criminationes infra *Dissert. IV.* repellam, & Magistros ipsos Authorum textus interpolasse evidentissime demonstrabo.

CAPUT XIV.

Utriusque Magistri Claustralis, & Vindicis *Antiprobabilismus cum eorum laxis opinionibus comparatus.* Aut Vitam Claustralem & Vindicias, *aut Antiprobabilismum retractent necessum est.*

I. AMBO RR. Magistri gloriæ sibi vertunt & Religioni in duarum opinionum conflictu probabiliorem amplecti. Ambo Probabilismum diris devovent, ut laxitatum omnium scaturiginem vitiorumque sentinam. Sub examen ergo vocare juvat utrum in propria causa reapse Probabiliori sententiæ adhæreant. Et ut Disputationi sit locus, hypothesim formare lubet. Admittere velim ipse Patriarcharum Regulas, Conciliorum Decreta, Pontificum Constitutiones non ita luculenter exactam rerum communitatem, peculio pulso, imperare, ut evidens inde consequatur demonstratio, sicuti consequi infra evidenter ostendam. Factum saltem negare RR. Magistri nequeunt, videlicet, Theologos plurimos & Canonistas tum antiquos, tum Recentes, quin graviores ipsos Probabilistas peculii opinionem improbare. Admittant quoque oportet, nisi adimere sibi & rationem, & sensum communem velint, opinionem, quæ peculium defendit, libertati, & cupiditati, oppositam vero sententiam legi, Scripturæque favere. Ergo hæc præ illa probabilior. Aut itaque hanc, illa rejecta, amplectantur, aut Antiprobabilismum respuant necesse est.

II. Magister *Vitæ Claustralis* uno *salitro*, inquit, se hanc eludere argumentationem. Quippe peculium a Christo propositum contendit, in Apostolico Collegio concessum, a Sanctissimis Patriarchis in suis Regu-

gulis indultum, omni ætate, omni fæculo, florente Monastica Disciplina in Claustris obtinuisse, Conciliorum, & Pontificum authoritate approbatum. Si dicamus hæc esse deliria, & errorum portenta, uti probatum est supra, non propterea ille de sententia decedet sua. Quid itaque cum homine agendum, qui meridianæ luci oculos claudit, qui communi repugnat sensui? Possem illum alio ex latere urgere. Si probabilior & securior est opinio, quæ peculium defendit ut licitum, nedum ad usus necessarios, sed ad solatia, ad ludos moderatos, ad argenteam supellectilem parandam; exterminanda e Claustris erit rerum communitas, commodaque recensita invehenda. Verum homines isti non via, & ratione premendi, sed Probabilistarum suavissimo baculo plectendi.

III. Audiant itaque RR. Magistri quæ adversus similes Antiprobabilistas scribunt duo celebriores Probabilistarum Theologi. Prior merito, tametsi posterior tempore, est eloquentissimus P. Paulus Segneri, qui *Epistola I.* quæ ei tribuitur, pag. 25. hæc scribit: *Io sento dir da più d'uno, che non vi sono persone, le quali oggidì seguano più la sentenza meno probabile di quelli, che sostengono non esser lecito di seguirla.* „ A „ non paucis inaudio, nullos reperiri homines, qui impensius opinio- „ nem minus probabilem amplectantur, præ illis, qui licitum negant „ ejusdem usum „. Alter Probabilistarum facile Princeps est P. Antonius Terillus Insignis Societatis JESU Theologus. Hic in suo de *Conf. Prob. Tract. q.* 22. *n.* 37. *pag.* 331. palam scribit, neminem Antiprobabilistarum in *praxi* sententiam sequi probabiliorem. En illius verba. „ Sed quis quæso Adversariorum universaliter suam sententiam *in Pra-* „ *xi sectatur*? Audacter dico: Nemo. Percurrant, qui velint, summas „ casuum, & ante oculos ponant omnes sententias strictiores, non qui- „ dem certas, *sed tantum probabiles*. *Tum in vitam singulorum inqui-* „ *rant, & procul dubio invenient*, eos multa fecisse, & *factitare, quæ* „ *solum probabiliter sunt licita*. Idque ipsi, si conscientiam examinent, „ verum esse invenient. Atque hinc præsumptio est, eos interius non „ sentire quod exterius profitentur, alioquin essent homines impii, ac „ proinde nullius ferme authoritatis. Quid ergo ponderis habet eorum „ authoritas in quæstione hac, in qua, *quando ad rem venitur*, aliter „ credunt, quam docent? Immo ego sic arguo. Si illi securitatem con- „ scien-

Digitized by Google

„ scientiæ inveniant in sententia, quam impugnant', qua suum judi-
„ cium deponunt, nobisque consentiunt; quis dubitare poterit, an Au-
„ thores benignæ sententiæ eamdem in ipsam inventuri sunt? „ Ha-
ctenus celebris Probabilista.

IV. Terilli accusationem, quæ indefinite omnes Antiprobabilistas carpit, ut injustam criminationem & ipse rejicio. Verum quemadmodum quælibet professio suos fictos habet, ut Augustinus dicit; sic negare haud valeo *Antiprobabilistarum* aliquos, non minorem probabilitatem modo, sed vel ipsam laxitatem in majorem probabilitatem transmutare, ut suas expleant appetitiones. Ecquidnam responsi dabunt RR. Magistri Acuto Terillo sic eos adorienti? Hi sunt, inquit, qui buccis concrepantibus, elatoque supercilio in minorem probabilitatem tela intorquent. Aures nunc arrigant suas, ut nostris interrogationibus faciant satis. Probabilior ne sententia est, Disciplinam nunc in Cœnobiis deformatis obtinentem conformiorem esse Disciplinæ a Sanctis Patriarchis, a Conciliis, a Pontificibus præscriptæ? Probabilior ne sententia est, quod singuli Mendicantes Fratres suas peculiares crumenas habeant, quod easdem occupare in Indis moderatis, in solatiis, in recreationibus valeant? Probabilior ne sententia est, *Vestiarium illud pecuniosum* condonare Ordinum legibus? Negant Antiprobabilistæ nostri pœnitenti Christiano vitiorum spondenti emendationem fidem adhibendam, nisi prius laboriosis operibus manifestos pœnitentis animi fructus edat. Nulla ergo adhibenda illis fides est, dum sincerum jactant animum dimittendi peculia, aliaque superflua, cum numquam opere impleant quod ore spondent. Reponent forsitan, se in Christianorum, secus in Claustralium, formandis moribus probabiliorem sequi opinionem? Se duas habere trutinas, ad quarum alteram monasticum peculium, & cætera, quæ non describo, mendicantium commoda, & solatia: ad alteram Laicorum opera revocent? At in Sanctuario unum servari Deus præcipit pondus, vetatque, ne sit pondus & pondus: execratur eos, qui filacteria dilatant sua, onera importabilia aliis imponunt, digitoque suo nolunt eadem movere. Plura alto prætereo silentio, ne ex Terillo satiram transcribere videar. Historiolam lepidam, sed verissimam, diverticuli gratia adjicio. Claustralis quidam laxioris Disciplinæ Antiprobabilista Probabilistam exactæ Disciplinæ Regularem invisurus accedit. Summa exceptus humanitate hospes, & in cubiculum ductus, imagines cartaceas

pau-

paupertatem spirantes, & devotionem spectat, quæritatque: Cur aliquo ornatu, consuetisque coronis picturas non cingat illas? Pater Magister, reponit Probabilista Claustralis, ornatus istos tum adjiciam Imaginibus meis, cum probabiliores severioresque doctrinas vestras amplexatus fuero. Obmutuit rubore suffusus incautus Antiprobabilista. Ambo Dialogi Authores in vivis sunt. Nec responderi potest, Antiprobabilistarum doctrinam spectandam, non mores. Quæ dicunt facite: secundum opera eorum nolite facere. Quoniam Adversarii nostri in duobus libris *Vita Claustralis*, & *Vindiciarum*, omnia, quæ recensuimus, & laxiora, sua doctrina approbant, clamantes, Monasticæ Disciplinæ observantiam merum esse Prælatorum arbitrium, atque adeo phantasma, *cætera nihil*. Alterutrum ergo retractent: aut Antiprobabilismum, aut suos libros, quos nulla vel laxissima probabilitate ab erroribus purgabunt umquam. Hæc disputata sint exercitii gratia: cæterum negamus, vel minimo Probabilitatis gradu fulciri peculiorum opinionem, quam refutandam aggredimur sequenti Dissertatione.

V. Una causarum potissima, ob quam viri ~~gravissimi afferunt~~, doctrinas probabiliores saniorésque non prævalere laxioribus opinationibus, hæc est, quod morum sanctitas doctrinarum veritati, & puritati non respondet. Doctrinæ, quæ bellum carni, & sanguini indicunt, quæ humanis appetitionibus adversantur, quæ severa jejunia, rigidamque abstinentiam suadent, si contrariis Authorum suorum operibus improbentur, tametsi plenis buccis extollantur, actum de illis conclamatumque est. Numquid Apostoli eorumque successores Evangelio, & Cruci subegissent populos, si facto non probassent quod voce suadebant? Quare clamat Hieronymus Epist. ad Nepotianum. *Divinas Scripturas sæpius lege, imo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce quod doceas. Obtine qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana, & contradicentes revincere, ... Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis. Delicatus Magister est, qui pleno ventre de jejunio disputat. Accusare avaritiam & latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent.*

C A-

Digitized by Google

CAPUT XV.

Necessitas gravissima proscribendi laxas opiniones in materia paupertatis Monasticæ, & potissimum duos libros: Alterum inscriptum VITA CLAUSTRALIS &c. *Veronæ editum hoc anno 1743. Alterum* Vindiciæ Regularium &c. *typis cusum Neapoli Anno 1740.*

I. ANtequam utriusque libri proscribendi necessitatem evinco, illud est præmonendum, me nec latum unguem, in suscepto argumento, moderati, cautique Theologi transilire confinia. Vetitum Theologis est sententiis, quæ in utramque partem a Catholicis disputantur, censuras inurere: secus vero in errores, qui ab omnibus improbantur Catholicis. Sub oculos ergo errorum census, quem hactenus texui, revocandus, ut proscriptionis necessitas appareat. Quamquam nec in istos ego errores censoriam virgam extendo, sed rationum prodo momenta, cur severis plectendi censuris sint ab iis, quorum interest.

II. Age ergo, memoria repetamus errores *Vitæ Claustralis*. Ab Apostolico Collegio Hierosolymis constituto sive perfectissimam, sive perfectam rerum communitatem Author rejicit. Apostolos sui Collegii alumnis, Patriarchas omnes sacrorum Ordinum Institutores suis Claustralibus peculium privatum perpetua sæculorum serie permisisse contendit: Atque adeo nunquam floruisse in Catholica Ecclesia exactam rerum communitatem, cujusque privati expertem peculii, nisi forte parvo tempore penes *Hebræos Therapeutas* in Ægypto. Hanc exactam rerum communitatem numquam a Tridentino, numquam ab Ecclesia præceptam vult; sed ut monstrum ingens, jugumque Tyrannicum humanis cervicibus impar, execratur. Peculium istud, quod permittendum Claustralibus docet, eo usque extendit, ut non solum victui, & vestitui, cæterisque id genus; verum etiam solatiis, oblectamentis, evagationibus, muneribus distribuendis, supellectili argenteæ, eleemosynis, ludis, aliisque honestis recreationibus habendis sit peridoneum, congruumque. Observantiam Regularem merum esse arbitrium Prælatorum scribit, missis aliis non levioris momenti erratis, atque laxitatibus.

III. Hos aliosque errores in *Vita Claustrali* contineri, hactenus, adductis Authoris verbis, ostensum est. Nulla ergo de corpore delicti dubitatio. Porro sint ne eiusmodi ERRORES gravissimis proscribendi censuris, sapientum judicio subjicio. Accedit, quod proscriptionis necessitatem urget ipsius Authoris jactantia, qua ovans, atque triumphans inclamat, nullam ab Ecclesia in causa paupertatis Monasticæ damnatam opinionem. Alexander VII. Innocentius XI. damnatis plurimis propositionibus Christianæ Ethicæ adversis, nec unam, quæ Theologiam Monasticam spectet, diris devovit. Sana ergo, & integra consistit doctrina, quæ, sublata exacta communitate, peculiarem vindicat Mendicantibus Fratribus crumenam. Etiam hoc argumentum suis ipsius verbis confirmandum.

IV. Vita Claustralis *p.* 2. *Differt. VI. pag.* 402. „ Ut id ad satietatem „ usque commonstremus, placet argumentum arneticum, seu negativum „ adducere, quod licet suapte natura infirmum ut plurimum sit, *in re* „ *tamen, qua de in præsentia, validissimum est*. Invecta Christianæ ethicæ laxitate, Ecclesia, & sanioris Doctrinæ Theologi in id pro viribus „ incubuerunt, ut opinationes omnes, pravasque propositiones, quas laxiores Probabilistæ ad deformandos Christianorum mores excogitarunt, „ de medio tollerent, & tanquam zizania de campo Dominico everun„ carent. Alexander VII. Innocentius XI. &c.

„ Jam vero nec Romani Pontifices, nec Clerus Gallicanus propositio„ nem hanc : *Votum paupertatis sine exacta rerum communitate sancte* „ *observari potest*, numquam damnarunt, numquam proscripserunt. Quis „ credat tantæ sollicitudinis Ecclesiam fuisse in profligandis quibusdam „ propositionibus quæ legem Ecclesiasticam mutationi obnoxiam violare „ docet, & puram putamque Disciplinam spectant . . . . hancce vero, „ quæ recta petit solemne paupertatis votum, de medio tollit, ut ex cu„ jus violatione Claustrales fere omnes æternam damnationem sibi ac„ quirant, præterire potuisse?

V. Laxitatis Probabilistas postulat *Claustralis* noster, eo ipso tempore, quo ab iisdem damnatæ laxitatis principia mutuatur. Arguebant olim Probabilistarum multi: Hæc sententia non est ab Ecclesia rejecta : ergo probabilis, & secura. Et hoc est argumentum *arneticum* seu *negativum*, quo nunc utitur Magister *Vitæ Claustralis*, illudque asserit *validissimum*, ignorans homo Theologus doctrinam hanc proscriptam ab Alexandro VII.

esse

esse in Propos. XXVII. *Debet opinio censeri probabilis, dum non constet rej... esse a Sede Apostolica, tanquam improbabilem*. En enectum argumentum *arneticum*. Laxones Probabilistas appellare non reformidat inauditæ laxitatis repertor. Immunes ab Ecclesiæ censuris ostentat errores, quos nemo unus ante ipsum commentus est. Qua itaque via proscribi ab Ecclesia opinationes poterant, quæ nunquam in Ecclesia fuerunt, priusquam ex ejusdem emergerent cerebro? Sed penitius rem dispiciamus.

VI. „ Jam vero nec Romani Pontifices, nec Clerus Gallicanus propo„ sitionem hanc: *Votum paupertatis sine exacta rerum communitate san„ cte observari potest*, numquam damnarunt „. Ecquomodo proscribi propositio hæc poterat, si vera & sanissima est? Quis Theologorum unquam negavit *possibilem* paupertatis Monasticæ observantiam communitate sublata? Fieri potest, ut votum consistat sine communitate. Ergo communitas nullo est præcepto imposita? Possibilis est æternæ salutis assequutio absque baptismate, vel confessione in re, cum solo voto. Ergo nulla baptismatis, nulla confessionis obligatio? Hæc est perpetua argumentandi forma, qua instructus est Magister *Claustralis*: hæc illius exacta ratiocinatio. Quid extra controversiæ aleam constitutum, quid disputationi subjectum sit, penitus ignorat vir Theologus. Heinc est, quod in universo suo Opere ita omnia perturbet, implicet, confundat, ut numquam sibi constet, numquam sit in disputando suus. Ut discat quid sit proscriptione & censura dignum in hac controversia, sequentes propositiones damnandas, seu eas reapse ab Ecclesia proscriptas, ante illius oculos expono.

I. Rerum communitas ab Evangelista Luca descripta Act. 2. *&* 4. *non fuit nec perfectissima, nec perfecta*. Vita Claustralis p. 2. Differt. I. pag. 204.

II. Primis Christi fidelibus, qui nempe Hierosolymæ ad Petri Apostolorum Principis prædicationem conversi fuerant, quique, ut in Actibus Apostolorum legimus, propria fecerunt communia, indultum fuisse, ut peculium haberent, ex iis, quæ initio hujus II. partis dicta sunt, facile dignoscitur. Vita Claustralis p. 2. Differt. V. pag. 365.

III. Sententia defendens licitum peculii usum Claustralibus, morale continet documentum a Christo propositum, in Evangelio exaratum, ore suo

solemni professione nuncupatum. Quis igitur tantæ temeritatis, ut neget indultum per missumque peculium? Vita Claustralis p. 2. Diff. III. cap. V. pag. 309.

IV. Ex nullo præcepto, neque ex propria professione ad vitam communem exactam obstricti sunt Claustrales: ne ue propterea in æternæ damnationis periculo versantur qui peculiorum usum pro viribus divellere non conantur. Vita Claustralis loc. cit. pag. 311.

V. S. Patriarcha Dominicus eam prescribit paupertatis formam, quæ peculium junctum habet, minime quæ in Regula Augustini exacta rerum communione definita est: ac propterea Augustini Regulam quantum ad rerum communionem temperavit.

VI. S. Dominicus arctiorem elegit, suoque Ordini commendavit paupertatem, quam S. Augustinus . . . . Quid inde? Ergo ne peculium non permisit? Id immo est, quod ego ex hac arctiore paupertate colligo. Vita Claustralis 2. p. Differt. 7. cap. 1. pag. 424. & 425.

VII. Causa permittendi peculium est, ut æquitas, charitas, justitia, & quies Monachorum serventur: & ad custodiendum quod sanctius, quod divinius est: verbo dicam, licentia peculii ex charitatis fonte profluxit. Vindiciæ Regular. pag. 103. & 106.

VIII. Numquam a Tridentino fuit latum præceptum de exacta Vita communi. Vindiciæ Regularium pag. 182. edit. Neapol. 1740.

IX. Licitum est peculium 1. pro infirmitate curanda. 2. pro itineribus necessario conficiendis. 3. pro emendis libris. 4. pro vestibus, & cibis. 5. pro itineribus ad invisendos parentes vel amicos. 6. pro quibusdam vel intra vel extra Ordinem solatiis. 7. pro elargiendis muneribus. 8. pro aliquo virtutis & pietatis opere. Vita Claustr. p. 2. Diff. 8. pag. 472.

X. Decretum Tridentini Nemini igitur &c. Nec Deinceps liceat superioribus &c. *Resp. Illa verba Concilii prohibere tantum peculia superflua, & non licita, & independentia a voluntate Superiorum. Nec valet dicere, quod illa verba Concilii in contrarium interpretata fuerunt ab Illustriss. Cardinalium Congregat. Nam respond. Declarationes esse tantum Doctrinales, & non esse necessario standum illis.* P. Antoninus Diana tom. 7. coord. tract. 3. resol. 28. §. 4. pag. 80.

XI. Paupertatis voto non opponitur, nec status Monasticæ Disciplinæ evertitur, si Claustrales quædam habeant instrumenta argentea, nempe cochlea-

clearia, cultrum, furcinulam, arculam pro tabacco, horologia, idque genus similia, dummodo nec summi pretii sint, nec vanitatem ostentent. Vita Claustralis p. 2. Diss. 8. pag. 475.

XII. Hinc colliges, quomodo Moniales possint habere non solum peculium, & annuos redditus, sed vasa aurea, argentea, annulos, medalia, margaritas, vestes sericas, tapetes pretiosos, scriptiola. P. Antonius a Spiritu Sancto in Director. Regular. tract. 3. disput. 4. sect. 2. num. 103. pag. 127. edit. Lugdun. ann. 1671.

XIII. Nec obstat si dicas, Prælatum non posse concedere hanc facultatem, cum non sit Dominus: tum quia reprobata est a Tridentino, & a Clemente VIII. & idem censuit Sacra Congregatio .... Respondetur namque, Prælatum, sicut potest administrare superflua pro toto Conventu communi, ita & concedere in particulari hanc superfluitatem potest. Ad Auctoritatem Tridentini, Clementis, Sacræ Congregationis respondeo, restringi ad Religiones Reformatas. Idem P. Antonius a Spiritu Sancto loc. cit. pag. 127. cit. Edit.

XIV. An Superior possit concedere licentiam generalem ad quemlibet usum non specificando ad usus licitos? Respondetur affirmative. P. Franciscus Bordonius in Religiosa Paupertate cap. 17. num. 19. pag. 200. edit. Venet. an. 1644.

XV. An Superior dans hanc licentiam subdito expendendi peculium pro suo libito, censeatur licentiam limitasse ad pios usus eum exclusione illicitorum? Respondetur negative, quia non esset generalis. Idem P. Bordonius loc. cit. num. 20. pag. 201.

XVI. An licita sit consuetudo solvendi mercedem meretrici? Respon. affirmative .... Præter quam quod in Religionibus, in quibus solent concedi licentiæ generales, & indifferenter, præsumitur Superior permittere solutionem mercedis. Idem P. Bordonius loc. cit. cap. 21. num. 25. pag. 263.

XVII. Si subditus cum licentia Superioris admittat superflua ab externis, acquirit Monasterio. Ergo licentia illa est valida, nec peccat contra Paupertatem, si conservet statum pauperis ... LICET CUM LICENTIA SUPERIORIS PRAVO SUMPTU CONDUCERET MERETRICEM. P. Claudius La Croix lib. 4. num. 114. pag. 381. edit. Venet. ann. 1734.

XVIII.

XVIII. Non est controversia, quando detur opinio probabilis ex parte subditi, quod non teneatur obedire, etiamsi contraria sententia sit probabilior. Tunc enim licitum est ex supra dictis amplecti qua sibi gratior fuerit . . . . Neque obstat Superiorem tunc juste præcipere, ut tu tenearis obedire; quia non undequaque juste præcipit, sed probabiliter. Ac proinde tu probabiliter solum eris obligatus obedire, & probabiliter deobligatus. P. Ferdinandus Castropalaus tom. 1. tract. 1. Disput. 2. punct. *6.* n. 1. pag. *9.* edit. Venet. an. 1721.

VI. Ex recensitis propositionibus undecim primæ excerptæ e *Vita Claustrali*, *& Vindiciis Regularium*, sunt omnium laxiores, & cæterarum, quæ sequuntur, veluti fontes, & sedes. Facta enim positione, quod nulla peculium sit lege vetitum, sponte fluunt consectaria Bordonii, Dianæ, aliorumque Casuistarum. Quænam doctrina Evangelio infestior illa, quæ in propositione VI. continetur? Illa arctior, illa perfectior paupertas, quæ, exacta communitate pulsa, peculium privatum junctum habet? Hoc est eruditum commentum, quod Author *Vitæ Claustralis* mortalium primus in medium produxit. Nec mirum. Siquidem constituto semel in Apostolico Collegio privato peculio, consequitur hocce peculium perfectiorem, atque splendidiorem paupertatem efficere Evangelicam, quæ nullibi splendidius umquam emicuit, quam in præfato Sanctissimo Cœtu. Mitius ergo se habeat *Claustralis Vitæ* Magister eum Casuistis, quos laxones ipse compellat, eo ipso tempore, quo eorum nulli est in laxanda paupertate Monastica secundus.

VII. Omnes itaque descriptæ propositiones, ut mea minima præsefert opinio, meliorique salvo judicio, videntur dignæ, ut gravi ab Ecclesia plectantur censura. Et verius dicam, harum propositionum doctrina pluries jam est Ecclesiastici anathematis fulmine percussa. Quid clarius, quam lata a Tridentino Concilio Decreta, quibus obstricti Claustrales declarantur exactæ rerum communitati peculio pulso? Quid luculentius, quam Clementem Papam VIII. Decreta Tridentina confirmasse, Theologis omnibus facultate adempta præfata Decreta & Pontificias Constitutiones interpretandi. Quid, quod cæteri Pontifices successores potissimum Innocentius XII. gravissimis constitutis pœnis vetuit, ne ad professionem Monasticam admittantur Novitii, nisi exacta ibidem sit instaurata rerum communitas. Quid dicam de tot Sacr. Congreg. Concil. Declaratio-

tionibus adversus peculiorum corruptelam, & in præsidium præceptæ communitatis?

VIII. Quid ad hæc P. Magister *Vitæ Claustralis?* Tot damnatis adversus Ethicem Christianam propositionibus, nulla est adversus paupertatis Votum damnata opinio? Dicas potius, nullam esse ex tot Ecclesiæ legibus tanta pœnarum severitate munitam, tot roboratam Decretis, quantis est lex, quæ peculium vetat, exactamque præcipit communitatem. At Casuistæ, inquis, post Tridentinum & Clementem VIII. atque Innocentium XII. licitum defendunt peculium. Casuistæ necessitate dumtaxat urgente, & ob aliquam rationabilem causam peculium defendunt. Omnes tamen adfirmant gravissimo illud Ecclesiastico prohiberi præcepto. Verum fac illorum aliquos illud absolute propugnare. Quid inde? Non ne laxi isti Casuistæ post damnatas propositiones ab Alexandro VII. Innocentio XI. non minus occasiones peccandi proximas, perjuria amphibologica, furta, contractus usurarios, aliaque crimina, quam peculii corruptelam vanis distinctiunculis & lenociniis infucarunt, propugnaruntque? Quin damnatas propositiones interpretando pejora edidere commenta. Quid hæc inferunt, nisi falsos semper reperiri aliquos legis Doctores, qui luculentissimas leges pro hominum ingenio flectant, humanisque appetitionibus attemperent, supponantque? Quid hæc omnia inferunt, nisi gravissimam, quam proposui necessitatem proscribendi tum recensitas propositiones tamquam scandali plenas, piarum aurium offensivas, & respective Divinæ Scripturæ & Ecclesiæ Romanæ repugnantes, tum libros, *Vita Claustralis*, & *Vindiciæ Regularium* nuncupatos?

IX. Enim vero, nisi coerceatur hæc luxuriantium ingeniorum libertas, reprimaturque audacia eludendi una & altera distinctiuncula Conciliorum Decreta, & Summorum Pontificum Constitutiones, actum conclamatumque erit de quibusque legibus. Et quia hospites valde, & peregrinos in hac se produnt materia RR. Magistri *Claustralis* & *Vindex*, sciant se omni gradu, officioque privatos esse ob hoc dumtaxat, quod interpretari, & laxare ausi sunt Tridentina Decreta, & Constitutiones Pontificias in hac paupertatis Monasticæ causa. Audiant pœnas in semetipsos latas a Clemente VIII. in sua Constitutione, scilicet, qua & Tridentina Decreta confirmat, & exactissimam rerum communitatem novo

præ-

præcepto roborat. Initium Constitutionis editæ anno 1599. est: *Nullus omnino* &c. Hæ autem sunt pœnæ in eos constitutæ, qui in peculiorum favorem detorquere non reformidant aut Concilii, aut Pontificum Decreta. §. 15. *Superioribus autem, ne Concilii Tridentini aut hac Nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo possint, omnino interdicimus, & prohibemus: & si quis contra præsumpserit attentare, is eo ipso omni gradu, officioque privatus, & ad ea perpetuo inhabilis existat.* Legant RR. Magistri cæteras Romanorum Pontificum Constitutiones, quibus hæc Clementis VIII. Decreta confirmantur.

X. Ex his omnibus colligitur gravissima necessitas proscribendi tam laudatos duos libros *Vitæ Claustralis*, & *Vindiciæ Regularium* &c. quam propositiones ex iisdem, aliisque libris excerptas, novis adjectis pœnis in eos, qui præfata Tridentini Concilii Decreta, & Pontificum Constitutiones in materia Paupertatis Monasticæ ausi fuerint interpretari, & relaxare: Una quippe causarum potissima, cur Tridentini Concilii, & Summorum Pontificum votis optatus reformationis effectus non respondit in plurimis Claustris, non alia sane est, fuitque, quam eorumdem Claustralium quorumdam Theologorum audacia, qua contra expressum interdictum Clementis VIII. vanis interpretamentis infucarunt, atque in erronea prorsus sensa detorsere tum Concilii Decreta, tum Pontificum Constitutiones. Hoc ergo impedimentum in primis auferendum est, non solum prohibendo laxas propositiones hactenus evulgatas; verum etiam prohibendo, ne Claustrales in posterum audeant vanis distinctiunculis eludere Apostolicas Constitutiones, potissimum in Monasticæ paupertatis causa.

XI. Ultimum, gravissimumque momentum, quod damnationem urgere debet tum propositionum, rum librorum Vitæ Claustralis & Vindiciarum, est summa causæ magnitudo. Ex Regularium Disciplina optime instituta Ecclesiæ decus, Christianorum salus plurimum pendent. Contra, ex eorumdem Claustralium relaxatione scandala populorum & ingens Ecclesiæ detrimentum manant. Fieri minime potest, ut Monastica Disciplina reformetur, non reformata paupertate. Reformari paupertas nequit, nisi, pulsis privatis crumenis, a Fratribus exacta instauretur communitas. Ergo omnia gravissima momenta urgent damnationem librorum, & propositionum, quæ eo tendunt, ut peculiorum corruptelam fo-

foveant, paupertatem relaxent, disciplinam destruant, scandala, & infinita propemodum mala producant. Urget necessitatem proscribendi ejusmodi libros zelus sartum tectum custodiendi depositum Divinæ Doctrinæ: si morum integritas sperari universe nequit, consistat saltem doctrinæ sanctitas immaculata.

CAPUT XVI.

Epilogus istius Dissertationis.

ERRORES Adversariorum propriis illorum verbis descripsi fide summa. Eosdem in propositiones presse digestos perstrinxi, ut quid proscribendum, damnandumque sit, continuo appareat. Si quid ad majorem vel confutationem, vel explicationem eorum, quæ eosdem errores aut antecedunt, vel consequuntur, desit, Dissertatione sequenti plena manu dabimus. Duo ex hac Præliminari Dissertatione colligat lector velim. Alterum. Si Adversarii in tot prolapsi sunt errores: si in ipsis causæ hujus primis principiis apertissima pugna mutuo se se conficiunt, planum est, exploratumque a nobis victoriam stare. Nec aliis opus esset, nisi imperitorum imbecillitas ad diluenda sophismata, quæ aberrandi illis occasionem ingerere queunt, nos cogeret. Alterum. Styli acerbitas, imposturæ, dicteria, cæteraque id genus, quæ RR. Magistri junctis manibus, & calamis in *Disciplinæ Monasticæ* Authorem de illis minime male merentem, contorserunt, palam faciunt quæ sit eorumdem indoles, quis Evangelicæ paupertatis cultus quis inquirendæ veritatis amor, studiumque. Illa omnia Christiana contemptione prætcribo. Nec enim, ut vel *Disciplinam Apostolico-Monasticam*, vel ejusdem Authorem a calumniis vindicarem, opus istud, quale demum cumque sit, conatus sum; sed ut Romanæ Sedis Constitutiones, & Tridentini Concilii Decreta ab ineptis cavillationibus in tuto collocarem. Hcinc apparebit, quam opportune in similes Authores scripserit Hieronymus, inquiens, se in medium attulisse Ethnicorum Paupertatem, *UT FORMOSULI nostri & THOROSULI, & vix summis pedibus adumbrantes vestigia, quorum verba in pugnis sunt, & syllogismi in calcibus: qui paupertatem Apostolorum, & Crucis duritiem, aut nesciunt, aut contemnunt, imitentur saltem Gentilium parcitatem* Lib.2. contr.Jov.

Digitized by Google

DISSERTATIO
SECUNDA
DE LEGE

Regulares ad exactam rerum communitatem cujusque peculii expertem obligante.

Digitized by Google

Audisti obsecro Nummicola, & Monache quid tibi æstus avaritiæ pariat . . . . Audi adhuc Nummicola. Quod autem Nummicola appello, a qualitate tui operis vocabulum traho, non contumeliæ in te nomen usurpo . Nummos enim colis , qui pecuniam diligis . . . . Facta igitur tibi de proprio nomine satisfactione , Nummicola , jam quod dicturus eram , ausculta . . . Ex isto Nummicolarum numero cerebrosus quisquam fortasse non deerit, qui mihi ad ista respondeat : Divitiarum me cur mordaciter impetis , quem perexigua summa contentum, vix paucos habere obolos cernis . . Ecce *Proprietarius noster* sive melius, ut ante, Nummicola, paupertatis patrocinio utitur, ut ipse dives irreprehensibiliter videatur. S. Petrus Damiani *opusc.* 12. *cap.* 6. *&* 8.

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA DE LEGE

Regulares ad exactam rerum communitatem cujusque peculii expertem obligante.

CAPUT PRIMUM.

Status quæstionis. Aberrationes perpetuæ, & sophismata, quibus Adversarii causam implicant. Puncta, quæ ad dirimendam causam probanda sunt.

I. UT nuperos *Disciplinæ Apostolico-Monasticæ* oppugnatores intra justæ disputationis confinia, quoad fieri potest, redigam, cohibeamque, primum omnium causæ status aperiendus: hallucinationes, effugia, sophismata, quibus ab eisdem implicatur, manifestanda. Et primum omnium nonnullas propositiones penes omnes certissimas præmitto.

II. *Prima Propositio*. Regulares, qui consilium evangelicæ paupertatis voto solemni Deo nuncupant, omnia bona sua tum præsentia, tum futura pleno, & absoluto Religionis, quam profitentur, dominio subjiciunt, eidemque jus omne renuntiant. Religio vicissim eodem sacro vinculo sese astringit impertiendi subditis omnia necessaria pro victu & vestitu juxta Regulæ præscriptum.

III. *Secunda Propositio*. Si Monasterium datam fidem infringit: si omnia, quæ statui Religioso necessaria sunt, porrigere subditis negligit; isti naturæ jure sibi victum & vestitum, quem subministrare conventus deberet, comparare propria industria valent, etiam repugnante

Præ-

Prælato, nedum consentiente. Votum siquidem justum mutuum claudit contractum, in quo si una pars deficit, deficere & altera jure valet.

IV. *Tertia Propositio*. Prælati Regulares, spectata Monasticæ professionis natura, & præcisis circumstantiis, absolute peccant mortaliter, si omittunt ex parte sua distribuere subditis suis tum sanis tum infirmis omnia necessaria juxta Regulæ normam, quando Monasterium sufficientibus abundat redditibus: si pro virili parte non curant, ut reapse observetur in propriis Monasteriis exacta rerum communitas.

V. *Quarta Propositio*. Subditi Regulares peccant mortaliter, si resistunt Prælatis volentibus invehere exactam communitatem: si conferre in communes Fratrum usus recusant census vitalitios, pecuniasque omnes propria industria partas, quando omnia necessaria illis conferuntur a Monasterio: si, quantum eorum conditio fert, sedulam dare operam detrectant, ut exacta rerum communitas instauretur collapsa, & custodiatur invecta.

VI. Quatuor istæ propositiones extra disputationis aleam constitutæ sunt penes omnes Theologos. Nihilosecius locis opportunis illas pleno in lumine collocabo, & ab ineptis commentis asseram.

VII. Ex his quatuor propositionibus status quæstionis omnibus patet. Est autem ejusmodi. Regulares, spectata Religiosæ professionis natura, & sublatis circumstantiis casuum particularium, tenentur exactam communem vitam ducere. Ab hac lege Prælati Regulares in casu gravis necessitatis, & quoties bonum commune exposcit, possunt dispensare, juxta communem Theologorum Doctrinam *de Legum dispensatione*. Peccant autem gravissime, si absque urgenti & evidenti necessitare dispensant, ut in loco explicabitur. En statum causæ, quam propugnandam assumimus. Aberrationes & sophismata, quibus adversarii eamdem involvunt, fucumque faciunt imperitis, indicanda in antecessum sunt, ut causæ decisioni via sternatur planior.

VIII. SOPHISMA PRIMUM. Omnes sive Theologi, sive Canonistæ, leges, vota, præcepta exponentes, primum vim, & obligationem eorumdem: subinde causas excusantes, & momenta ab eisdem dispensandi, tradunt. Eruditi Adversarii, misso tractatu, in quo voti legisve obligatio traditur, tota mentis indagine scrutati sunt tractatum de dispensatione. Et quia Theologi docent posse Prælatum dispensare a lege

ge communitatis & peculium concedere, urgente necessitate, quid heinc inferunt? Inferunt, nullam reperiri legem vetantem peculium: inferunt, votum paupertatis Monasticæ editum ad Regularum Monachalium præscriptum, absolute, & præcisa circumstantia quacumque, peculium privatum excipere. Quod Sophisma simillimum huic est. Superiores diebus veneris, & Quadragesimæ dispensant a lege prohibente esum carnium: ergo esus carnium absolute licitus est. Hac hallucinatione perpetuo causam implicant, minime distinguentes vim & obligationem voti, sive præcepti absolute spectati, a causa aliqua, quæ ab illius observatione excusare potest. Incredibilis apparet tanta vel in Tyrunculo Theologiæ hallucinatio. Ex facto tamen veritas hæc constabit.

IX. SOPHISMA SECUNDUM. Explicatio istius secundi sophismatis clarius primum manifestat. Quod peculium, inquiunt, licitum, aut illicitum sit, a voluntate pendet Prælatorum. Quoties peculium retinetur, Prælato consentiente, licitum est: Illudque solum est proprium vitiosum, & voto adversum, quod clam, & inscio Prælato possidetur. Ita Regulæ, ita Theologi omnes clamant. En quam verum sit, quod indicavimus, adversarios nempe ex aliqua dispensatione, interdum necessaria, inferre nullum extare votum, nullumque præceptum, quod vitæ exactam communitatem præcipiat. Quam fallax sit, & viris Theologis indignum sophisma istud, cui, ceu sacræ ancoræ causam fidunt suam RR. Magistri, cuique a partium studio alieno notum est. Prælatus gravissima astrictus lege, omnia de communi subministrare, omnia, quæ subditi acquirunt, in rem communem redigere debet, & cui necesse fuerit tribuere. Sola evidens necessitas ab istius legis observatione excusare eosdem quandoque valet. Sunt ne Prælati voti paupertatis domini, an custodes? Si in eorum arbitrio esset peculii privati concessio, sublata necessitate urgente, inane & commentitium esset paupertatis votum. Non ne chimærica esset lex non edendi carnes in Quadragesima, non laborandi diebus sacris, Confessionis, & Communionis annuæ, si Superiores ex arbitrio & esum carnium concedere, & facultatem laborandi diebus sacris, & non confitendi semel in anno, nec communicandi in Paschate, impertire possent? Nonne commentitiæ essent leges istæ, si reapse Catholici omnes & carnes integra Quadragesima indiscriminatim ederent, & sacris diebus Missam non audirent, nec in Paschate communicarent? Quid si reponerent. Omnia

hæc

Digitized by Google

hæc præstamus, scientibus, & annuentibus Prælatis : idcirco legem non violamus. Omnes aut fere omnes Regulares collapsæ disciplinæ sua privata peculia retinent plus minusve, prout magis aut minus fortuna terrena arridet. Alii divites *quantum ad usum*, alii pauperes, annuentibus Prælatis. Ergo votum istud arbitrarium est, & commentitium.

X. SOPHISMA TERTIUM. *Ut fucum* imperitis faciant, calamistris peculium inurunt. Salus proximi, litterarum cultus sunt finis Ordinum Mendicantium. Ergo ob hunc finem dispensare Prælatus valet super peculii usu. Peregregie. Continuati peculii usus aptissimum instrumentum est, quo Evangelica vinea colatur non ne? Nihil nunc dicam, quantum floreant litteræ ubi resonant crumenæ. In loco de hoc dicetur. Nunc sophisma paucis dispungo. Verum ne est quod asseritis, Prælatum dispensare in communitatis lege posse propter studium, an secus? Si verum; Ergo cum iis tantum aliquando indulgendum, ut in litteras incumbant, secus eum cæteris. Ergo datur lex communitatis exactæ, a qua dispensare Prælatus nequit, nisi aut studii, aut alterius necessitatis causa. Ergo erronea est doctrina tum *Vindiciarum*, tum Vitæ Claustralis, ubi *ore rotundo* negatur lex exactæ communitatis. Tum, si nulla est lex exactæ communitatis, nulla est dispensationis necessitas: Tum enim necessaria est dispensatio, quando lex prohibet, secus ubi nulla lex extat. At lex est, inquis, nihil habendi, nisi consentiente Prælato. Bene habet. At si nulla lex est prohibens peculium, Prælatus ex genio illud concedere potest, stultitiæque & crudelitatis reus erit, si id concedere nolit, quod lex nulla vetat. Quo posito, tot erunt paupertatis Monasticæ vota, quot sunt Priorum cerebra & genia. Hoc ergo conficio dilemma. Aut est hæc lex exactæ communitatis peculii privati vacuæ, aut secus. Si primum: ergo Prælati nequeunt dispensare, nisi gravissima causa urgente. Et quoniam reapse abutuntur Prælati non pauci hac facultate, ideo Concilium Tridentinum, & Pontifices Summi adimunt eis hanc potestatem impertiendi peculii, præcipiuntque exactam communitatem. A qua lege sola naturalis necessitas, bonumque publicum interdum excusare valet, ut suo loco dicetur. Si nulla est Lex : ergo Prælati ex mero arbitrio peculia majora vel minora impertiri valent. Ergo ex genio Prælatorum Mendicantes Fratres divites, aut pauperes erunt. Ergo in vanum Ecclesia duobus potissimum ultimis sæculis tot Decreta, tot Constitutiones, tot Interdicta multi-

pli-

Digitized by Google

plicavit, ut Regulares ad hanc communitatis exactæ legem servandam induceret.

XI. SOPHISMA QUARTUM. Multi Viri sancti habuerunt peculium. Ergo non est illicitum. Omnes Viri sancti, nemine excepto, peculio privato Regularium bellum atrox indixere. Interdum necessitate urgente, & ut juri naturæ servandæ vitæ satisfacerent, eo usi sunt intra limites extremæ paupertatis. Cætera nullum non moverunt lapidem, ut tantam corruptelam a Claustris exterminarent, ut infra ostendetur.

XII. SOPHISMA QUINTUM. Numquid omnes, qui peculio utuntur, æternas pœnas dabunt? Tribus integris, & valde prolixis capitibus Differt. 4. *Disciplinæ Apostol. Monast.* solutum est sophisma istud omnium ineptissimum. Num ex multitudine peccantium præsidium quæris? Consule citatam Differtat. cap. 10. 11. 12. & 13.

XIII. SOPHISMA SEXTUM. Necessitas excusat a legis observantia. Necessitas involuntaria, secus voluntaria. Necessitas, quæ obtruditur, respectu majoris partis libera est, & deliberate volita, ut suo loco luculentissimis demonstrationibus palam fiet. Iterum ex hoc sophismate colligas velim, quam sit vacillans adversariorum causa. Nunc negant legem vetantem peculium, nunc ut peculium excusent, necessitatis prætextum objiciunt. Si sola necessitas excusat peculii usum, ergo absolute, & præcisa necessitate, lex datur, quæ peculium vetat.

XIV. SOPHISMA SEPTIMUM. Datur lex communitatis. At distinguendæ sunt plures communitatis species. Alia est perfectissima, exactissima, rigidissima, alia mitior, alia mitissima, alia minùs perfecta. Alia, quæ peculium excipit: alia, quæ illud respuit. His vocum ambagibus, & involucris causam implicant, imperitosque decipiunt. Communitas servanda in Regulis omnibus perspicue descripta legitur. Si quæstio Metaphysica esset, utcumque negotium facessere possent. At res facti cum sit, suis se conficiunt armis. De ea communitate sermo est, quam omnes Sacri Ordines, in quibus consistit Regularis observantia, servant. Capite sequenti eam describam, palamque fiet, qua bona fide, quo zelo, quo candore causam agant.

XV. SOPHISMA OCTAVUM. Peculia nostra retinemus cum animi *promptitudine* eadem resignandi, & dimittendi ad Prælatorum nutum. *Promptitudo* hæc chimerica est, exceptis semper necessitatis naturalis ca-

ſibus. Quoniam hæc *promptitudo* a tot ſæculis numquam ſeſe in actum exercuit. Prælati ſupremi Religionum ſunt Pontifices Summi. Non ſolum nutibus, & ſignis, ſed graviſſimis & legibus & pœnis præcipiunt confundere hæc peculia cum Monaſteriorum redditibus : præcipiunt exactam communitatem. *Promptitudo* hæc ſemper reſtitit, & etiam num reſiſtit, refragaturque. *Promptitudo* hæc invehitur, debaccatur in eos, qui hæc peculia damnant, quique exactæ communitatis legem defendunt. Libris typis editis defenduntur peculia hæc ut licita : & voluntas prompta eadem dimittendi jactatur? Si nulla eſt lex peculia vetans, cur obtruditur voluntas eadem dimittendi? Nulla quippe extante lege, nulla eſt obligatio habendi voluntatem ſe ſe ſpoliandi eo, quod lege nulla prohibetur. De hoc fuſius ſuo loco.

XVI. SOPHISMA NONUM. Si votum paupertatis Monaſticæ includeret exactam communitatem, in nullo umquam caſu poſſent Prælati Regulares, etiam urgente neceſſitate, uſum peculii impertire. Ex craſſa inſcitia hoc ortum ducit. *Votum meum* [inquit D. Bernardus lib. de Diſpenſat.] *non augeat Prælatus abſque mea voluntate, nec minuat ſine certa neceſſitate: alioquin remiſſio voti abſque neceſſitate non diſpenſatio eſt ſed diſſipatio*. Aliud eſt, quod Prælati nequeant auferre vota ſolemnia : aliud eſt, quod nequeant relaxare obſervantiam in hoc, aut illo caſu, neceſſitate urgente. Primum verum, ſecundum falſum. Mirum eſt hæc obtrudi a Theologiæ Magiſtris, cum nota tyronibus ſint. Quæ eſſe debeat neceſſitas, ut valeant rite Prælati in aliquo eventu diſpenſare, infra dicam.

XVII. SOPHISNA DECIMUM, quo cætera recidunt omnia. Huc pertinent omnes adverſariorum conatus, ut immenſa vocum farragine oſtendant, poſſe Regulares Mendicantes altiſſimæ paupertatis Evangelicæ voto devinctos, habere ſuas peculiares erumenas, frui ſuis, cenſibus vitalitiis, retinere pecunias, quas quiſque aut prædicatione, aut lectione, aut alia induſtria adipiſcitur. Conventus ſubminiſtret cubicula, communem menſam, & certam pecuniæ ſummam *in Veſtiarium*. Cætera, ſinguli ſuum privatum peculium ex venia Prælati habeant, quo & lautiora, ſi velint, fercula, & cellarum ſplendidiorem ſupellectilem comparare, & recreationibus licitis, honeſtiſque oblectamentis indulgere, & ſi vis etiam moderatis ludis pecuniariis interdum vacare religioſe queant : ne multa : ut

ea

Digitized by Google

ea habeant, quæ major, & maxima illorum pars non haberet, nisi solemne paupertatis votum edidisset. Quare mirum haud esse debet, si, ut tam prodigiosum monstrum defendant, inaudita paradoxa excogitent. Venia qualis qualis danda esset, tum ob præjudicia educationis, tum ob exempla, quæ ad instar torrentis secum abripiunt vel ipsos experrectiores, si his fruerentur, simulque silerent. At quod hæc libris typis editis pro lege concedente obtrudere ausint, culpa videtur nulla excusatione digna.

XVIII. Hæc decem sophismata, quæ sunt adversariorum principia potissima, evidenter ostendunt, quam sit illorum afflicta & desperata causa. Unum alterum destruit, & confusionem summam pariunt, & scandala inducunt gravissima: Quoniam & exactæ communitatis cultores vacillantes efficiunt, & vi erroneæ doctrinæ spectata, ab ejusdem observantia abducunt, pecuniosos vero Fratres in relaxatione confirmant, & ad universæ observantiæ Regularis ruinam viam aperiunt latissimam, ut experientia manifestissima compertum est. Ubi enim serpit peculiorum pestis, ibi cæterarum legum neglectus oculis conspicitur.

XIX. Hæc pauca in antecessum delibare operæ pretium existimavi, & ut viam pararem ad planiorem causæ decisionem, & ut a lectore mihi facilius veniam impetrarem, si prolixior fuero, quam causæ conditio postularet. Si bona fide, & solius veritatis amore res ageretur, paucis negotium confectum esset. Verum adversarios per varios oppositosque anfractus errabundos palatosque, modo huc, modo illuc confugientes, sequi coactus sum, magnisque itineribus ad latebras usque, ultimosque recessus se se recipientes persequi, donec eos comprehenderim. Veritas una est: plurimæ autem a veritate aberrandi viæ. Cum adversariis pugnandum mihi est, qui vel ipsa prima principia in discrimen vocant: dubia & falsa pro veris ingerunt: omnia susdeque miscent: luculentissima documenta in pravos sensus detorquent, ut suo loco palam fiet. Non ergo mihi vitio vertendum, si, ut effugia quæque, rimasque omnes occluderem: si, ut artificia, versutias, prætextus, commenta penitus labefactarem, eadem principia in Disciplina Apostolico-Monastica latius explicata replicavero. Causa hæc neque eruditionis est, neque cum Eruditis a partium studio alienis tractanda, atque adeo in qua, omnibus ad vivum resecatis, presse & perspicue possit in tuto res collocari.

Negotium nobis est cum adversariis, qui pro aris, & focis dimicant, quique nulli pepercerunt industriæ, ut veritatem certissimam dubiam argutando efficerent: quoniam *propriam* defendunt *crumenam*.

XX. Capita potissima in hac Dissertatione tractanda, erunt sequentia. Ac principio, communitatis, dominii, & usus notionibus prajactis, propositio illa gravissima, quæ est fundamentum cæterarum, quæque extra disputationis aleam constituta esse deberet, in medium veniet, nempe, sint ne Regulares lege gravissima, quæ lex sive votum sit, sive præceptum parum refert, exactæ communitati peculii vacuæ astricti? E vestigio sequetur altera, sit ne inane, & commentitium paupertatis votum, admissis peculiis seu depositis, quæ reapse obtinent in Cœnobiis laxioris Disciplinæ? Succedet suo ordine tertia, in qua palam fiet, peccare Superiores Regularium tum contra paupertatem, tum contra justitiam ipsam & Dispensationis fidelitatem, permittendo subditis privata peculia. Post, consistere ne valeat Disciplina Regularis, votumque obedientiæ, communitate peculii experte sublata? Quinto loco, fictitiam esse inopiam Monasteriorum, paucis exceptis, palam fiet. Sexto loco demonstrabitur, voluntariam esse, & culpæ plenam necessitatem, quam jactant, retinendi peculii. Atque adeo pleno in lumine collocabitur debitum gravissimum, quo obstringuntur Regulares tum Prælati, tum subditi ad invehendam communitatem. Commentitia quoque, & ludrica apparebit illa animi promptitudo peculii dimittendi ad Prælatorum nutum. Postremo, de potestate Prælatorum dispensandi in casu necessitatis a lege exactæ communitatis sermo erit; sed & regulæ præscribentur ab illis servandæ, qui nequeunt in propria Cœnobia communitatem invehere, neque alio, ubi communitas viget, petere. Inter disputandum Adversariorum Magistri *Vindicis*, & Magistri *Vitæ Claustralis* objecta omnia diluam.

XXI. Illud nunc a te, humanissime lector, enixe peto, flagitoque, ut præjudiciis positis ad hanc causam accedas, & a ferenda sententia abstineas, donec omnia rationum momenta æqua lance libraveris. Lubet te ipsius Marci Tulli verbis alloqui. *Quamobrem a vobis judices, antequam de ipsa causa dicere incipio, hæc postulo: Primum id, quod æquissimum est, ne quid huc præjudicati afferatis. Etenim non modo auctoritatem, sed etiam nomen judicum amittemus, nisi hic ex ipsis causis judica-*

-bi-

bimus, ac si ad causas judicia jam facta domo deferamus. Deinde, si quam opinionem jam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio convellet, si ratio labefactabit, si denique veritas extorquebit: ne repugnetis, eamque animis vestris, aut libentibus, aut æquis remittatis. Tum autem, quum ego unaquaque de re dicam, & diluam, ne ipsi, quæ contraria sunt, taciti cogitatione vestra subjiciatis, sed ad extremum expectetis. Pro Cluent. sub initium.

CAPUT II.

Notio exactæ communitatis a Regularibus servandæ. Magister Vindiciarum *affirmat communitatem Apostolicam immunem esse ab omni peculio: Sed negat Monachos & Mendicantes Deo, adpromittere hanc paupertatem. Magister* Vitæ Claustralis *adfirmat Claustrales spondere communitatem descriptam a Luca in Act. cap. 2 & 4. Sed simul docet Alumnos Apostolici Collegii sua habuisse privata peculia. Ambo errores castigantur.*

I. RR. Magistri adversarii mutuo diffident in designanda communitate, cui devincti Regulares sunt. Fatetur alter, communitatem servandam ab eisdem, illam ipsam esse, quam describit Lucas in *Act. cap.* 2. *&* 4. quia illa peculium junctum habebat. Negat alter; quia communitas Apostolica peculium quodque execratur. Illorum verba transcribenda, ne creare illis invidiam videamur. Magister *Vindiciarum* prior tempore, prior in ordine sit. Scribit ille pag. 26. „ Ut communis vita „ [Apostolica] farta tecta custodiatur, requiritur . . . . ut ex commu„ni cellario pascantur, & ex uno Vestiario induantur Monachi: om„niaque bona quomodolibet ad eosdem pervenientia in rem commu„nem redacta, cui necesse fuerint præbeantur, & ita quidem exacte, „ ut nec depositum ullum, esto debitis cancellis restrictum, nec pecu„lium aliquod, quovis moderamine adhibito, nec vitalitius proventus, „ quolibet temperamento moderatus, indulgeatur. Verbo dicam, ita est

„ ser-

„ servanda hæc bonorum communitas, sicut olim fuit Hierosolymis cu„ stodita, & a Fratre nostro propugnata.

II. Frater tuus eximie P. Magister talem propugnat communitatem, qualem tu Deo servandam solemni ritu promisisti. Evinco. Tu Deo votum paupertatis nuncupasti secundum Regulam S. P. Augustini. Regula Augustini communitatem præcipit descriptam in Actibus Apostolorum, quæ, te judice, omne peculium rejicit. Ergo communitas, quam Deo servandam promisisti, te fatente, excludit quodvis sive peculium, sive depositum, sive censum, quocumque illitum calamistro. Negabis ne primam propositionem, te nimirum professionem emisisse secundum Regulam Augustini? Altera propositio est ipse textus Augustinianæ Regulæ. *Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia . . . Sic enim legitis in ACTIBUS APOSTOLORUM, quia erant illis omnia communia.*

III. Author Vitæ Claustralis 2. *part. Differt.* 2. *cap.* 1. *pag.* 202. *&* 203. varios gradus enumerat vitæ communis. Alia, inquit, est vita communis *perfectissima*, alia est *perfecta*, alia est *non adeo perfecta* : alia denique est, in qua Monachi sub eodem tecto habitant, eidem mensæ assident, eidem Prælato obedientiam præstant : in reliquis vero sibi vivunt, sibique consulunt, facta per Prælatum bonorum omnium partitione, & singulis assignata portione ad usum etiam certum, & in perpetuum.

IV. Ultra pergit Author præfatus ad investigandum, qualem Apostolicum primævis fidelibus Hierosolymæ servaverint harum communitatum gradum. Sic quippe scribit pag. 204. *Quamnam habuerint primi Hierosolymæ credentes* (communitatem) *de quibus S. Lucas in Act. cap.* 2. *&* 4. *non adeo facile intelligitur. Verum si temporis, loci, & personarum conditiones expendamus, conjicere haud temere possumus, nec perfectissimam, immo nec perfectam inter eos fuisse rerum omnium communionem.* Addit insuper, se *rotunde* negare, pernegareque Apostolici Collegii Alumnos servasse perfectam communitatem : atque adeo *rotunde* adfirmat habuisse privatum peculium pag. 243. *At rotunde negamus, pernegamusque, Vitam communem, quam Apostolorum exhibent acta, talem, tantamque fuisse, quæ cujusque peculii expers foret, & cassa.* Perfecta ergo paupertas, seu vita communis, quam Christus consulit, non fuit in Apostolico Colle-

legio, atque adeo nec unquam fuit, nec est in Ecclesia Catholica. Quia, nisi viguit in illo Sanctissimo Cœtu, a quo *omnis Religio sumpsit originem*, inquit Angelicus 2. 2. *q.* 188. *a.* 7. multo minus emicuit in posteris. Porro, an in hoc argumenti genere quid turpius dici possit, aliorum judicio suppono. Doctrina ista Magistri *Vitæ Claustralis*, quam veluti totius suæ caulæ primum principium constituit, gravissimus mihi, salvo meliori judicio, videtur [ut mitissime loquar] Error scandali plenus, universo Catholicorum sensui apertissime contrarius. Quod si primum potissimumque causæ principium erroneum, atque temerarium est, erronea, & temeraria sit causa ipsa necesse est.

V. En in quos errores coguntur prolabi, qui oppugnare præsumunt manifestissimam veritatem! Author *Vindiciarum* confitetur, communitatem descriptam in Actibus Apostolorum perfectam fuisse: sed contra apertissimos omnium Regularum monachalium textus negat, Regulares hanc communitatem profiteri, sed aliam omnino diversam, duplicato semper peculio, seu bonis mobilibus & immobilibus affluentem. Quæ doctrina, ut *Dissertatione ultima cap.* 3. videbimus, non valde differt a Doctrina Calvini effutientis, non minus distare hodiernam Regularium paupertatem a paupertate descripta in *Act. Apostol.* & a vetustis Monachis servata, ac distent ab hominibus Simiæ. Author *Vitæ Claustralis*, ut hunc evidentissimum devitaret errorem, in alium longe pejorem incidit, *rotunde* afferendo, rerum communitatem descriptam a Luca, nec perfectissimam, nec perfectam fuisse, sed sua habuisse privata marsupia, privatos loculos. Ex Evangelio scimus, Unum Judam habuisse privatos loculos, seu deposita. Acta item Apostolorum duos tantum nobis perhibent privati peculii possessores, nimirum Ananiam, & Saphiram repentina morte percussos. At inquiet: Isti occulte: alii ex venia Apostolorum peculia habuere privata. Illi pecuniosi ex arbitrio: isti divites ex licentia. Sed quid ultra errantes sequimur, cum alibi effugium istud præclusum fuerit?

VI. His duobus reprobatis erroribus, Ecclesiæ Catholicæ doctrinæ & disciplinæ evidenter contrariis, vera communitatis imago delineanda est, non marte proprio, sed ipsarum Regularum, & Summorum Pontificum verbis. Regula Augustiniana hanc communitatem servandam præscribit. *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Et distribuatur unicuique vestrum a Præposito vestro victus, & tegumentum, non æqua-*

Digitized by Google

æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes; sed potius unicuique, prout cuique opus est. Sic enim legitis in ACTIBUS Apostolorum, quia erant illis omnia communia, & distribuebatur unicuique, prout cuique opus erat. Qui vero aliquid habebant in sæculo, quando ingressi fuerint Monasterium, libenter velint illud esse commune. Omnia ergo de communi tam pro victu, quam pro vestitu conferenda præcipit Augustinus. *Non æqualiter omnibus.* Cur? Fortasse quia alii sunt Magistri, alii Baccalaurei, alii simplices Religiosi? Absit. *Quia non æqualiter valetis omnes.* Diversitas, non graduum, non meritorum, sed valetudinis, imbecillitatis, infirmitatisque, unica causa est inæqualis provisionis, inquit Augustinus, qui addit. *Vestes vestras in unum habeatis sub uno custode vel duobus, vel quot sufficere possint ad eas excutiendas, ne a tinea lædantur. Et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno Vestiario. Nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in unum fiant majori studio, & frequentiori alacritate, quam si vobis singuli propria faceretis .... Cum quis suis filiis, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus in Monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, sive quodlibet inter necessaria deputandum, non occulte accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, ut IN REM COMMUNEM REDACTUM, cui necesse fuerit præbeatur.* Benedictina adhuc expressius hanc a Regularibus communitatis servandæ formam describit, cujus textus brevitatis gratia omitto. Consule Disciplinam Apostolico-Monasticam *Differt.* 1. Eamdem communitatem delineant Concilia, & Constitutiones Pontificiæ omnes, potissimum illa Clementis VIII. cujus hæc sunt verba. *Præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum justo labore, & causa, & quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere possit: Sed ea OMNIA statim superiori tradantur, ut Conventui incorporentur, atque cum cæteris illis bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, QUO COMMUNIS INDE VICTUS ET VESTITUS omnibus suppeditari possit.* Sint ne huic communitati vi voti, aut præcepti devincti Regulares, an secus? valeant, aut non valeant ab hac communitate interdum dispensare? Prælati quæstiones sunt infra discutiendæ.

Nunc

Nunc sinceram dumtaxat communitatis formam, de qua disputandum est, describimus. Quandoquidem, nisi in re, de qua fieri disputatio debet, conveniamus, supervacaneus est labor noster. *Omnis enim* [inquit Cicero lib. 1. offic. c. 1.] *quæ, ratione suscipitur de aliqua re, institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur.*

VII. Indulgenda venia aliqua esset RR. Magistris, si quæstio hæc aut juris, aut Metaphysica foret, in qua quisque eas sibi fingit notiones, quas suæ sententiæ judicat melius expedire. At notio communitatis Monasticæ res facti est. Factum istud descriptum est in omnibus Regulis, & Pontificiis Constitutionibus. Quid plura. Non modo præfatæ communitatis effigiem vivis coloribus depingunt omnes Regulæ Monachales, Constitutiones Pontificiæ, & Concilia; verum, quod decretorium est, omnes quot quot fuerunt in Ecclesia Christiana Romana Sacri Ordines, non aliam ac illam, quam descripsi, servarunt communitatem, quoad viguit Disciplina. Quin, missa antiquorum Ordinum praxi, in hujus facti testes voco omnes Sacros Ordines, sive Monachorum, sive Mendicantium, qui nunc sub oculis nostris Dei Ecclesiam illustrant, exactam servantes communitatem. Nulla quippe fere Religio est, in qua, ut minus plures Provinciæ, & Congregationes non reperiuntur, in quibus exacta viget communitas descripta : videlicet *: quod omnes Fratres pascantur ex uno cellario, & induantur ex uno vestiario, hoc in sensu, quod vestes omnes præbeantur, non in pecunia, sed in specie. Quod Fratres omnes conferant omnes pecunias, sive prædicatione, sive lectione, sive quacumque industria conquisitas, aut quovis modo ad eos pervenientia bona, in commune ærarium ad omnium Fratrum usus, ut inde victus & vestitus omnibus suppeditetur.* Hæc est communitas, quam non solum præscribunt Regulæ omnes, ut dixi; sed quam in praxi observant omnes Religiones Benedictina, Augustininiana, Dominicana in omnibus Provinciis, & Congregationibus reformatis : & integræ aliæ Religiones, ut Cartusiani, Camaldulenses Eremitæ, Franciscani Reformati, Capuccini, Carmelitæ Excalceati, & alii plures integri sacri Ordines. Hæc ergo millia millium Religiosorum, præter Regulas & Pontificias Constitutiones, sua perenni praxi testantur communitatem, illam ipsam esse, quæ hactenus descripta est.

VIII. Audiamus nunc quid de hac communitate scribat Author *Vitæ Claustralis* pag. 211. Exclamat ergo his verbis. *At quis est, qui communi-*

Digitized by Google

tatem hanc possit ad praxim reducere? ... *Si usus incertus permissus minime est: si denique nec determinatam vestem, aut supellectilem nisi e communibus Monasterii bonis* COMMUNIQUE VESTIARIO *habere possunt, sine proprietatis vitio, & paupertatis violatione*; PAUPERTAS MONASTICA PROFECTO ERIT MONSTRUM HORRENDUM INGENS. Superi mites animos! Monstrum horrendum ingens ergo præscribunt omnes Regulæ Monachales, omnes Constitutiones Pontificiæ, mandantes, ut omnes pascantur ex uno cellario, & induantur ex uno Vestiario? *Monstrum horrendum ingens* ergo est observantia præfatæ communitatis, quam servant omnes recensiti Sacri Ordines? *Monstrum horrendum ingens* ergo erat communitas exacta, quam servarunt Apostoli, & omnes Sacri Ordines in illorum prima Institutione, & usque dum Disciplina temporum calamitate relaxaretur? Inclamat iterum P. Magister citata pag. 211. Quid, *si nulla omnino relicta est Prælato facultas saltem permittendi juxta discretionis leges, & prudentiæ, aliquid subditis suis: si in omnibus omnes pares esse debent, ut nullius merita, aut* GRADUS *attendantur, si inter laborantem, & quiescentem nullum prorsus est discrimen.* Extra chorum canis. Quæ sit vera exactæ communitatis absolute servandæ notio, effigiesque, nunc inquirimus. Illam in hoc sitam cum omnibus ad unum Regulis, Canonistis & Theologis dicimus, quod omnia Fratrum bona, quovis excogitabili modo acquisita, in communes Monasterii, Fratrumque usus convertantur. Quid vero in aliquo particulari casu, aut cum hoc, vel illo Fratre juxta œconomiæ, & prudentis dispensatoris leges Prælati agere debeant, quæstio omnino diversa est alibi disputanda. Quod provisionis œconomia respondere singulorum indigentiis debeat, res compertissima est. Quid latebras & effugia captas? Ipsa Apostolorum Acta, & Regulæ omnes præcipiunt, ut Prælati tanquam fideles dispensatores de communi penu omnibus provideant *prout cuique opus fuerit*: *Non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes*. Hæ prudentiæ, & discretionis leges servantur in omnibus recensitis sacris Ordinibus, in quibus exacta viget rerum communitas. Instat. Et merita & *gradus* personarum? In nulla Regula, in nullo Concilio legi, quod Religiosi ob hoc solum, quod sint insigniti *gradibus*, meritisque splendeant, possint ex Prælatorum venia habere *marsupium privatum*. Id solum verum habet, quod Religiosi singuli, sive *graduati* sint, sive non, quando ob majores

jores labores magis indigent, tenentur Prælati illis prospicere, prout cuique opus est. Quid in aliquo peculiari, & extraordinario casu indulgere Prælatus interdum possit, ex gravi necessitate, quæstio est a præsenti diversa, ut supra indicatum est, omnium legum exemplo. Primum enim, quid lex absolute præscribit, deinceps causæ, ob quas interdum hunc, aut illum Fratrem, in hoc, aut illo casu a legis observatione Superiores dispensare valent. RR. Magistri hæc duo confundunt, non sine propriæ in rebus Theologicis peritiæ dispendio.

IX. Ex his luculentum est, ambos adversarios imponere imperitis, dum distinguunt communitatem *perfectissimam*, *rigidissimam*, *minus rigidam*, *mitem*, *mitiorem*, ut sub horum terminorum ambagibus crumenas, & marsupia privata occultent. Ex his patet, quam sit bellula illa impostura, qua traducunt Authorem Disciplinæ Apostolico-Monasticæ tanquam *rigidissimum Aristarchum*, *tetricum Declamatorem*, *Zelotem delirantem*. Hæc sunt argumenta, hæc valla & fossæ ad protegendam peculii arcem: Quæ omnia Christiana fortitudine nos contemnimus. Et ne in re apertissima operam ludamus, communitas, quæ propugnata est in Disciplina Apostolico Monastica, quæque hic defenditur, non alia est, nisi quæ describitur in Regulis, in Conciliis, in Bullis Pontificiis: & ne multa: ea est, quam innumeræ Provinciæ, & Congregationes omnium Sacrorum Ordinum sub oculis nostris observant. Cavillationes, quibus circumvenire, & involvere *subjectum*, ut vocant, disputationis Adversarii student, profligatam esse illorum causam evincunt. Verum ut ad incitas eos redigamus. Quid intelligitis nomine *communitatis mitioris*, *non adeo perfectæ*, *non adeo rigidæ?* Respondet Author Vitæ Claustralis pag. 203. his verbis. „ Alia est communis vita non adeo perfecta, quæ tamen debitos limites non excurrit: & hæc ea est, in qua Claustralium „ Prælatus euncta Monasterii, & cujuscumque suorum subditorum in sua „ habens potestate, omnibus, & singulis necessaria dispensat, permittens „ tamen, ut aliquid ad usum facti, *incertum* tamen, & quem ad arbi„ trium revocare possit, Claustrales *peculiariter* habeant juxta uniuscu„ jusque *gradum*, & *conditionem*; ea tamen prudentia, & vigilantia, „ ut nihil tribuat, dispensetque, quod in malum, aut mali periculum „ vergat. Ipsi vero, qui hac Prælati indulgentia fruuntur, non solum „ rebus sibi permissis caute, ac recte utuntur, sed etiam semper parati

„ sunt ad Prælati nutum deponere, si adhuc extant, vel, si jam usu sunt „ consumpta, rationem de illis reddere. Cæterum in omnibus communi„ tatem servant : & ut verbo omnia complectar, nihil peculiare eis „ permittitur, quod cum paupertate, quam voverunt, inculpate compati „ non possit„.

X. Quam sit subdola, festiva simul & ludicra ejusmodi communitatis pictura, paucis indicabo. Et primum illud est animadvertendum, quod, nulla allegata Regula, quia nullam allegare poterat, proprio cerebro spectrum ludicrum sibi confinxit communitatis. Prælatus, inquit, *omnibus, & singulis necessaria dispensat*. Et Religiosi Mendicantes altissimæ paupertatis voto Deo consecrati, necessariis non sunt contenti? Minime gentium. Sed Prælatus permittit, ut *ALIQUID ad usum facti Claustrales peculiariter habeant, juxta uniuscujusque gradum, & conditionem*. In his verbis *mysterium* clauditur arcanissimæ istius communitatis, quam perspicue describere vel ipse Author reformidat. Et ab ultimis verbis incipiam. Votum paupertatis Monasticæ juxta *gradus*, & *conditiones* Religiosorum variatur? In necessariis omnes sunt æquales, in cæteris spectandæ sunt dignitates, nobilitatis prærogativæ, sed potissimum *gradus*? Quid est *TO ALIQUID*, quod, præter *necessaria*, Prælatus permittit? Explica. Erubescis? Non audes? Dicam ipse. *TO ALIQUID* significat, quod singuli Religiosi suos census vitalitios *peculiariter* habeant, & quoad possunt, ditiores. *TO ALIQUID* prodit, quod singuli sibi retineant pecunias prædicatione partas, etiamsi essent centum aurei in annos singulos. *TO ALIQUID* effert, quod omnia bona, quæ singuli Fratres propria peculiari industria acquirunt, sive Cathedras moderando, sive quæcumque privata munera obeundo, privatæ utilitati inserviant, & nonnulla alia, quæ statim innuam. Quam sit commentitia hæc, quam effingit, bonorum communitas, vel ex hoc constat, vix aliquam nimirum reperiri hominum societatem (nisi eamus ad gentes *americanas*) in qua similis communitatis forma, quam vocant *imperfectam*, non reperiatur. In qualibet familia una domus, unum palatium, una mensa, una pro *vestiario* summa. In cæteris, quisque domesticorum sua privata peculia, singulari industria parta, habet. Hanc, & non majorem in Cœnobiis Adversarii bonorum communionem defendunt. Accedit, quod cujusque sæcularis domus filii familias, sive domestici, qui com-

communi aluntur mensa, & communi vestiario induuntur, bona, quæ isti proprio labore, industria, & professione acquirunt, in commune conferunt, quia de communi providentur, & solum quædam peculiaria, & non ordinaria, lucra sibi reservant. Contra Claustrales, penes quos peculia permittuntur, bona, pecunias, lucra, quæ prædicatione, lectione, aliave industria acquirunt, una cum suis censibus vitalitiis sibi reservant, licet commune habeant Cœnobium, communem mensam, commune vestiarium pecuniosum. Hæc omnia experientia constant. Quis vero dixerit, hanc esse Monasticam communitatem?

XI. Paucis ergo habes utriusque veræ, & commentitiæ communitatis notiones. Communitas nostra vera supra delineata omnia communia non voce, sed re habet. Omnia sive parva, sive magna, quæ Fratres quovis modo acquirunt, in communes Monasteriorum usus convertuntur. Nemo unus, ministris exceptis, obulum habet. Omnes ex eodem cellario aluntur, sive sani, sive infirmi: Et ex eodem vestiario indumenta, non in pecunia, sed in specie, quoties indigent, accipiunt. Hæc est communitas, quam præscribunt omnes Regulæ, & Ecclesiæ leges, & quam in omnium oculis executioni adamussim demandat immensa Regularium multitudo, qui juxta communem sensum exactam rerum communitatem agunt. Communitas chimærica, quam exhibent ambo Magistri nostri, hæc est. Conventus, cubiculum, puteus, refectorium communia. In *Vestiarium* certa pecuniæ summa quot annis confertur. Hæc summa pecuniæ universim satis non est ad omnia indumenta, idcirco quisque reliquum comparare sibi debet. Singuli ea omnia in proprium peculium *ex venia* Prælatorum habent, quæ jam descripsimus, nempe census vitalitios, pecunias propria industria partas. Porro isti ex *venia Prælatorum* in Refectorio, qui volunt & quantum est ex *venia Prælatorum*, habent sua selectiora fercula, cubicula duplicata, supra & infra dormitorium, plus minusve ornatiora, juxta Provinciarum & marsupii diversitatem. Ex *venia Prælatorum* habent, addit Magister *Vindiciarum*, duplex peculium, ut cocolatam comparent, & ut honestis licitisque oblectamentis, & recreationibus operam dare valeant. Hæc est communitas, quæ obtinet in Monasteriis collapsæ disciplinæ, ubi peculia serpunt, universo mundo oculisque omnium hominum conspicua. Ut autem obvio cavillo occurram: sicut Frater quispiam

piam degens in Conventu exactæ communitatis potest, ut alter Judas, loculos habere, sic aliqui Fratres in Cœnobiis Disciplinæ laxioris possunt paupertatem, summa tamen difficultate, servare. At isti casus sunt peculiares. De ea nunc loquimur praxi, quæ ex vi utriusque Disciplinæ reformatæ & collapsæ obtinet, quocumque peculiari eventu præciso.

CAPUT III.

Notiones dominii, usufructus, usufacti, certi, & incerti. Adversariorum vana interpretamenta. Capacitas, quam ad dominium retinent Jesuitæ, quos scholares vocant, non impedit quominus sint veri Religiosi. Commentum Magistri Claustralis refellitur.

I. AD ea explicanda nos cogunt adversarii, quæ omnibus nota sunt, quæque indicta omittenda forent, nisi illi solita æquivocationum, & ambagum congerie, omnia vel certissima impedire, & circumvenire studerent.

II. Dominium communiter definitur *jus disponendi de re tanquam sua in quemcumque usum non prohibitum*. Tribuunt illud in perfectum, & in imperfectum. Istud in directum, & utile. Hæc omnia missa facimus: quoniam convenit penes omnes, Regulares privatos cujusque dominii incapaces esse.

III. *Usufructus* jus est utendi, ac fruendi alienis, salva substantia. Neque in istius finitionis explicatione immoramur, cum pariter certum sit, nullum jus in rem quamlibet competere Regularibus privatis vi voti paupertatis, quam Deo nuncupant.

IV. *Usus* duplex: unus juris, alter facti. Ille jus est utendi re aliqua in proprium commodum, salva ejusdem substantia. Qua ratione differat ab usufructu, nostra discutere minime interest; quoniam & hic est præter institutum nostrum, cum votum paupertatis Religiosos quoscumque jure privet.

V. Usus *facti* pura est rei detentio, seu actus utendi re absque omni jure. Quæstiones illas præfervidas, quas instituere Theologi solent super

per distinctione usus facti ab usu juris, & usus a dominio rerum earum, quæ usu consumuntur, pariter, ut a nostra causa prorsus alienas, prætermittimus.

VI. Usus meri *facti* ille est, qui causæ subest nostræ. Hic duplex est. *Certus*, & *incertus*. Voces istæ ambiguæ sunt: & quia earum significatus aut ignorat, aut ignorare se fingit Magister *Vitæ Claustralis*, in crassam labitur hallucinationem. *Usus certus* duplici in sensu accipi potest: & pro usu absolute irrevocabili, & pro concessione revocabili alicujus rei certæ, & determinatæ. *Usus incertus* est concessio revocabilis in quamcumque rem honestam, & licitam. Hæc distinctio penes Theologiam Monasticam non levis momenti est: quæ ut plenius intelligatur, sciendum penes omnes convenire, nunquam Prælatum impertire alicui Religioso posse rem quampiam ad *usum irrevocabilem*. *Revocabilitas* hæc, est, ut ita dicam, de essentia paupertatis Monasticæ: Quare sive usus pecuniæ concedatur pro re certa, puta pro veste, & non pro alia re: pro libro, & nonpro alia: sive sit incertus pro quacumque indiscriminatim re honesta, & licita, semper debet esse revocabilis, ut votum consistat Paupertatis. Porro Leges, quas professus est Magister *Vitæ Claustralis*, & conditæ etiam disciplinæ remissæ tempore, expresse & severe vetant Prælatis omnibus, ne umquam concedant subditis deposita pecuniarum *ad usus incertos*, quantumvis revocabiles. Capitulum Generale Mediolanense anni 1505. *Nolentes, quod aliquis Frater possit tenere pecunias in deposito ad usus incertos*. Et Capitulum Valentinum anni 1596. *Declaramus intentionem nostram esse, quod ubi Prælatus determinaverit præsentatis sibi a subditis pecuniis, pro quo usu DETERMINATO specialiter in deposito asservari debeant, non licere subdito in alios usus easdem pecunias expendere, nec Prælato facultatem eidem ad id tribuere, quem virtute præsentis Decreti tali potestate privamus. Quare VITIUM PROPRIETATIS incurret subditus huic statuto contraveniens, & vitium usurpatæ Auctoritatis Prælatus, in cujus pœnam ab officio absolvi debet*. Ex his, & aliis innumeris statutis istius generis, editis, ut dixi, post invectam *Vitam Claustralem seu relaxatam*, patet & R. Magistrum *Vitæ Claustralis*, & R. Magistrum *Vindicem* docere vitium proprietatis, dum ubique clamant in suis libris, posse Prælatos proprii Ordinis permittere subditis pecunias ad usus *incertos* revocabiles. Legant proprias Constitutiones, & P. Fontana *verb. Depositum*.

VII.

VII. Crassius hallucinantur RR. Magistri ambo ex alio capite in explicatione ejusdem *usus facti*. Non distinguunt eruditi homines *usum facti* rerum, quæ ex communi conferuntur, ab *usu facti* peculii privati. Ex istius distinctionis ignorantia invehuntur in Fagnanum, & Vanespen, atque adeo in Eminentissim. Cardinalem Petra, ac si negarent usum facti supellectilis ex communi concessæ, quia improbant *usum facti* peculii privati. P. Magister *Vindiciarum pag.* 27. hæc scribit. *Verum quod Religiosæ paupertati, & huicce abdicationi haud repugnet usus facti, quid quid perperam dicat Rigidus Vanespen, quem propterea, nedum Canonistæ, sed Jurisperiti omnes exsibilant, clarum est*. Idemque repetit pag. 50. *En ex ipso Lezana ventilatum cavillum Van-espen, & Fagnani, usum facti non distinguentium a dominio*. Audiamus Vanespen ipsum, se ab hac calumnia defendentem *Differt. de pecul. par.* 1. *cap.* 1. §. 6. *pag.* 10. *Edit. Venet.* „ Nec tamen quis inde arguat, me sentire, quod Concilium Trident. absolute *usum facti* rerum mobilium, sive *usum*, quo necessitatibus Religiosorum succurratur, vetuerit. Tantum voluit, ut priusquam ille *usus* concedatur, Religiosus, juxta Christi consilium, omnia quæ sibi obveniunt, absolute abdicaverit: quo facto, tanquam verus pauper, necessaria sua a nutu, & voluntate Superioris expectet .... Ex quo patescit, quod Concilium Tridentinum a norma vivendi primorum Christianorum non recesserit, dum voluit, ut Regulares primo omnia, *quæ quovis modo acquirunt*, absolute & simpliciter a se *abdicarent*, tradendo Superioribus: & *Superiores* ea omnia *Conventui incorporarent*, seu cum reliquis Monasterii proventibus *plane confunderent*, ut eo pacto, ex omnibus ita *confusis* omnium necessitatibus, sine *respectu personarum*, quarum *opere*, aut *labore* provenerint .... Quod signanter S. Augustinus expressit cap. 8. Regul. *In rem communem redactum, cui necesse fuerit præbeatur*„. Hactenus Vanespen. Judicent nunc sapientes, quis a Canonistis, & Jurisperitis *exsibilandus* sit: an P. Magister *Vindiciarum*, an Vanespen, an Fagnanus? Asserimus, nullo modo, neque ad *usum facti* concedendum esse peculium, sed hunc *usum facti* concedendum esse de communibus Monasterii bonis, præcipit Concilium ipsum Tridentinum.

VIII. Ex hac crassa hallucinatione *usus facti* deceptus P. Magister *Vitæ Claustralis*, existimat in arbitrio Prælatorum esse impertire facultatem retinendi peculii ad *usum facti*, si dominium abdicetur. Contra hanc vocem

tem *Dionysii*, adversus hoc nomen *juris*, undique zeli flammis ardens detonat, invehitur. Sic enim exclamat 2. *p. Diss.* 1. *cap.* 3. *pag.* 201. *Caveant propterea Claustrales, ne aut propria ducti malitia, aut Cacodæmonis astu, & arte delusi, quid vel minimum ex his, quæ penes se quocumque modo habent, suum esse putent, ejusque se VEROS DOMINOS esse; sed semper sui status memores ad Regulas, quas professi sunt, ad Romanorum Pontificum Decreta, ad Sacros Conciliorum Canones, ad Ecclesiasticas denique Censuras animos intendant: hæc diu noctuque mente versent, meditentur, memores semper emissi voti*. In similes flammulas non raro erumpit etiam alter commilito Magister *Vindex*. Obtendunt ante oculos imperi orum fucatum rete, ut facilius capiantur. Ex utriusque operis scopo & lectione compertissimum est, isthuc recidere ejusmodi declamatiunlas. Claustrales hilari animo estote. Fruamini honestis deliciis vestris *usu facti*: At cavete vos reputare *veros Dominos*, Inhabitate ampla cubicula, retinete splendidam supellectilem, evacuate in commoda vestra crumenas, laborate, ut repleantur, gaudetote *usu facti*, caventes semper, ne reputetis vos esse *veros Dominos*. Hoc dominium civile Cœnobiis vestris relinquitote, ut eodem illa vescantur. Vos autem *usu facti* pecuniarum fruamini; quia non aliud præcipiunt Regulæ, Canones, & Pontifices, nisi istius *dominii abdicationem*. Huc pertinent ejusmodi præfervida Magistrorum nostrorum hortamenta.

IX. Si evangelicæ paupertatis sincero arderent zelo, hac ratione exclamandum illis esset. Eja agitedum Claustrales? *Nolite errare. Deus non irridetur*. Excutite crumenas de manibus vestris: convertite in communes fratrum usus pecunias, & peculia vestra. Quid prætextus *dominii*, & *usus*? quid effugia *proprii*, & *appropriati* captatis? Paupertatem veram a vobis Deus exposcit. Paupertas vera non dominio tantum, sed usu rerum potissimum cavet. Paupertas vera imago est Christi & Apostolorum paupertatis. Ludrica illa est, & commentitia, quæ sub latebra *dimissi dominii*, & sub pallio *licentiæ Abbatialis* pecuniis, cubiculis, vestibus, deliciis, & commoditatibus affluit. Quid nocet privatio dominii pecuniarum, si earumdem usu revocabili, qui nunquam revocatur, fruamini? *Dominium* sine *usu*, nihil cupiditati inservit. *Usus*, rejecto *dominio*, appetitiones omnes explet. Ideo votum dominio privat, quia usus dominium consequitur. Si habeatur usus, prohi-

bito *dominio*, chimæricum evadit votum: Alter *dominium* scrinii habeat sine *usu*: Alter *usum* sine *dominio*: quis pauper erit? Maritus *dominium* uxoris habeat: Alter ejusdem *usu* gaudeat: quis erit castus? Jampridem Viri sancti, & docti spectrum illud paupertatis sine *dominio*, sed affluentis *usu* pecuniarum, & commoditatum, labefactarunt. Audite piissimum Theodoricum de Monasterio apud Dionysium Carthusianum de *Reformatione Claustralium* seu *Vita Claustralis ar.* 16. „ Magis nocet „ Religioso habere *usum peculii* sine *proprietate civili*, quam habere *proprietatem sine usu*. Proprietas namque in se non est peccatum, nec „ ad peccatum inducit, nisi per *usum rei* .... Quoniam *usus* propter „ quem vitandum *prohibuerunt Sancti Patres proprietatem*, est propin„ quior libertati *utendi*, quam *proprietati* possidendi. Immo quantum „ ad progressum de malo in malum, parum aut nihil refert *an habea*„ *tur usus sine proprietate*, *an cum proprietate* „. Neque heinc sophisticentur RR. Magistri non distinguere dominium, ab usu. Quis tam stupidus, ut talem ignoret distinctionem notam vel ipsis lippis, & tonsoribus, nedum doctissimo Prælato Fagnano, & Vanespenio? Sed dicimus, ideo Regulares abdicare dominium, ut consequenter abdicent usum cujusque privati peculii. *Usum vero facti* necessarium pro victu & vestitu, de communi patrimonio Monasterii a Prælato accipere debent, ut post cæteros Canonistas scite explicat doctissimus Cardinalis Petra, de quo plura infra.

X. In hujus capitis calce, quoniam opportuna fert occasio, ab inepto vindicare commento lubet statum Religiosorum, qui in Inclyta Societate Jesu tria simplicia vota emittunt. De his scribit Magister Claustralis t. *p. Diss. VI. pag.* 156. „ Hoc dicimus præsertim, postquam „ Gregorius XIII. *in Const. Ascendente Domino* Jesuitas, qui tantum „ vota simplicia in Societate a Sanctissimo Patriarcha Ignatio ad *Ma*„ *jorem Dei gloriam* instituta, solent emittere, veros esse Religiosos de„ finierit, quamvis tamen undequaque perfectos Religiosos fidenter ne„ garim; deest namque illis *VERA Status ratio*, perpetua nempe sta„ bilitas, & *perfecta sui abnegatio*, quæ dominium rerum omnium a „ Religioso expellit: & sane, ut exemplo utique ampliore utar, si Ba„ ptisma perfectum Christianum sine confirmationis Sacramento homi„ nem minime facit, ... quanto magis ob solum votum simplex, Je„ suita perfectus omni ex parte Religiosus non erit „.

XI.

XI. Nihil nunc quæro, cur hanc quæstionem huc intruserit. Quoniam, cum singulas fere paginas parergis impleat, passim ejusmodi interrogationibus vellicare, atque sollicitare illum deberem. Illud potius percontor, cur in una brevi periodo turpi antilogia jugulum suum petat. Gregorius XIII. *veros esse Religiosos definivit?* & continuo subdis: *Deest illis VERA status ratio*. Si vera status ratio deest: ergo falsum est, *veros* Religiosos esse. At rationem audiamus, cur vera status ratio illis desit. Deest, inquit, illis *perfecta sui abnegatio*. Papæ! Nemo ergo Christianorum perfectæ sui ipsius abnegationis virtutem assequi poterit, quod capacitatem ad dominium habeat? S. Philippus Nerius, S. Carolus Borromæus, aliique innumeri semetipsos minime perfecte abnegarunt, quod capacitatem ad dominium non abdicarunt? Exemplum, quod obtrudit de baptismate, & confirmatione, adeo est efficax, ut nec refellere velim. Cedo. Si Religiosi isti abdicassent dominium abdicatione civili, haberent vero reipsa census vitalitios, pecunias ad lautiores dapes & cupedias, ad solatia intra & extra Ordinem, ad munera tribuenda, ad ludos exercendos: haberent arculas argenteas, horologia argentea Genevensia, & Parisiensia: Tum ne perfecte abnegassent seipsos? Verum quod his omnibus careant, exactamque servent communitatem, seu veram & *realem* paupertatem, haudquaquam semetipsos perfecte abnegarunt, quoniam potestatem usu ligatam ad dominium habendum retinent, sic exigente communi Societatis bono. Legat P. Magister Claustralis Sapientem Suarez *Tom.* 4. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 4. ubi quæstionem hanc versat, & invictis argumentis demonstrat, *nihil perfectioni obstare talem modum proprietatis*. Proprietas civilis sine usu, sterilis, & futilis est, quod exemplo Matrimonii sine uxoris usu confirmat ibidem. Usus vero sine proprietate appetitiones saturat, cupiditatem, & concupiscentiam explet, ut toties dictum, & dicendum sæpius est. In hoc quippe sita potissimum est Magistri Claustralis crassa hallucinatio. Quamobrem nos cogit tam frequenter repetere, ideo Regulares abdicare dominium, quia dominium consequitur usus. Dominium abdicatur Religioni, ergo eidem quoque abdicatur usus. Ab eadem itaque Religione accipiendus est de communi *usus facti*. Retinere redditus, census vitalitios, pecuniasque propria industria partas sub larva *usus facti*, est media in luce & alios, & semetipsum fallere. *Actuali*

si ergo paupertate cupiditas coercetur, & appetitiones frænantur. Si plura cupis, legesis laudatum P. Franciscum Suarez *loc. cit.*

XII. Hæc pro re nata obiter dicta sunt, non ut a quoquam gratiam ineam, sed ut veritati litem. *Propositum est enim veri reperiendi causa & contra nostros, & pro alienis etiam dicere: & cum res postulat, utrosque, nullius accepta persona, reprehendere*, inquit Melchior Canus *lib.* 7. *c.* 3. Opportuna quoque hic sese offert occasio retundendi calumniam mihi impactam, quod in Dissertationibus meis super *historia Probabilismi & Rigorismi* præstantissimam lacessiverim Societatem. Quæ sane calumnia eo mihi amarior est, quo majore obsequio, & existimatione eamdem Societatem prosequor, suspicioque. De eadem cum P. Vincentio Contensonio *lib. 6. diss.* 3. *cap.* 2. *specul.* 2. testari jure meritoque valeo. Ingratus audiam, si Societatem illam de me optime meritam, corruptelarum amantem pronuntiem. In eadem prima literarum tyrocinia posui, nihilque unquam vidi, quod morum integritatem non redoleret. Heinc est, quod in laudata *Probabilismi, & Rigorismi historia* numquam absque laudis præfatione ejusdem memini. Si aliquorum ex eadem Societate Theologorum laxas opinationes refutavi, tanta præstiti moderatione, ut numquam, cujus Ordinis sint patefecerim, eorumque piam excusavi intentionem. Quid ergo est, quod carpere, quod criminari jure valeant? Quid Fanatismum improperant? Quid maledicta intorquent? Verum & hæc christiana fortitudine contemnenda sunt. Nec mirum in perampla Societate quosdam minus prudentes reperiri, si teste Augustino quæque professio suos habet fictos. Mihi sufficit conscientia mea, & Deus mihi testis est, quod non mentior, me & corde, & ore, & scripto hanc praeclaram de Universa Ecclesia, & Republica literaria in omni fere scientiarum genere optime meritam Religionem summa semper veneratione coluisse, æternumque colam: at non propterea, si Theologorum quorumdam sententias a saniore Ethica devias offendero, refellere prætermittam. Hæc obiter, plura dicturus in loco.

CA-

CAPUT IV.

Notiones Proprii, & Peculii.

I. Pater Magister *Vita Claustralis Diss. 2. cap. 6. pag. 233. & seqq.* ex ipso Augustino tanta evidentia se colligere peculium licere Regularibus asserit, ut habeam, inquit, *unde glorier ac triumphem.* Ita ille gloriarum plenissimus. At non plus ex Augustino peculium Monasticum, quam ex Alchorano castitatem extundet unquam homo triumphans. Ineptirem ipse, si quæ a pag. 235. ad pag. 240. commenta consarcinat, ut quædam Augustini loca obscuret, expendere vellem, cum nec ille, quæ scribit, intelligere videatur. Ut paucis rescire lector possit, quam sint eruditionis & acuminis Magistri nostri altæ radices, legat quæ scribit pag. 240. Ibi refutat Authorem Disciplinæ Apostolico-Monasticæ, quod minus feliciter exposuerit notionem communitatis ab Augustino præscriptæ.,, Fallitur bonus vir [*inquit P. Ma-* ,, *gister*] veluti qui Augustini mentem non fuerit assecutus. *TO* ,, commune, quod sæpe hic usurpat S. Episcopus, non id significatum ,, habet, quod sibi effingit Daniel, nempe, ut illud tantum commune ,, sit, quod pluribus inservit, & nemini determinatum, *nulliusque usui* ,, *peculiariter deputatum*: *Sed id sonat dumtaxat, QUOD UNIFORME,* ,, *CETERISQUE PAR SIT, ET SIMILE PRORSUS* ,,. Rectissime. Quando S. P. Augustinus, ceterique Patriarchæ omnes inclamant, *sint vobis omnia communia*, non aliud præscribunt, nisi ut Claustrales habeant similes & uniformes Vestes: non aliud edicunt, nisi quod habeant *uniformes* & *similes crumenas*. Explicat uberius ibidem quid communitas *proprio* contraria significet. *Id est* [inquit ille]. *Nemo pro arbitrio det vestem alicui ex Clericis, quæ aut pretio, aut forma communi Monasterii legi conformis non sit.* Tota ergo rerum communitas in vestium, & peculiorum *conformitate* sita est. Saltem hinc colligam, omnes *crumenas* debere esse ejusdem formæ, ejusdem pretii: omnes census vitalitios ejusdem summæ: omnia fercula ejusdem ponderis. Audistis res adeo lepidas, festivasque unquam? Oro, obtestorque lectorem, ut adeat duos Augustini sermones nempe 355. olim 49. & 356. olim 50.

ubi

ubi exactissimam rerum communitatem propugnatam inveniet. Sermones isti ad Fratres in Eremo, in quibus ex instituto communitatis votum versat, sunt illi ipsi, quos objicit Eruditus Claustralis. Inquit ergo Augustinus ser. 49. cap. 1. *Nostis omnes sic nos vivere, ut .... quantum possumus, imitemur eos Sanctos, de quibus loquitur liber actuum Apostolorum*. Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia .... *Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Sed aliqui habent. Nulli licet. Si qui habent, faciunt quod non licet ... Ecce dico, audite. Qui societatem communis vitæ jam susceptam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum, deserit, a VOTO suo cadit, & a professione sancta cadit*. Legesis ambos sermones 355. & 356. ubi Magister Claustralis in sui favorem allegat Factum Januarii. Nec frustra. Quemadmodum enim Augustinus tanquam *proprietarium damnat* Januarium, quia communitatem professus *habebat aliquid*. Habebat *aliquid*, reponit Claustralis noster, non publice, sed occulte; ideo Proprietarius. Subtilissime. Adeone stolidus erat Presbyter Januarius, ut occulte vellet habere pecunias, si mos fuisset eas tenere publice ex licentia Abbatis, ut nunc fieri solet? Author *Vitæ Claustralis* disputare olim assuetus: *sit ne natura Angelica species prædicabilis? habeat ne materia prima actum entitativum? vel appetitum innatum ad formam amissam?* qua facilitate tunc una cerebrosa distinctiuncula, sus deque omnia miscebat: eadem prorsus nunc simplicitate, ne dicam garrulitate, jocatur, cavillatur in exponendis Patrum textibus. Quicumque duos laudatos Augustini sermones contulerit cum ineptis commentis Claustralis nostri, comperiet, me illum clementissime alloqui. Quoniam vero pulverem in imperitorum oculos projicere studet, contendens, aliud proprium, aliud peculium esse, operæ pretium existimavi palam facere illud omne esse proprium, quod non est commune. Ad rem ergo.

II. Theologi, Canonistæ, & Concilia ipsa loco eodem semper habuerunt proprium & peculium. Inquit enim Concilium Lateranense III. *Monachi nequaquam habere permittantur peculium. Qui in extremis cum peculio inventus fuerit &c. Universis Religiosis præcipimus observari, scilicet, quod non habeant PECULIUM, SEU PROPRIUM*. Antiquiores Theologi omnes, ut videre est penes Trithemium, Carthusianum, aliosque,

aliosque, peculium, & proprium pro eodem usurparunt. Unum inter plurimos allegare sufficiat Visitatorem Generalem Ordinis Cisterciensis, qui, ut ex Manriquez [*tom. an. Cist. in Serie Abba.*] colligitur, est Joannes de *Martiniaco*, quique interfuit Concilio Constantiensi. Hic in suo *Tract. contr. Proprietarios* cap. 11. primum de Monachis habentibus peculium scribit. *Nolunt obedire Generali Concilio, quod utique voluit omnes Ordines reducere ad communem Vitam. Quare sunt extra statum salutis. Quia Monachus habens obulum, non valet obulum.* Opponit sibi *cap.* 1. distinctionem peculii, & proprii, respondetque. *Hic etiam apparet, quod fallunt, qui dicunt, quod quidquid Abbas permiserit, hoc non sit PROPRIUM ...: Dico enim, quod idem est proprium, & peculium jure, quamvis unum ab alio in verbis differat. Videamus igitur conscientias nostras, qua temeritate altari jungamur, qua securitate moriamur .... Unde Bernardus Monachus habens proprium, Deus denegavit eum suum proprium, quod est misereri & parcere.* Paulo post sibi subjicit. *Item dicat quis: Et si non possum habere PROPRIUM, habeam autem PECULIUM. Dico quod Regula S. Augustini, & B. Benedicti NULLAM faciunt differentiam inter PROPRIUM, ET PECULIUM. Unde ibidem dicitur: Omnia sint eis communia.* Lege integrum Tractatum insertum Disciplin. Apostoli. Monastic. pag. 452. Ratio evidentissima indicatur.

III. Bona terrena omnia, aut propria, aut communia. Nihil hic medium. Falleris, inquiunt. Inter utrumque extremum peculium est. Ita ne vero? Peculium istud proprium ne est, an commune? Aqua hic hæret, nec ad evadendum latebra ulla patet. Et ut acutioribus stimulis eos pungamus: quænam est juxta omnes Theologos & Canonistas peculii notio? Hæc sane: *Peculium exiguum patrimonium est a magno Domini Patrimonio separatum.* Peculium ergo proprium est, cum commune non sit, nisi Magistri nostri velint primas rerum notiones pervertere, omniaque perturbare, lucem pro tenebris, & tenebras pro luce obtrudentes. Heinc Canonistæ & Theologi illi, qui secundum jus commune peculium in aliquo casu Claustralibus concedunt, a servi paritate, cui permissum peculium est, argumentum arcessunt. At, inquiunt RR. Magistri, nunquam Regularibus licitum proprium est, quod de peculio dici nequit. Si proprium licitum non est, neque peculium. Sed licitum aliquando peculium, ergo & proprium, cum peculium

illud,

illud, aut proprium aut commune sit, necessum est. Ut amphibologia omnis procul abeat, advertendum, quod *To proprium* res non est genere suo mala, cum omnes, qui voto paupertatis soluti sunt, proprium habeant: malum unice est, quia *voto vetitum*. Porro ea omnia, quæ mala dumtaxar sunt, quia vetita, possunt interdum licita fieri ob necessitatem, quæ legem non habet. Nonne omnes adfirmant, etiam Magistri nostri adversarii, *proprium illud esse, quod repugnante Prælato habetur?* Id ajunt omnes. Fac Prælatum eousque in te sævire, ut sua malignitate necessarium victum ad alendam vitam tibi subtrahat? Non ne potes, immo teneris in casu servandæ vitæ proprium necessarium procurare vel ipso renuente Prælato? Proprium tunc est, sed malum non est; quia in tali casu a voto vetitum non est. Malum pariter non est, cum Prælatus *legitime* dispensat: Neque ex dispensatione notionem proprii amittit, sed malitiam exuit, eo quod a lege prohibente tunc exemptum est. Vitiosus est esus carnium die Veneris: Dispensante Prælato, licitus evadit. Propterea ne carnes non sunt carnes? Proprium ergo, sive peculium absolute vetitum est Regularibus omni modo, sive quantum ad dominium, sive quantum ad usum, solaque urgens necessitas alendæ, & induendæ vitæ efficere interdum licite illius usum potest. Quare, dum Concilia, & Theologi dicunt, quod neque Abbas, neque Summus Pontifex super habendo proprio dispensare possint: sensus germanus est, neminem ab hac gravissima lege dispensare licite posse; immo a nulla lege, tametsi adeo gravis non sit, ut hæc est, utpote voto solemni firmata, dispensare licite Superiores valent, nisi legitima occurrente causa. Sed aliud est, quod nequeant Prælati absolute a lege dispensare, ab eadem subditos omnino eximentes: aliud quam maxime diversum, quod in aliquo urgenti casu non possint hic & nunc legis rigorem relaxare ob legitimam gravemque causam. Primum verum. Alterum falsum.

IV. Allata doctrina adversariis haudquaquam arridebit, quia vident ex illa consequi, eorum peculia vitio proprietatis polluta esse, cum non necessitatis, sed commoditatis causa retineant. Et tamen doctrina hæc adeo vera est, ut nisi communi sensui renuntient, admittant eam & ipsi oportet. Quod ut evidentior evadat, animadvertendum, quod Navarrus ipse, qui fibulas in hac materia nimium laxavit, ut notat Nata-

lis

lis Alexander, primus forte omnium in *Comment. cap. Non dicatis* 2. *q.* 1. *n.* 47. præmittit, inquit Fagnanus in *cap. de Stat. Monach.* 2. 2. Proprium esse duplicis generis. Alterum dominii: alterum administrationis, quale habent Beneficiarii, quod alio modo peculium dicitur *Rubr. de pecul. Clericor.* Hoc proprium secundi generis in tres species tribuit. Primæ speciei proprium est, quod administrandum datur in utilitatem, & damnum concedentis tantum, quale est, quod conceditur officialibus Monasterii. Alterius speciei proprium est, quod datur in damnum, & utilitatem concedentis cum facultate disponendi de eo in suos honestos & pios usus tantum. Proprium tertiæ speciei est, quod datur in commodum, & damnum accipientis cum facultate disponendi pro libitu in quoscumque usus etiam profanos. Pressius idem Navarrus hoc explicat in *Comment.* 1. *de Regul. n.* 15. inquiens. *Proprium est duplicis generis, seu dupliciter dicitur in hac materia. Primo quidem quoad dominium & proprietatem . . . . Secundo quoad detentionem & usum, & administrationem, & possessionem facti tantum, cujus sunt capaces etiam Servi, Monachi, & quicumque alii homines . . . . & primi quidem generis proprii rei pecuniariæ Regulares sunt incapaces.*

V. Non est ergo ambigendi locus, quod proprium, & peculium in causa nostra idem prorsus sint. Nam peculium sive castrense, sive adventitium, sive profectitium proprietatem & dominium includit æque ac proprium. Eo ergo in sensu, quo licitum est Regularibus peculium quantum ad usum, licitum est & proprium: & qua lege interdicti sunt a proprio, privati quoque peculio intelliguntur. Nomina diversa sunt, res eadem. Cur potius vox *peculii*, quam vox *proprii* RR. Magistris arrideat, ratio in promptu est. Regulæ omnes & Concilia peculiarem usum bonorum sub voce *proprii*, non sub voce *peculii*, vetant. Ideo pertentant in fraudem legis, salvis verbis legis, sententiam ejus circumvenire.

VI. Cedo. Quando Regulæ, Concilia, & Votum ipsum prohibent, ne Prælati permittant proprium, quid prohibent? Bonorum temporalium permissionem inquis. Peroptime. At quis non derideret & Regulas, & Concilia, & vota ipsa tanquam ludriea, si prohiberent, ne Prælati permitterent bona, pecunias, census vitalitios &c. sub voce *proprii*, eadem vero retinenda permitterent sub voce *peculii*? Dictum ca-

pite superiore est cum Dionysio Carthusiano, Eminentissimo Petra, cæterisque Canonistis, ideo votum paupertatis abdicare dominium, quia dominium usus consequitur, & quod chimæricum votum esset, ad domandam cupiditatem quod attinet, si, dominio rejecto, usus liber esset voventi ex venia Prælati, qui *possit* revocare, sed qui nunquam revocet ad mortem usque. Similiter repetimus nunc, perridiculas fore Regulas, & vota, si tam severe interdicerent vel volam proprii, seu retentionem bonorum sub nomine *proprii*, concederent vero census vitalitios, pecuniasque ex Prælatorum arbitraria licentia sub nomine *peculii*. Concilium Tridentinum, ut his effugiis aditum præcluderet, missa voce *peculii*, seu *proprii*, pressius rem definivit, prohibendo, ne *bona sive mobilia*, *sive immobilia quocumque modo acquisita*, sub quocumque titulo, seu voce retineantur, quæ de communi non sint collata.

VII. Hæc rationum momenta subodoratus P. Magister *Vitæ Claustralis* impeditissima quadam verborum congerie peculium Monasticum describit his verbis *pag.* 226. „ Peculium ergo Monasticum & Claustrale „ non nisi improprie peculium dicitur, *estque aliud nihil* quam quædam „ *pecuniæ*, *alteriusve rei* quantitas Ordini, aut Monasterio intuitu, & „ causa privati Claustralis obtingens, *ipsique Claustrali*, qui eam, aut „ Parentum donatione, aut propria industria, & labore Monasterio ac„ quisivit, ad necessarios, licitosque usus a *Prælato permissa & concessa*. „ Quod *Peculium*, si constitutos non excurrat limites, suisque continea„ tur finibus, voti *Sanctitati* tantum abest, ut adversetur, ut immo „ *eam foveat*, *tueaturque*„. Pressa atque perspicua finitio. Paucioribus verbis dicere debuisset. *Peculium Monasticum est census vitalitius, & omne id quod Claustralis aut Parentum donatione, aut industria propria acquirit, illique, quoad vixerit, ex Prælati venia in usus honestos concessum, in Monasterium sterili proprietate civili rejecta*. Dicas nunc mihi velim. Hoc peculium est ne proprium, aut commune? Quid hiscis? *Proprium quantum ad usum non ne*? Commune vero quantum ad dominium Monasterio abdicatum: seu est *proprium* re, voce *commune*. Proprium in *actu*, commune in *potentia*. Proprium quoad *Realitatem*, commune *quoad capacitatem*. Etsi studueris usque ad Judicii diem, nil felicius excogitabis. Viden' quibus seipsos conficiunt paradoxis?

VIII. Duo alia verba in laudatam definitionem. *Peculium Sanctitatem*

tem FOVET tueturque? Oh sanctitatem inauditam, quam ignorarunt Apostoli, quam ignorarunt Sancti: & si absque blasphemia dici potest, quam ignoravit Christus Jesus! Vel ipsi laxiores, benignioresque Casuistæ peculium Monasticum aleæ, periculique plenum, malorumque originem plurimorum esse adfirmant.

IX. Porro, ut fiat compertius cujus generis esse peculium debeat, ut FOVERE Sanctitatem valeat juxta RR. Magistros, audias iterum oportet P. Magistrum Vitæ Claustralis, qui *cit. pag.* 126. *sic* invehitur in Authorem Disciplinæ Apostolico-Monasticæ. *Aristarchus noster peculium istud ad tot talesque angustias nititur redigere, ut observatu impossibile fiat.* Comprime quæso indignationem P. Magister, quoniam *Aristarchus* Concellita tuus hactenus ignoravit, quod peculium *foveret, tueretur que Sanctitatem*, quin cum omnibus Theologis Sanctitati illud periculosum existimabat: idcirco eas illi angustias circumdedit conditiones, quas communiter præscribunt Theologi, & dubio procul arctiores imponunt ipsa tui Ordinis statuta. Nunc vero novissimæ tuæ Theologiæ perfusus lumine, inaudiens, quod peculium Sanctos facit Fratres, aliter ratiocinari cogitur. Edissere ergo. Ut Peculium *foveat tueaturque Sancti..atem*, non angustum, sed amplum sit oportet marsupium non ne? Si enim angusta sit crumena, si ad breve tempus, si pro usu determinato, & necessario tantum, & cum proposito illam dimittendi, & reclusum in arca communi, quæ reapse sunt conditiones præscriptæ ab *Aristarcho* tuo; si inquam sint adeo angustæ *non fovent*, sed suffocant: non *tuentur*, sed interficiunt *Sanctitatem*, perfectionemque? Quid ergo obtrudis illam periocham: *si constitutos non excurrat limites?* Quia, reponit ille, propositio hæc indefinita est, nihil determinate præcipiens, deservitque solum ad quemdam fucum, & speciem. Eadem prius scripserat alter illius commilito P. Magister *Vindiciarum*, nempe peculium *fovere* pacem, tranquillitatem, ac Sanctitatem augere. Etiam ille sæpe ejusmodi indefinitas phrases repetit, nempe, quod peculium istud sit intra moderatos cancellos, & ad finem honestum. Verum si dicatur, finem honestum Regularis mendicantis in genere paupertatis esse frugalem victum, & humilem vestitum, e vestigio vociferatur: Et non ne etiam Regularibus debentur honesta solatia, licita commoda, suaves sorbitiunculæ? Si quantitati peculii præfiniantur arcta confinia, tunc clamat Magister Vindex pag. 59. *Non inficior quidem*

R 2

dem Amicum nostrum, aliquod depositum concedere, illudque innoxium declarare. Verum rem hanc ipse ITA DOLABRA LÆVIGAT, *& ad runcinam mittit, extenuatque, ut vel umbratilem tandem præseferat depositi imaginem*. En quam bene sibi constant Commilitones *Magistri*. Ambo proprietatis crimini velum quodpiam moderatæ quantitatis prætendunt; nunquam tamen ipsi istius moderationis limites assignant: si ab aliis præstituantur, clamant, arctos nimium esse, & angustos, peculiumque efficere *observatu impossibile*. Hoc pacto Christiani divites omnes fatentur præceptum Evangelicum dispensandi pauperibus *superfluum*. At cum istius *superfluitatis* limites præfiguntur, respondent, se nihil habere *superflui*. Quamobrem plurimi divites observant Præceptum eleemosynæ, quemadmodum RR. Magistri, quatenus ex eorum libris colligere licet, observant votum paupertatis Monasticæ. Infra probabo invictis demonstrationibus, assignatas conditiones nec minimum arctas esse, quin clarius præfinientur, peculiumque defensum a RR. Magistris evidentissime secundum omnes Theologos *proprietarium* demonstrabitur. Quod autem opponunt, peculium, quod nos ob solam gravem necessitatem concedimus, esse observatu difficillimum, verum dicunt. Idcirco demonstravit Author *Disciplinæ Monasticæ* paucos reperiri, ubi non viget exacta communitas, qui votum observent paupertatis: quoniam, admissa etiam licita peculii permissione, pauci sunt, qui peculio necessariis conditionibus circumscripto utantur, ut suo loco palam fiet.

X. Alia gravissima hallucinatio Magistri *Vitæ Claustralis* confutanda esset. Verum adeo enormis est, ut confutatione non egeat. Scribit *pag.* 243. Portiones, quas Ministri Collegii Apostolici e communi patrimonio tribuebant singulis, prout cuique opus erat, fuisse peculia. *Sane pretia dispensata, inquit, peculia erant: atque hoc modo eamdem communitatem, sub gravissima obligatione, imperare laudatos Patriarchas non diffitemur*. Gravissima ergo obligatione imperant Sancti Patriarchæ peculia? Si *pretia* illa dispensata erant peculia, non ergo e communi conferebantur. Commentum ergo fuit Communitas Apostolorum. Si e communi conferebantur, quomodo peculia? Quod enim de communi patrimonio subministratur, sive in specie, sive in pecunia, nunquam peculium est, si peculium juxta omnes, est parvum patrimonium a magno Domini Patrimonio separatum? Et hoc ipsum probat P. Magister *Vitæ Claustralis pag.* 225.

&

& seqq. & perpetuis antilogiis se conficit. Hinc colligat lector quibuscum nobis disputandum sit. Cavillationes, quas consarcinat pag. 228. adversus conditiones, quibus Theologi limitant peculium, ut ineptas prætereo. Omnes Theologi docent, quod peculium debet esse incorporatum Conventui saltem acceptatione, & destinatione Superioris, seu, ut alii dicunt, *jure* sin re. Omnes addunt, quod sit revocabile ad nutum Superioris, quando reapse non incorporatur, sed causa urgente reservatur ad aliquem futurum usum Religiosi Claustralis. Et hanc conditionem *ridiculam* vocat Magister noster. Alteram conditionem, quod peculium istud non penes Religiosum sit, sed in arca communi occlusum, asserit *sponte sua labi*. Denique potissimam illam conditionem, quam Theologi omnes ut necessariam ad votum servandum imponunt, videlicet, *quod Religiosi habentes peculium, sincero animo parati sint ad illud ex Prælati arbitrio deponendum. Insuper communitati invehendæ non modo refragari nequeant, sed proni ad illam suscipiendam esse debeant, & pro viribus adlaborare, ut exacta rerum communitas introducatur:* hanc inquam conditionem rejicit, eo quod peculium, inquit pag. 229. *radicitus convellit*; additque: *Verum enim vero, si pro viribus adlaborandum, & cooperandum est, ut exacta rerum Communitas introducatur, jam fas non est Claustralibus peculium habere.* Ignorat P. Magister quæstionis statum, idcirco ex una hallucinatione in aliam turpiorem labitur. Ob solam necessitatem, ut unanimi consensione vel benigniores Theologi clamant, permitti interdum peculium potest. Si hæc necessitas voluntaria sit, criminosa est: sicuti necessitas permanendi in occasione est inexcusabilis, si sit volita. Porro ne voluntaria, & libera dicatur, adlaborare pro viribus homo debet, ut eam excutiat. Quando Regularis paratus non est ad dimittendum peculium, neque paratus ad recipiendam exactam communitatem, juxta omnium vel laxiorum Probabilistarum sententiam, crimine proprietatis inquinatus est, & in gravissimo æternæ damnationis periculo versatur. Quare neque in Bordonio, neque in Escobario tantam opinandi laxitatem offendi, quantam in libro *Vitæ Claustralis*. Et si omnia inaudita paradoxa, quæ consarcinat, expendere vellem, in immensum volumen Opus istud cresceret, vixque esset scribendi finis. Idcirco plurima prætereo & ut præstitutæ brevitati morem geram, & ut illius pudori parcam. Illud tantum adjiciam: si nullum extat præceptum communitatis, ut effutiunt RR. Magistri, licitum pecu-

culium erit nullis limitibus circumscriptum. Prælati poterunt in magna vel in maxima quantitate pecunias concedere. Si voto sat est pecunias habere Prælato annuente, aureorum scrinia Religiosi tenere licite poterunt. Et quidni? reponent, aut saltem reponere debent RR. Magistri. De hoc suo loco.

CAPUT V.

Regulares voventes paupertatem Monasticam, *vovent exactam communitatem peculii vacuam.*

I. EXpositam thesim fuso calamo demonstravit Author Disciplinæ Monasticæ *Dissert.* 1. *cap.* 3. Ibidem animadvertit se ita tractare hanc quæstionem velle, ut etiamsi falsa foret, non inde tamen quidquam emolumenti colligere adversarii valeant, ut adducto textu infra patebit. Quoniam sive communitati huic devincti Regulares sint vi voti, ut sentit ipse, sive vi præcepti, ut docent omnes, ad conscientiam, & excusationem quod attinet, perinde est. Et quia ambo RR. Magistri nonnulla festiva sane, & lepida sophismata adversus præfatam sententiam opponunt; idcirco operæ pretium duxi, eamdem ad incudem revocare. Idque ut clarius præstem, caput istud in tres tribuo paragraphos. In pimo duabus demonstrationibus propositionem, quam exposui, confirmabo. In altero Magistri *Vindiciarum*, in tertio Authoris *Vitæ Claustralis* responsa expendam.

§. I.

Demonstrationes duæ, quibus evincitur, vi voti Regulares teneri ad exactam communitatem.

I. D*Emonstratio prima*. Votum paupertatis generatim acceptum varios excipit gradus. Alter dominium & capacitatem ad illud, & usum cujusque rei, ceu propriæ excludit. Alter dominium, usumque proprium rejicit, capacitate retenta ad dominium habendum. Tertius dominium servat, sed rerum usum ab aliena voluntate accipit. Postremus

mus nec dominium, nec usum abdicat, sed dumtaxat adeo moderate bonis utitur, ut præter necessaria ad vitæ sustentationem, omnia alia pauperibus eroget. Ad hos quatuor gradus plures alii revocantur. Huic doctrinæ subscribit Magister *Vita Claustralis pag.* 186. Paupertas non est sicuti castitas. Hæc cum extra matrimonium sit omnibus jure tum naturali, tum divino servanda, si semel Deo adpromittitur, integra, & tota vovetur. Nullus hic gradus, nulla limitatio, individua materia est. Quod omnis actio castitati opposita, Matrimonio sublato, vetita sit. Nunquam contingere potest, ut votum istud interdum non obliget. Possessio e contrario divitiarum paupertati opposita, nemini interdicta, omnibus licita est. Quisque pro arbitrio se eadem privare potest, vel ex parte, vel in totum: severiorem, vel mitiorem paupertatem hoc, aut illo gradu circumscriptam, prout expediens existimaverit, adpromittere quisque valet.

II. Hine consequitur, votum quodlibet, cujus materia latitudinem gradusque latiores, aut strictiores admittit, circumscribendum esse a voventis animo. Qualibet namque promissio, ut prudens sit, certam, præfinitamque sibi materiam vindicat. Quis non derideret votum victimæ offerendæ incertæ, & indefinitæ? Effugeret ne imprudentiæ labem ille, qui votum, aut eleemosynæ, nulla designata quantate rei erogandæ, aut peregrinationis, nullo præstituto termino, ederet? Quoniam hæc omnia, & alia id genus plurima, non secus ac paupertas, latius patent, definirique a voventis intentione debent. Quamobrem P. Franciscus Suarez Theologus doctissimus, & gravissimus advertit, peculium non repugnare Voto Paupertatis *UT SIC*, secus vero si votum spectetur ut est præceptis Regularum, legibusque Ecclesiæ circumscriptum. *Tandem advertendum est, sententiam hanc intelligendam esse solum in generali, & ex vi voti paupertatis UT SIC. In particulari autem unaquæque Religio servare debet, si quam Regulam peculiarem circa paupertatis votum & materiam ejus habuerit, quæ cum ejusmodi peculio, & licentia ejus repugnet. tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *c.* 14. *n.* 4. Quia ad hanc doctrinam animum non intenderunt plures Recentiores, qui votum paupertatis Monasticæ considerarunt *UT SIC*, & a legibus Ecclesiæ sejunctum; idcirco viam aperuerunt laxitati. His delibatis, hanc efficio argumentationem.

III. Regulares omnes paupertatem Deo voveat, non incertam, non indefinitam, non quam quisque Regularis sibi ex arbitrio fingit. Quoniam

si a

si a cujusque privata & arbitraria intentione paupertatis votum penderet, tot essent diversa in singulis cœnobiis vota, quot sunt voventes Fratres. Eam itaque paupertatem Deo spondent Regulares, quæ in eorumdem Regulis descripta est. Libere vovere, aut non vovere possunt: at hypothesi facta, quod emittere votum velint, illud ad Regulam, quam professuri sunt, exigere, & conformare astringuntur. Idque patet in altero obedientiæ voto, cujus materia amplitudinem, & gradus habet. Hac enim Regulares obedire Prælatis ad eorum ingenium astricti sunt, sed in iis tantum, quæ Regulæ servanda præscribunt. Hæc omnia adeo certa, adeo luculenta sunt, ut a nemine vocari in controversiam possint. At omnes Monachales Regulæ a Sancta Romana Ecclesia approbatæ, non aliam præscribunt paupertatem, quam vitam communem. *Sint vobis omnia communia, ut legitis in actibus Apostolorum.* Sic Augustiniana, sic Benedictina, sic omnes, quarum textus videri possunt in Disciplina Apostolico-Monastica *Differt.* 1. *cap. VII. & VIII.* Hæc itaque secunda propositio evidentissima est, nulli cavillationi subjecta: & facti res cum sit, oculis solum opus est, ut quisque de ea certior fiat. Ergo Regulares voventes paupertatem, vovent communitatem. Singulas expendamus propositiones. Prima certa est. Contra secundam reponent aliqui, votum paupertatis Monasticæ non aliud imponere nisi *sine proprio vivere*. Si quispiam tibi hanc pernegaret propositionem, quo pacto eam evinceres? Hac via. Paupertas Regularium, ideo *Monastica* seu *Regularis* appellatur, quia juxta Regulas Monachales ab Ecclesia approbatas Deo nuncupatur. Porro Regulæ istæ omnes præcipiunt *sine proprio vivere* Peregregie. Ergo, [audi illationem, quam colligo] ergo exacta communitas voti essentiam ingreditur. Probo. Regulæ Monachales omnes ab Ecclesia approbatæ potissimum Augustiniana, & Benedictina, qua severitate prohibent *Proprietatem*, eadem omnino præcipiunt *Communitatem*. En illarum verba. *Et non dicatis aliquid proprium, SED sint vobis OMNIA COMMUNIA.* Concedunt RR. Magistri primum legis membrum *sine proprio vivere* ingredi voti naturam. Cur? Quia id præceptum in Regula est. At non minus præcipitur a Regula alterum membrum: *Sint vobis omnia communia.* Ergo aut utrumque negent, aut utrumque adfirment, necessum est. Si negant secundum, rejicere & primum debent. Si primum suscipiunt, admittant & secundum oportet. Nulla hic evadendi rima. Aut negandum

sine

sine proprio vivere ad naturam paupertatis monasticæ pertinere, aut concedendum, communitatem proprietati oppositam ejusdem ingredi voti naturam. Quicumque prohibet vitium aliquod, præcipit simul virtutem huic vitio oppositam. Ideo enim Sancti Patriarchæ *proprium* prohibent, ut *vita communis* ducatur.

IV. *Secunda Demonstratio* ab ipsa communi Theologorum definitione arceffita. Docent isti votum paupertatis ut *sic*, in *abdicatione dominii* situm esse, idque adfirmant RR. Magistri. Author Disciplinæ Monasticæ animadvertit, finitionem hanc minus esse exactam, si sermo sit de paupertate *Monastica*: quoniam ex illa Regulares plures violandi votum ansam arripiunt. Sibi quippe illudunt existimantes licitum esse retinere usum pecuniarum, dummodo per Prælati voluntatem dominium civile adjudicetur Monasterio. Cæterum, si definitio suo collocetur in lumine, optima est, ut clare indicatur in præfata Disciplina, & ex illa evidentissime infertur, exactam rerum communitatem voti naturam ingredi. Quod sic evinco. Regulares secundum omnes ad unum Theologos vi voti paupertatis abdicant dominium omnium rerum, omniaque sua bona, tum præsentia tum futura sub dominio constituunt Monasterii. *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio*, ut lex, & omnes tum Theologi, tum Canonistæ clamant, & potissimum RR. Magistri. Dominium ergo peculii cujusque privati Regularis æque pertinet ad Monasterium ac dominium redditum ejusdem Monasterii. Et in hac dominii abdicatione sita est voti natura, & essentia. Ergo æque commune est dominium cujusque peculii ac dominium redditum Monasterii. Ergo pari ratione communis est usus. Dominium quippe usus consequitur. Commune est dominium fundi, agri, pecuniarum: & usus non erit communis? Quis, nisi communi sensui renunciet, hoc asseruerit? Communitas dominii, omnium Theologorum consensione, voti naturam ingreditur: ergo etiam communitas usus. Clamant RR. Magistri, Regulares neque dominium, nec usum fructum, neque usum juris, seu nihil omnino juris retinere super quibuslibet bonis, sed jus omne penes Monasterium residere. Ergo qua ratione Prælatus æqualiter distribuit Monasterii redditus, eadem dividere æqualiter debet privata Monachorum peculia. Hæc demonstratio adeo decretoria est, ut RR. Magistri indictam eam præterire expediens judicaverint. Eam fortius urgebo, cum *prodigiosum illud, POTEST Prælatus* peculium concedere &

 revo-

revocare, in examen veniet. Interea addiderim, quod supra innui, futilem atque perridiculam esse paupertatem illam, quæ, retento sibi libero bonorum usu, dominium civile Monasterio abdicat. Quid, inquiebat olim nobilis quidam, mihi prodest aureorum scrinium & dominium, si eorum usu caream? Aut quid dominii abdicatio nocet, quoties usus liber est? Usus, non dominium, explet, saturatque appetitiones. Usu expenduntur, usu distrahuntur pecuniæ. Usui pecuniarum obediunt omnia.

V. Neque opponas, usum pendere a potestate Prælatorum, usumque *facti* licitum Regularibus esse. Quoniam has cavillationes supra refutavimus. *Usum facti* ex communi provisione collatum, licitum asserunt omnes. *Usum facti* in peculiari crumena, in deposito, in censu vitalitio situm, necessitate vera sublata, damnant Theologi omnes.

§. II.

Responsa Magistri Vindiciarum.

I. Mirifica, unaque festiva sunt responsa, quæ Magister *Vindex* ad hæc, quæ disputavimus reponit. Et primum integram, atque intactam relinquit argumentationem. Quo ergo se recipit? Ad calumnias, ad dicteria homine frugi, honestoque minus digna. Hæresis, & tutiorismi suspectum traducit Disciplinæ Monasticæ Authorem. Illius verba de more transcribenda.

II. Hæc itaque scribit pag. 54. *Innoxie, veraciter, recteque possem adversus eum repetere, quod N. Cl. Melchior Canus tanquam normam inconcussam tradit, nimirum,* „ Concordem omnium Theologorum scholæ de fide, „ aut moribus sententiam contradicere, si hæresis non est, at hæresi pro- „ ximum est „ *Et proximum quidem rigidiorum Systemati de tutiorismo tenendo, quod Alexander VIII. diris devovit: præcipue quum ex præfato Systemate* Zelotis, *sequeretur nec Romanum Pontificem posse super communi vita cum Monacho dispensare, si ea ad essentiam & quidditatem voti paupertatis spectaret.* Communis Theologorum sententia est, Regulares omnes sub gravi reatus culpa communi vitæ esse astrictos. Hanc communem Theologorum sententiam propugnavit Author *Disciplinæ Monasticæ*, propugno ego. Quod autem teneantur aut vi voti, aut vi præcepti voto connexi

nexi ad praxim, quod attinet, perinde fere res sese habet. Omnes enim Theologi, qui defendunt præceptum vitæ communis, docent sacrilegium perpetrare contra votum, qui ejusmodi transgrediuntur præceptum voto a Regulis Monachalibus, & Ecclesiæ legibus adjectum. Verum, ut calumnia tanti Magistri evidentissime pateat, verba lectorum oculis subjicienda, quibus Author *Disciplinæ Monasticæ* suam sententiam exposuit. Sic enim sub initium disputationis præfatus est *pag.* 8. „ Antequam manus „ confero, illud te admonendum permagni interest, me videlicet ita istius „ capitis quæstionem pertractare, ut etiamsi falsa forent quæ dicturus „ sum; non ob id tamen præjudicii quidpiam accedere possit causæ meæ. „ Istius siquidem præcipuus *ac ferme unicus scopus eo spectat*, ut evincam „ Regulares omnes ad vitam communem amplectendam, & peculia abi- „ genda sub peccati mortalis, & damnationis æternæ pœna adstrictos esse. „ Idque ex communi consensione & Theologorum, & Canonistarum asse- „ rentium vi gravissimi præcepti laudatæ communitati devinctos esse Re- „ gulares. Quod autem communitas ipsa voti essentiam ingrediatur, sive „ extra divagetur, sive directe, sive oblique a voto inspiciatur, *utcum-* „ *que res se se habeat, ad meum primarium institutum quod attinet, perin-* „ *de fere est*. Non est ergo, cur præjudicii quidquam subire debeat cau- „ sa meæ principalis, *tametsi, quæ hoc in capite dicturus sum, tibi minime* „ *probarentur*.

III. Ubi hic, R. P. Magister, *tutiorismi* vola? Ubi hæresis suspicio? Tibi non probatur sententia exposita? Eam rejice: inter nugas amanda. Nihil inde emolumenti colliges ad evitandum sacrilegium, si, absque justa causa, communis vitæ præceptum transgrediaris. Suspectus de hæresi, & tutiorismo apud te inaudit Theologus, qui, ut efficacius aliquam sententiam communem inter Theologos confirmet, novam quampiam rationem promit, aut prius indicatam meliori in lumine collocat, eamque sapientum judicio demisse subjicit. Id autem præstitit Author Disciplinæ Monasticæ hæc subdens loco citato. *Cum paupertatis Monasticæ voti examen recurrat, non abs re existimari debet, post expositam aliorum Theologorum opinionem, si, quid ipse sentiam, libere pronuntiare, & ALIORUM JUDICIO SUBJICERE VELIM*. Deprehendat nunc R. Magister quam sit manifesta calumnia *Tutiorismi*, suspicionisque *hæresis* Fratri suo afficta? Consectarium, quod infert de sublata Pontifici Summo potestate

S 2 exi-

eximendi a communis vitæ observatione, si hæc voti naturam ingrediatur, illius respondet eruditioni, illumque istius controversiæ innocentissimum patefacit. Communitas hæc sive directe, sive oblique ingrediatur voti naturam, exempti sunt ab eadem Regulares, necessitate urgente, & in dubio, & ob rationabilem causam, non a Pontifice modo, sed a quopiam Prælato dispensari licite possunt, ut in loco fusius explicabitur: Quod opponit pag. 49. *in limine offendisse Zelotem*, risu dignum est. Cur quæso impegit in limine? Quia inquit pag. 51. P. Lezana & Theologi alii plurimi docent, teneri utique Regulares vi gravissimi præcepti ad exactam communitatem, negant vero hanc ad voti naturam pertinere. Hæc est tua Confessio cit. pag. 51. *Laudatus* Lezana *etsi communem vitam servandam adstruat, eam tamen non ex voto paupertatis astringere dicit, sed ex Ecclesiastico Jure*. Ergo, te Judice, causa cecidisti, cum Author Disciplinæ toties testatus sit, se nihil aliud in hac controversia intendere, nisi evincere, Regulares gravissima obligatione exactæ communitatis observationi subjectos esse. Quod vero ejusmodi obligatio proficiscatur aut a voto ipso, aut a præcepto voto ab Ecclesia addito, ad executionem quod attinet, perinde est. In hoc situs est totius causæ scopus. Ad majorem dumtaxat confirmationem additur, Theologos ipsos, si bene explicentur, docere communitatem ipsam voti paupertatis Monasticæ naturam ingredi. Quoniam tam Lezana, quam Thomas a Jesu, & cæteri omnes, dum afferunt, exactam communitatem quid esse præter voti naturam, votum considerant *ut sic*, & *simpliciter*, ut ipsi loquuntur, nempe præcisum a Regulis, & ab Ecclesiæ præcepto. Hæc sunt verba Lezanæ a te laudata. „ Nec solum tenentur Religiosi quomodolibet non habere proprium, aut „ servare paupertatem, sed etiam *specialiter vivendo vita communi* .... „ Quia licet sine tali vita communi possit observari *simpliciter* votum pau„ pertatis .... *Nihilominus tamen Ecclesia a Spiritu Sancto edocta videns*, „ *quod sine prædicta vita communi difficile observari possit paupertas Reli-* „ *giosa : ideo omnibus Religiosis istum specialem modum paupertatis, qui* „ *in vita communi consistit, observandum præscripsit* „. Idem omnino docent Donatus Ramirez, & alii Theologi omnes. Quæro nunc abs te. Nonne Regulares omnes votum edunt paupertatis secundum leges ab Ecclesia præscriptas? Ais? Ergo licet votum paupertatis *ut sic*, & *simpliciter*, seu præcisum a legibus istis, non exprimat communitatem,

tatem, editum tamen juxta leges Ecclesiæ præfatam communitatem includit. Sicuti licet jejunium, *ut sic*, *& simpliciter* non habeat annexum ciborum delectum, tamen secundum Ecclesiæ leges abstinentiam a carnibus involvit. Quare omnes Theologi adfirmant, hoc præceptum totum quoddam esse duabus partibus, nimirum unica commestura, & abstinentia a carnibus, constans. Et qui istius jejunii votum edit utramque partem vovet. Disputant dumtaxat Theologi utra harum partium principalior sit. Pariter materia voti paupertatis totum morale est his duabus partibus conflatum, *sine proprio vivere*, *& exacta rerum communitate*. Quod porro hæc communitas primario, aut secundario voti naturam ingrediatur, vel quod sit voti naturæ extima, eidemque per modum præcepti addita, disputationes sunt ad causæ decisionem parvi, aut nullius emolumenti. Æque enim peccatum mortale sacrilegii perpetrat, & perit, qui violat præceptum voto additum, ac qui transgreditur votum ipsum. Eam accipe, per me licet, quæ tibi magis arridet, partem.

§. III.

Responsa Magistri Vitæ Claustralis *seipsis corruunt.*

I. QUÆ hactenus dicta sunt adversus Magistrum *Vindicem*, convellunt omnia, quæ opponit Magister *Vitæ Claustralis*. Supervacanea propterea confutatio esset, nisi quædam inventa sane curiosa adjiceret Author noster, quæ & illius causæ imbecillitatem, & ejusdem acuminis penetrationem magnopere ostendunt. Itaque 2. *part. Dissert.* 2. *cap.* 3. *pag.* 210., præmissa declamatione in *Rigoristas per avia*, *per prærupta*, *per rupes*, *& cautes* vagantes, commostrandum suscipit *immani intercapedine* paupertatis votum, & bonorum omnium communitatem invicem separari. Qood tametsi evinceret, nihil inde colligeret, ut toties dictum, & dicendum sæpius est. Cæterum disputationis gratia videamus, quæ sint Magistri nostri oppositiones. Primum in examen vocat argumenta sui adversarii pag. 212. his verbis. „ Ut igitur Daniel Concina ostendat ejusmodi „ rerum communitatem paupertatis voto, quod Deo nuncupant Claustrales, „ adeo annexam esse, ut si separetur, votum concidat necesse sit, duo „ statuit principia judicio suo certissima, atque evidentissima. Quorum pri-

„ mum

„ mum est: *Paupertatis votum generatim acceptum, & ab omni circum-„ stantia præcisum, plures excipit gradus: nec in hac acceptione unum præ „ alio prodit, quemadmodum neque communitatem aut claudit aut rejicit.* „ Alterum : *Quodlibet votum materiam certam & prædefinitam sibi vendi-„ cat* .... Ex quibus principiis ita philosophatur : *Regulares omnes pau-„ pertatem Deo vovent non incertam, non indefinitam, non ad cujusdam me-„ taphysicæ definitionis amussim exactam, non denique, quam sibi vel Theo-„ logi, vel Summistæ suis abstractionibus effingunt; sed eam præcise, quæ „ in eorum respective Regulis præscripta reperitur. Porro Regulæ omnes Mo-„ nachales, omniumque Patriarcharum, licet in aliquo additamento differant; „ in hoc tamen omnino conveniunt, ut scilicet non aliter suis Religiosis pau-„ pertatem vovendam præscribant, quam exactissimam vitam communem* .... „ *Ergo Regulares voventes paupertatem, bonorum vovent communitatem*.

II. Hac descriptione peracta, anhelitum recipiens, in has erumpit exclamationes. „ En Achilleum Danielis argumentum? ... Proh quan-„ tum valet partium studium? Tanquam solidissima prodit, quæ vel „ uno *talitro* excutiuntur, confringuntur, dissipantur.

III. Tantum roboris *talitris* tribuis? Spectemus ergo istius *talitri* prodigium. *Primum principium*, inquit, *falsum* : *falsissimum immo statim se prodit*. Hoc principium primum, quod falsissimum asserit, admittunt Theologi omnes. Quis hoc asserit? Quis? R. Magister *Vitæ Claustralis* pag. 186. his verbis. *Quatuor gradus paupertatis assignant THEOLOGI OMNES, quorum prior est, quum quis relictis post se rebus fere omnibus, rei tantummodo moderatæ dominium & usum sibi retinet. Alter gradus est... Tertius gradus est. Quartus denique* &c. Suas hasce antilogias *talitro* componere studeat, & interim confiteatur primum illud principium Concellitæ sui, videlicet *paupertatis votum generatim acceptum plures excipere gradus*. Cæterum quid petit P. Magister? Ut principium illud falsum sit, an verum? Si verum, ut revera est, injuria illud negat. Si falsum. Paupertas ergo *generatim* accepta ita determinatum gradum habet, ut a voventis intentione non pendeat hunc præ alio gradum vovere? Ille ipse fatetur pag. 186. votum paupertatis generice acceptum *rei moderatæ dominium & usum sibi retinere* posse, & solum *excessum abjicere*. Et reapse scholares, ut vocant, Inclytæ Societatis Jesu, votum edunt paupertatis, retento rerum dominio, absque tamen ejusdem usu. Et nunc, „

ut

Digitized by Google

ut evidentissimæ demonstrationis vim elevare contendat, principium rotunde negat, quod paucis paginis ante, ipse certum esse penes omnes Theologos scribit? Sed pergamus ultra.

IV. „ Æque nutat [subdit pag. 213.] alterum principium : *Quodlibet votum certam & prædefinitam sibi vendicat materiam.* Nutat hoc „ principium? *Immo*, subdit, *falsum ex eo audit, quod quisvis sancte,* „ *nedum prudenter, nullo sibi præstituto Ordine, nullo designato Instituto,* „ *vovet Religionis ingressum . . . . Quis sodes dixerit imprudenter agere* „ *hominem . . . qui . . . Deo adpromittat, voveatque revera, se deinceps eleemosynam elargiturum, nullius rei genere, nullaque quantitate* „ *præscriptis? Aut ille, qui Theatra, & fora in more habuit adire,* „ *Ecclesias, & Templa vix e limine salutavit, vovet, & spondet peregrinationem ad Sanctuaria, quin ad Lauretanum, aut Compostellanum, aut* „ *Assisinas se se determinet? Utrumque prudentissimum in vovendo dixerint omnes* „.

V. Digna tanto Magistro commentatio. Cedo. Cum peregrinationis votum executioni mandandum sit, debent ne voventes seu deliri, & bacchantes per mundum huc, atque illuc vagari, nullo peregrinationis suæ termino præstituto? Cum votum eleemosynæ implendum est, an non debet vovens quantitatem rei votæ & distribuendæ in pauperes definire? *Sancte*, inquis, *nedum prudenter* quivis, *nullo præstituto sibi Ordine, nullo designato Instituto, vovet Religionis ingressum.* Næ tu in Christiana Theologia eruditissimus? Audi quid de hoc pronunciato Martinus Navarrus scribat *in Manuali cap. 12. n. 44. Decimo Sexto peccat, qui vovet Religionem in genere, & absolute, neque saltem animo restringit ad illam Religionem.* Hæc comperta sunt vel ipsis rei Theologicæ Tirunculis. Cedo. Cum quis votum Religionis suscipiendæ exequi debet, an non cogitur unum præ alio sceligere Sacrum Ordinem? Paupertas, quæ a Regularibus vovetur, illico executioni mandari debet. Quis dixerit, præfata vota indefinita esse omnibus numeris absoluta? Quis sanæ mentis negaverit, præfiniendam esse materiam, antequam hæc vota impleantur? Et nunc in discrimen vocatur hoc principium, videlicet quodlibet votum executioni demandandum certam sibi asciscere materiam? Fac principium istud esse falsum. Quid heinc colligis? Regulares nempe edere votum incertum, vagum, versatile, &

pau-

paupertatis arbitrariæ. Hoc est consectarium, quod ex negatione præfati principii necessario proficiscitur.

VI. Quid reliqui adfert Magister noster, ut præfata duo principia evacuet, vel ut falso saltem splendore homines fallat? Nihil prorsus. Sed ovans, ac veluti trophæis onustus, volubili verborum rotatu clamat: *Ex futilitate horum principiorum nemo non videt longe futiliorem esse, quæ ex his deducitur, argumentationem. pag.* 213. Porro argumentatio Authoris Disciplinæ hæc est. „ Regulares non indefinitam paupertatem Deo vovent, sed eam præcise, quæ in eorum respective Regulis præscripta reperitur. Porro Regulæ omnes Monachales non aliam paupertatem jubent, quam exactam vitam communem: quoniam non aliam præcipiunt paupertatem, quam quæ in *Actibus Apostolorum* descripta legitur, ut omnes Regulæ testantur „.

VII. Quid ad hæc Magister *Vitæ Claustralis*? Prima propositio, inquit, *pag.* 214. *implexa atque involuta est, & primo principio, unde orta est, nihilo melior*. Implexa est propositio, qua asseritur, te eam vovisse paupertatem, quam Regula Augustiniana præscribit? Putabam eum solum hanc cavillari propositionem posse, qui non minus in clara luce cœcutit, ac si densa caligine circumdaretur. Quare veluti in scenis Eumenidum videt agmina Pentheus, & solem geminum, & duplicem se ostendere Thebas: sic Author iste implicatam videt propositionem, quæ omnibus non vertigine actis perspicua est. Rationem porro, cur involuta dicatur, nullam prodit. De Secunda propositione hæc scribit ibidem. *Hanc alteram propositionem, adductis Regularum Monachalium Textibus, cimmeriis tenebris obscuriorem infra demonstrabimus, & nunc nobis ut falsam negari jure poscimus*. Cimmeriis tenebris obscurior præfata propositio? Textus Regularum hic est: *Sint vobis omnia communia, ut legitis in Actibus Apostolorum*. Verum habet, reponit adversarius: sed videndum superest, cujus generis sit communitas in Actibus Apostolorum. Negat ille communitatem descriptam a Luca, peculii fuisse vacuam. *Qualis ea* (inquit ille) *fuerit primorum Christianorum in Actibus Apostolorum descripta communitas, diximus superius, videlicet, ab ea, quam sibi fingit Daniel, omnino diversa*. Cur longe diversa? Quia communitas, quam sibi fingit Daniel, est exacta & perfecta, cujusque privati peculii vacua. Hæc communitas *perfecta* non emicuit in Collegio Apostolico. Alumni

illius

illius Collegii ſuum privatum habuere peculium. *Rotunde negamus, pernegamuſque, Vitam communem, quam Apoſtolorum exhibent Acta, talem tantamque fuiſſe, quæ cujuſque peculii expers foret & caſſa. pag.* 243. Conſule quæ dicta ſunt *Diſſert. prima part.* 2. *cap.* 4.

VIII. Habemus plano in lumine poſita reſponſa, quibus vim demonſtrationis factæ ab Authore Diſciplinæ evacuaſſe ſe jactavit P. Magiſter *Clauſtralis*. Negat, aſtringi homines ad definiendam materiam, quam promittunt, voventque Deo. Contendit, prudentes eſſe illos, qui vovent res vagas, incertas, indefinitas. Hoc eſt primum & invictiſſimum principium ſui interpretamenti. Quod licet communi ſenſui repugnet, tamen ſi eum ſecundo comparetur, non eſt adeo prodigioſum. Alterum igitur, quo negat *perfectam* fuiſſe Collegii Apoſtolici rerum communionem, cui adjicit peculium, *ERROR turpiſſimus* eſt, ut *loc. cit.* vidimus. Error, quem Catholicorum nemo hactenus commentus eſt, atque adeo, ut mea minima præfert opinio, ſevera cenſura plectendus. Hæretici ipſi commendant perfectam Sanctiſſimi illius primævi Cœtus communitatem peculio vacuam, ut alias innuimus.

IX. In has prolabuntur hallucinationes, erroreſque, qui manifeſtiſſimam veritatem oppugnare audent. Sic ſe deridendos propinant, qui luculentiſſimas demonſtrationes, vel *uno talitro excutere, confringere, diſſipare* gloriantur. I' nunc P. Magiſter, & cum pueris, non cum Theologis *talitris* lude tuis. Piget enim me diutius immorari in iis repellendis, quæ proprio horrore ſe ſe deſtruunt. Illud magnopere advertendum, quod ſecundam Demonſtrationem a communi definitione Theologorum petitam, integram, illibatamque reliquit obſequio ſummo Eruditus Clauſtralis. Quoniam vix in eadem verbum aliquod occurrit cavillis ſubjectum.

X. Quod eodem capite pag. 215. 216. & ſeqq. ſubdit conſequi, Clauſtrales vovere cætera omnia, quæ ſunt in Regula, ſi voverent communitatem, nimium inane eſt. Siquidem Conſtitutiones Ordinis, D. Thomas, & Doctores omnes docent, *omnia* in Regula contenta non eſſe impoſita ſub præcepto. Verum eſt. Ergo *nihil?* Non omnia ſtatuta in Regula ſunt præcepta: ergo, inferunt *Magiſtri ambo*, nullum præceptum in Regula eſt. Aut ſi unum in Regula præceptum eſt: ergo omnia ſtatuta Regulæ præcepta ſunt. His perpetuis utuntur paralogiſmis.

Hæc est Dialectica eorum, qui in Tentoriis Scholasticis dies insumpserunt & annos, quique jam sunt rude donandi. Quare consequitur juxta illos non peccare nec venialiter eum, qui non vivit sine proprio, nec in communi; sicut nec venialiter peccat qui cæteras Constitutiones violat. Verum capite sequenti palam fiet, gravissimo præcepto communitatem in Regula Augustini, Benedicti, & aliorum omnium præscribi.

XI. Prætereo quoque quæ scribit *cap. IV. a pag.* 222 *& seq.* ubi quærit, ubinam Sacrarum Scripturarum, in Veteri, vel in Novo Testamento, in Prophetis an in Apostolis inveniatur, communem vitam esse juris Divini? Semper sibi constat Author noster in suis argutationibus. Observantia communitatis Apostolicæ Consilium Evangelicum est. Edito voto eamdem servandi, juris Divini, & naturalis est votum dictæ communitatis Domino Deo reddere. Capit. V. a pag. 255. notiones peculii tradit. De eisdem supra sermo fuit, & iterum recurret, cum quantitatem peculii licitam in casu magnæ necessitatis dispiciam. Cap. VI. a pag. 233. quid nomine proprii Augustinus intellexerit, explicare pergit. Eo illius conatus spectant, ut Fratres Mendicantes suas peculiares crumenas habeant, non sub nomine *proprii*, sed sub nomine *peculii*. Ita ille rerum notiones omnes pervertit, ut tandem sub hac, aut illa voce suis fruatur pecuniis. Nullum tamen vel ambiguum textum obtrudit, qui interpretatione aliqua egeat. Augustini doctrina optimo in lumine exposita legatur in Disciplina Monastica *Dissert.* 1. *pag.* 11. *&* 12. ne actum reagamus. Quæ præfatus Author ibidem ex V. Humberto & Cardinali Turrecremata opponit, capite sequenti dispiciam, & quam sit incredibilis Magistri *Claustralis Vitæ* hallucinatio fiet palam. Si singula illius errata minutatim excutere vellem, nihilque intactum relinquere, ad immensam usque magnitudinem liber excresceret. Nihil tamen præteribo, quod negotium facessere possit.

XII. In hujus capitis calce scire cupis, cur Adversarii tam obfirmate negent, communem vitam ad votum paupertatis Monasticæ Deo adpromissæ secundum Regulas ab Ecclesia approbatas, pertinere? Responsum jam est, hoc ex illorum ignoratione, in tantis Magistris vix ferenda, ortum ducere. Putant siquidem hcinc consequi, nulla potestate permitti licite peculium posse. Quæ hullucinatio nimium crassa est. Quando materia voti suapte natura licita est, sicuti est pecuniæ usus:

&

Digitized by Google

& quando votum contractum onerosum, ut vocant, includit, tum plures occurrere causæ valent justæ dispensationis, maxime si detur aliud jus, quod prævaleat. Si Prælati necessaria ad sustentandam naturam non porrigunt, Religiosi Claustrales jure naturæ ejusmodi necessaria providere sibi valent, etiam repugnante Prelato, admissa hypothesi veræ necessitatis, & injustitiæ Prælati nolentis porrigere ea, sine quibus vita consistere nequit. Itaque, sive communitas bonorum præscripta sit Regularibus vi præcepti, sive vi voti, quando justa adest causa habendi ea, quæ injuste a Religione denegantur, & sine quibus vivere secundum normam a Regula propria definitam nequeunt Claustrales, licite retinere peculium valent. Hæc omnia luculenta sunt. Quare nullus dubito, quin omnes, qui recte sapiunt, concessuri sint, bonorum communionem ad votum pertinere paupertatis Monasticæ, quatenus vovetur secundum Regulas ab Ecclesia constitutas. Et licet Theologi & Canonistæ sub hoc aspectu causam hanc non versarunt; tamen illorum doctrina recte explicata hunc habet sensum.

CAPUT VI.

Vi gravissimi præcepti astricti sunt Regulares exactæ communitati peculio vacuæ.

QUamquam falsa foret sententia, qua superiori capite ostensum est, exactam rerum communitatem ingredi vel primario, vel secundario essentiam voti Monasticæ paupertatis; nullum tamen inde emolumentum colligerent peculii privati defensores, ut alias diximus, & dicendum est. Quare si tibi non probatur, illius falsitatem ostendito. Universæ disputationis nostræ cardo in hoc vertitur: Regulares Ecclesiastica gravissima saltem lege astrictos esse exactæ communi vitæ cujusque peculii experti. Et hæc non opinio quædam est disputationi obnoxia, sed certa & communis Theologorum sententia, ut toties admonuit Author *Disciplinæ Monasticæ*. Neminem sane ego vidi, qui legem hanc absolute neget: solum ab hac lege immunes Regulares asserunt, necessitate vera, & non ficta, cogente, ut infra fusius demonstrabo. Theologorum placita sequenti dissertatione referam, & a vanis

commentis vindicabo. Legem ipsam in præsentia pro dignitate expendam. Caput hoc claritatis gratia in varios dividam paragraphos.

§. I.

Regulæ Monachales omnes sub præcepto imponunt communem vitam.

I. Omnium Regularum Monachalium textus, qui perspicue vitam communem præcipiunt, legi possunt in Disciplina Apostolico-Monastica *Diss.* 1. *cap.* 7. *&* 8. Illhuc Augustinianæ dumtaxat, & Benedictinæ Regulæ unum, & alterum textum transcribam. Augustiniana hæc jubet. *Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia . . . Sic enim legitis in ACTIBUS APOSTOLORUM, quia erant illis omnia communia, & distribuebatur unicuique, prout cuique opus erat.*

II. Porro, ne RR. Magistri eludendi præceptum illud latebras quæritent, textus luculentissimos Constitutionum, quas ipsi professi sunt, in medium affero. *Diss.* 1. *cap.* 14. *text. III. lit. D. Tam Novitii, quam alii Fratres debent sine proprio vivere, sicut MANDATUR IN REGULA, ubi dicitur: Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Regula dicit: *Sint vobis omnia communia, ut legitis in actibus Apostolorum.* Communitas Apostolorum peculium quodlibet rejicit, ut concedit Magister Vindex. Negat utique id Magister *Vitæ Claustralis* rotundo ore; sed errorem hunc supra rejeci. Igitur vi Regulæ, & Constitutionum, quas professi sunt, Apostolicæ communitati astringuntur. Quid responsi exhibetis? Regula, inquiunt, & Constitutiones hanc communem vitam laudant, non præcipiunt. *Poscunt Coenobitæ Prædicatores* (inquit Magister *Vitæ Claustralis* pag. 218.) *ubinam sit hoc de observanda exactissima communitate Præceptum?* Falsum est hoc illos poscere, cum vel ipsi Novitii hoc præceptum perspectum habeant, quem in ipso primo Constitutionum textu legunt. Si tu illud ignoras, aures arrigito. *Declaramus, quod unitas cordium in his, quæ Dei sunt, secundum Regulam nostram est in PRÆCEPTO, sicut & COMMUNITAS RERUM. Sed ratione diversa. Nam ad unitatem cordis servandam*

dam ex Divinæ legis generali Præcepto, de quo in Regula admonemur: *AD CONMUNITATEM AUTEM RERUM EX IPSIUS REGULÆ PRÆCEPTO ADSTRINGIMUR. Et ideo circa unitatem cordium, & communitatem Rerum magna diligentia adhibenda est.* Adeo hæc explorata sunt, ut omnes, qui in Regulam Augustinianam commentarios ediderunt, fateantur sub gravi præcepto præfatam imponi communitatem.

„ III. Textus Benedictinæ Regulæ habetur cap. 33., estque sequentis tenoris. Præcipue hoc vitium peculiare radicitus amputandum est de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine jussione, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino: quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate. *Omnia vero necessaria a Patre sperare Monasterii, nec quidquam licebit habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit.* (Audi quæ Regula adjicit] *OMNIAQUE omnibus SINT COMMUNIA, ut scriptum est* Actorum IV. *nec suum quisquam aliquid dicat, aut præsumat.* Quod si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel, atque iterum: si non emendaverit, correptioni subjaceat. [Et cap. 34.] Sicut Scriptum est: *Dividebatur singulis, prout cuique opus erat. Actorum IV.* ubi non dicimus, quod personarum, quod absit, acceptio sit, *sed infirmitatum* consideratio. [Et cap. 55.] Et ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, *Dentur* ab Abbate OMNIA necessaria, idest cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, ut OMNIS AUFERATUR NECESSITATIS EXCUSATIO. A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Apostolorum: quia dabatur singulis, prout cuique opus erat. [Act. IV.) Et cap. 59. Si quis forte de Nobilibus offert Filium Deo in Monasterio, si ipse puer minori ætate est, Parentes ejus faciant petitionem, quam supra diximus. Et cum oblatione ipsam petitionem, & manum pueri involvant in Palla Altaris, & sic eum offerant. DE REBUS AUTEM SUIS, AUT IN PRÆSENTI PETITIONE PROMITTANT SUB JURE JURANDO, QUIA NUMQUAM PER SE, NUMQUAM PER SUFFECTAM PERSONAM, NEC QUOLIBET MODO

„ EI

„ EI ALIQUANDO ALIQUID DENT, AUT TRIBUANT OC-
„ CASIONEM HABENDI.

IV. Qualis est *germanus* sensus Regulæ S. Benedicti? Quod servetur in ipsa professione pensio vitalitia? Quod pecuniæ ex prædicatione, ex Cathedra, ex donatione Parentum obvenientes, sub peculiari triplici clavi serventur in futurum? Næ iste *genuimus* sensus? Et huic *genuino sensui* innixus D. Thomas Aquinas oblatus in Monasterio Cassinensi, utpote de Nobilissimis Parentibus, pensionem sexaginta aureorum habuit non ne? Neapoli legit circiter annum, atque adeo duodecim dumtaxat aureos Conventus exegit. Ingentior summa conflata ex censu vitalitio Paterno non ne? Hæc sunt Adversariorum erudita commenta. Regulæ igitur, tum Augustiniana, tum Benedictina, & cæteræ omnes, qua severitate prohibent: *Non dicatis aliquid proprium*, eadem omnino præcipiunt: *Sint vobis omnia communia*. Aut utrumque negent, aut utrumque adfirment, oportet, quin effugio locus pateat ullus. Legantur quæso novem supra viginti argumenta, quibus Gersonius evincit, Regulam S. Augustini peculium damnare. Tractatus Gersonis insertus est Disciplinæ Apostolico-Monasticæ *pag.* 513. Ex confutatione cavillationum, quibus veritas hæc obnubilare student, splendidius refulgebit.

§. II.

Singularia Magistri Vindiciarum, & Vitæ Claustralis *Responsa*.

I. R. R. Magistri adversarii quædam responsa habent peculiaria, & quædam communia. Infra communia, peculiaria hic sigillatim refellenda. *Peculiare* Magistri *Vindicis* responsum peracutum est. Scribit *pag.* 228. *&* 229. *Objicit iterum Adversarius Regulas Monasticas &c.... Verum quam infeliciter ad veterum monumenta, & ad recentiores Regulas adpellet: quam futilis sit argutatio . . . . bene novit, qui vere est eruditus*. R. Magister eruditissimus cum sit, quidpiam peregrinæ eruditionis nobis porriget. Et primum testatur, se nolle ad Cl. P. Passerini castra confugere, sed propriis velle lacertis *cataphractum militem* discerpe-

re.

Digitized by Google

re. Idque jure sibi vendicat, cum in Palestra Theologico-Scholastica diu stipendia meruerit. Hoc ergo præbet responsum albo signandum lapillo. pag. 230. *DATO, quod in veterum PATRUM REGULIS expresse, & sine ambage & luculentissime præcipiatur exacta communis vita, QUID NOBIS IN PRÆSENTIARUM CUM ILLIS?* Oh sinceram atque veracem Confessionem? Arma ergo ponamus, P. Magister, mutuo pacis fœdere inito. Sed ponat simul necesse est vestium insignia earumdem Regularum. Quid in libri fronte Ordinis illius se prodit alumnum, si *nihil sibi est* cum Regula, quam Ordo iste profitetur? Sed cur, amabo te, sub Disputationis initium candide fassus non est, sibi nihil negotii cum Patrum Regulis intercedere, ut suo, meoque labori parceret? Verum adeo me miseret tanti Viri, ut nequeam illum severius in quæstione torquere.

II. *Singulare* Magistri *Vitæ Claustralis* interpretamentum apertissime oppositum est Magistri Vindicis commento. Lucidissima veritas, quemadmodum sol meridianus in tenebris ambulantium juxta oculorum dispositionem, plus minusve aciem perstringit. Itaque Magister *Vitæ Claustralis* fatetur, Regulares eam profiteri communitatem, quam præscribunt Regulæ Monachales. Textus Regularum earumdem, qui allati sunt in Disciplina Apostolico-Monastica, transcribit citata *Differt.* 2. *cap.* 7. *pag.* 242. Post, suam adjicit commentationem, quam bis jam dedimus; sed tertium rescribenda, quia revera hic propriam habet sedem. Hac ergo exclamatione infit *pag.* 243. „ Proh quantum ab utriusque Patriarchæ „ mente abscesserit [Author Disciplinæ]! Equidem fatemur planum esse, Sanctos Patriarchas Augustinum, & Benedictum omnium bonorum „ communitatem, in Actibus Apostolorum descriptam, eorum Regulas pro- „ fitentibus præcipere : *At Rotunde negamus, pernegamusque, Vitam „ communem, quam Apostolorum exhibent Acta, talem tantamque fuisse, „ quæ cujusque peculii expers foret, & cassa*. Plura subdit, quæ brevitatis gratia prætereo, maxime quod sint prorsus implexa. Modo peculia vocat portiones de communi collatas, modo subdit, primævos Fideles *de Apostolorum venia* separata habuisse marsupia, non occulte, ut Judas, Anania, & Saphira, sed de Apostolorum venia, eo prorsus modo, quo nunc laxioris Disciplinæ Fratres separatas de *Priorum venia* suas habent crumenas. Unum oro, obtestorque lectorem, ut legat Clarissimum Thoma-

maſinum (ut alias admonui) *p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 21. Quem iterum Magiſter noſter, ut novum exhibeat ſuæ ſinceritatis argumentum, pro ſua erronea opinione allegat. Primum commentum Magiſtri *Vindicis*, ſi Regularibus invidiam creat, quaſi non Evangelico-Apoſtolicam paupertatem profiterentur, ſed cujuſdam paupertatis formam ab hominibus excogitatam, ſaltem obſequium prodit in primam Apoſtolici Collegii communitatem. Verum enim vero inauditum commentum, quo Magiſter *Vitæ Clauſtralis* negat, ut *Diſſer. Prælim.* demonſtravimus, *perfectam* obtinuiſſe in Apoſtolico Collegio communitatem, tenebras offundit Apoſtolorum, & totius primævi illius cœtus Sanctitati, injuriam graviſſimam irrogat Apoſtolis, primævis fidelibus, atque omnibus Eccleſiæ Patribus, qui ſemper exactiſſimam in illo Collegio agnoverunt communitatem. Scandalum denique graviſſimum ingerit tum Catholicis, tum hæreticis: quod, ut auferatur, *error* ſevera plectendus, ſalvo meliori judicio, cenſura eſt, ut alias indicavimus.

§. III.

Communia utriuſque Magiſtri Vindicis, & Clauſtralis commenta, *V. Humberti*, *& Turrecrematæ authoritate falſo nixa.*

I. NEgant ambo Magiſtri, præceptum exactæ communitatis in Regulis Auguſtini, Benedicti, aliorumque Patriarcharum contineri. Idque oſtendere ſibi blandiuntur authoritate *V. Humberti* quinti Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri, & celeberrimi viri Cardinalis de *Turre Cremata*. Summa hic, fateor, animi moderatione opus eſt, ne verbum calamo excidat, quod minus me deceat: & alia ex parte vix aliquod occurrit opportunum ad exprimendum negotium, quo de agitur. Ut ſub initium lector deprehendat, quam candida ſit in hac controverſia Adverſariorum fides, illud ſciat oportet, quod Regula Auguſtini, & Conſtitutiones plurium Ordinum, ut Prædicatorum, Jeſuitarum, aliorumque non obligant ad culpam, genere ſuo, vel venialem, ut alibi admonuimus, atque indicavimus hoc ſophiſma adverſariorum nimis craſſum: *Non omnia, quæ continentur in Regula ſunt præcepta: ergo* nul-

Digitized by Google

nullum preceptum in Regula. Quod ut evincant ambo RR. Magistri, textus Humberti, & Turrecrematæ exscribunt, fusius tamen id præstat Magister *Vitæ Claustralis*, quia hic posterius, & quinque annorum intervallo, conficiendo operi desudavit. Alter *volante calamo* scripsit. Ad rem.

II. Sic infert Magister *Vitæ Claustralis* cit. pag. 243. „ Verum enim „ vero, si ita est, indigitet nobis præceptum hocce, referet nobis quod „ occultum est in his Regulis. An in Augustini Regula de exacta omnino communitate præceptum esse dixerit; quoniam ante ea verba: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia*, dixerat Augustinus: *Hæc sunt, quæ ut observetis, precipimus in Monasterio constituti*. Si ita est, dicere quoque opus erit, NIL ESSE PRORSUS in Augustini Regula, quod *præcepto non subjaceat* „. Aut ergo, argutat ille, dicendum omnia contenta in Regula esse præcepta, aut nullum extare. Et ut id evincat, auctoritates allegat, subdens *pag.* 244.

„ Verum quominus ad arbitrium nostrum philosophari videamur, utriusque Regulæ summos interpretes consulamus, quibus non obsequi illiberalis pervicacia est, & indomiti animi indoles, Humbertum mirum post Patriarcham Gusmanum Prædicatorii Ordinis Magistrum V. [*IV. dictum voluit P. Magister: siquidem cum ipso, non post ipsum Patriarcham quintus Generalis fuit Humbertus*] & Joannem Cardinalem a Turre Cremata O. P. quorum Prior in Regulam S. Augustini, posterior in S. Benedicti, egregios edidere Commentarios: ab his quodnam præceptum in laudatis Regulis sit, dedocebimur. Ab Humberto antiquioris Regulæ antiquiore commentatore exordiamur „.

III. Ex prolixa præfatione quisque existimabit, Venerabilem Humbertum conceptis verbis definire, exactam rerum communitatem haudquaquam sub præcepto ab Augustino imponi. Verum judicium suspendas velim, donec textus audieris, quos præfatus P. Magister *Vitæ Claustralis* transcribit. Igitur Humbertus exponens secundam periodum Proemii Regulæ Augustinianæ: *Hæc sunt, quæ ut observetis præcipimus in Monasterio constituti*, proponit sequentem quæstionem cap. 10. *Utrum OMNIA, quæ continentur in Regula, sint in præcepto*. Et antequam suam promat sententiam, varias aliorum opiniones refert his verbis. *Videtur quod sic. Constat enim, quod hoc pronomen* hæc *demonstret omnia, quæ sunt*

in Regula, & de his dicit Præcipimus .... *Contra. Sequitur quod Professor Regulæ peccet mortaliter quandocumque facit contra aliquid, quod sit in Regula .... Ad hoc dicunt quidam, quod ista dictio* hæc, *quum sit demonstrativa rei propositæ, non demonstrat ibi NISI DUO MANDATA, scilicet de unitate cordis,* & de communitate rerum : *& hæc DUO SOLUM sunt in præcepto .... Dicunt alii, quod etsi omnia præcipiat Augustinus, tamen professor Regulæ illius non peccat mortaliter contrafaciendo, quia promittit non obedientiam Augustino, sed Prælato. Sed secundum hoc nullus mortaliter peccaret faciendo contra aliquid, quod sit in Regula, nisi supra verba Augustini adderetur præceptum Prælati, QUOD FALSUM EST.* Ideo dicunt alii, quod *Regula tota est in præcepto, non tamen singulis, sed professoribus,* insimul in eadem domo *existentibus .... Sed secundum hoc sufficeret quod in eodem Conventu aliqui servarent abstinentiam, alius faceret orationem &c. .... Ideo dicunt alii, quod observantia Regulæ est in præcepto, sed non singula, quæ continentur in Regula, sunt sub præcepto, sicut non singula quæ exprimuntur in Evangelio : sed hoc iterum videtur minus bene dictum &c.*

IV. Hæ sunt quinque opiniones, quarum tertiam, aperte falsam, amplectuntur RR. Magistri, ut jam jam patebit. His itaque reprobatis suam promit sententiam Humbertus sequentibus verbis „ Ideo reprobatis prædictis responsionibus dicendum est, quod quædam repcriuntur in Verbis Divinis, quæ habent in se modum & intentionem præcepti , ut „ est illud : *Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* : quædam vero habent „ præceptum in intentione, quamvis non in modo : ut illud : *non furtum facies* : quædam autem habent modum præcepti, sed non intentionem, ut est illud de saratione surdi &c. .... Et tale est illud: „ *Hæc sunt, quæ ut observetis præcipimus.* Non est possibile, quod vir sapiens, etsi per modum præcipiendi loquatur, intenderet OMNIA ponere sub præcepto , & tantam damnationis materiam ministraret accedentibus ad Regulam suam pro salute quærenda „.

„ Sed oritur ex hoc quæstio : Quare posuit verbum præcipiendi, ex „ quo non intendit præcipere ? .... Respondetur, licet non intendat „ *OMNIA ponere* sub præcepto, tamen suæ intentionis est, quod multum vult omnia servari „ ....

„ Sed iterum assurgit alia quæstio. Si enim verbum *præcipimus* non „ im-

„ importat veritatem præcepti, sed solam intentionem voluntatis: *Ergo nullum præceptum est in Regula*. Respondeo: verum est, quod nullum præceptum est in Regula *ex virtute hujus verbi*, SED MULTA SUNT in intentione, quamvis non secundum expressionem in modo loquendi, sicut Divina Scriptura, cum nobis loquitur eodem modo, tamen quædam reputantur simplices exhortationes, quædam præcepta: sicut *Lucæ* 7. cum dicitur: *Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei & alteram*, reputatur consilium: & cum dicitur in eodem capitulo: *Mutuum date, nihil inde sperantes*, licet sit idem modus loquendi, tamen reputatur præceptum.

„ Si vero quæratur, quomodo possunt hæc cognosci. Respondeo *per rationem*. *Ratio enim bene disposita* potest de facile judicare, quod vir sapiens intendit obligare professores suæ Regulæ ad ea, quæ pertinent ad obedientiam, ad castitatem, ad humilitatem, & similia: non autem æque ad ea, quæ pertinent ad ultimam domationem carnis &c. .... Sicut ergo in sacris Scripturis per rationem, & doctrinam Sapientum docemur, quæ sunt præcepta, & quæ consilia, vel exhortationes simplices, ubi Scriptura loquitur uniformiter; *ita & in hoc* opere. Patet igitur ex prædictis, quod modus tradendi mandata hujus Regulæ, licet secundum verba præceptorius videatur, tamen secundum intentionem non est præceptorius UNIVERSALITER „.

V. Hæc est tota Humberti doctrina, quam adversus præceptum exactæ communitatis opponit P. Magister Claustralis. Hac sola sese confodere adversarium suum gloriatur. Hac enim relata, sic effatur pag. 246. *Hactenus Umbertus in Augustini Regulam. Ex cujus dilucidatione compertum est, exactam vitam communem sub præcepto ab Augustino positam minime fuisse: quandoquidem opinionem illorum qui asserunt rerum Communitatem in Augustini Regula sub præcepto esse, ut diximus, explodit ac rejicit Umbertus.*

VI. Dicat velim P. Magister. Eccur asserat, Humbertum negare præceptum communitatis? Quia, inquit, explodit sententiam asserentem præceptum communitatis. Bona venia, basilice fallitur. Secunda sententia, quam reprobat Humbertus, ea est, quæ docet, non contineri in Regula *NISI DUO Mandata, scilicet de unitate cordis, & de communi-*

tate Rerum, *& hæ duo solum sunt in præcepto*. Si quis tibi affereret, duas tantum esse Divinas Personas, nempe Patrem & Filium, cumque errorem tu improbares; propterea ne negares Patrem & Filium? Si adversus Samuelem Basnagium confutares illius hæresim duorum dumtaxat Sacramentorum; ideo ne negares Baptismum, & Eucharistiam? Quod hæc compertissima sint, confirmatur verbis ipsius Humberti inquientis: *Verum est, quod nullum præceptum est in Regula ex virtute hujus verbi* [præcipimus] *Sed MULTA SUNT in intentione... Si vero quæratur, quomodo possunt hæc cognosci. Respondeo per rationem. Ratio bene disposita &c.* Doctrina ergo Humberti est. Neque duo *tantum*, ut contendebat illa secunda opinio, præcepta sunt in Regula, neque omnia, quæ præscribuntur, sunt præcepta. Si ex verbo *præcipimus* colligenda essent præcepta Regulæ, omnia contenta in Regula essent præcecepta: quoniam sub illo verbo *præcipimus* omnia comprehenduntur. Quamquam autem nullum præceptum sit in Regula vi illius verbi *præcipimus*; *MULTA* tamen sunt reipsa, quæ per *rationem bene dispositam* cognosci facile valent, concludit Humbertus. Hæc omnia perspicua sunt, & §. sequenti, ubi Humbertus *multa* Regulæ præcepta exponit, magis patebunt.

VII. P. Magister *Vitæ Claustralis* una cum suo Commilitone Magistro *Vindice* ab Humberto ad Turrecrematam gradum facit, allegatque pag. 247. ex eodem prolixum textum, qui, cum non contineat nisi ipsissimam doctrinam Humberti, ne absque necessitate paginas impleam, ea pauca dumtaxat transcribam, quæ ad rem faciunt. Turrecremata inquit *tract. 6.* prout laudatur a Magistro Vindice pag. 38. „ Dicendum sicut „ prius, quod non omnia in Regula contenta sunt præcepta; sed „ *QUÆDAM SIC*, *& QUÆDAM NON* „.

Item tract. V. ubi citatur a Mag. Claustr. „ Quemadmodum in Re„ gula Evangelica, sic in Regula S. Benedicti non OMNIA in ea con„ tenta præcepta sunt, sed QUÆDAM traduntur per modum Ordinatio„ nis cujusdam . . . . Sed quæritur quomodo dignosci possunt, & co„ gnosci *quæ sunt Præcepta* in Regula, quæ simplicia statuta . . . . Per „ Doctrinam sapientum potest haberi ista differentia, & distinctio „. Hic est textus ille decretorius, quo R. Magister *Vitæ Claustralis* contendit plenum de adversario reportasse triumphum. Et tamen vel hi ipsi textus,

Digitized by Google

tus, quos allegant, jugulum eorum petunt. Nam RR. Magistri nullum extare in Regula præceptum sustinent, prospicientes, quod si aliquod habeatur, illud communitatis est. Porro tam verum est juxta Turrecrematam aliqua contineri præcepta in Regula, quam verum est in Evangelio, proportione servata, multa haberi mandata. Additque, hæc *Præcepta* contenta in Regula distinguenda esse per Doctrinam Sapientum. Magistrorum ergo erat, universos Turrecrematæ in Regulam commentarios severius lustrare, ut præcepta ista distinguerent. Verum tanti laboris impatientes, ad suas *summulisticas Regulas* Textus Humberti & Turrecrematæ exigentes, perpetuo argutantur: *Non omnia in Regula contenta sunt Præcepta*, inquit Turrecremata cum Humberto. *Ergo* [inferunt Dialectici nostri] *nullum præceptum in Regula*. Hæc est illorum perpetua argumentatio, ut quisque videre potest in eorum libris. Quod si nimium absurda & monstrosa illis argumentatio apparet, fateantur ergo cum Humberto, & Turrecremata, plura in Regula reperiri præcepta. Tum quæ sint ejusmodi præcepta, nobis edisserant.

VIII. Hcinc duo tanquam certissima colligimus ex allatis textibus. Alterum, nec Humbertum, nec Turrecrematam excludere præceptum communitatis a Regula: alterum, aliqua præcepta in Regula contineri, ambos conceptis verbis doceret. Certum ergo, ut minus, est, non solum nihil emolumenti colligere eos posse ex his duobus Theologis, sed potius maximum præjudicium. Quoniam inter illa *multa* præcepta, quæ ipsi in Regula admittunt, unum esse potest exactæ communitatis. Et tamen, cum hæc ita se habeant, P. Magister *Vitæ Claustralis*, post relatos citatos Textus Humberti, & Turrecrematæ, hac verborum grandine aggreditur suum adversarium pag. 248. *Usque huc Cardinalis a Turrecremata nihil prorsus ab Humberto dissimilis. Unde Concinam meum ita alloquor. Si in hosce interpretes suppresso nomine incidisses, o Daniel, eosque semel, aut iterum legisses, quid reposuisses amabo? Non ne sensa, & phrasim subodoratus, in hæc prorupisses verba? Proh quantum impie loquuntur isti barbari, & quam præpostere SS. Patriarcharum Augustini, & Benedicti mentem interpretati sunt? Inversis oculis MEDIUS FIDIUS eorum Regulas legerunt. Nullum ne in Augustini & Benedicti Regulis adest de communitate præceptum? Communitatem sub gravissima obligatione non præcipiunt Patriarchæ Sanctissimi? Quinam sunt, & unde venere*

hi

Digitized by Google

bi Augustiniana & Benedictina Regulæ commentatores, melius dixerim, deturpatores. Ex phrasi & barbarismo non nisi de schola illa, ubi indocti homines doctrinas sublimiores, sophismis, & metaphysicis abstractionibus indecore pertractantes, chimeris delectantur suis: ex sensis vero ignavissimi, & mendacissimi homines abs dubie sunt, qui tot calumnias, & criminationes Sanctis Augustino, & Benedicto intentant, quot verba habent eorum male confutæ interpretationes. Apage commentum, non rationibus confutandum, sed sibilis explodendum, dirisque devovendum; ne ubi semel claustra ingressum fuerit, actum sit de claustrali Disciplina, conclamatumque. Ita & non aliter.

IX. Hæc transcribere libuit in Lectoris solamen, non ut ea vel refellam, vel deridenda exagerem, sed infra opportune regeram in adversarium meum. RR. Magistri nostri passim, & potissimum, ubi penitus succumbunt, figuris, leporibus, & jocis vitulantur. Altius victoriam canere haud potuisset Magister *Vitæ Claustralis*, si laudati Theologi perspicue dixissent: *Nullum reperitur exactæ communitatis præceptum in Regulis Augustini & Benedicti*. Et tamen non solum hoc non asserunt, sed conceptis verbis plura in Regula reperiri mandata affirmant, quæ per *rationem bene dispositam*, & *Sapientum doctrinam deprehenduntur*, inquit Humbertus cum Turrecremata. Cur ergo R. Magister *Vitæ Claustralis* plusquam thrasonica jactatione vociferatur, celeberrimos Viros a se stare? Cur? Sequentibus paragraphis id tibi compertum erit, lector optime.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Venerabilis Humbertus *exactæ communitatis Præceptum in Regula Augustini contineri conceptis verbis docet, & probat. Peculia, deposita quæque, vestiarium in pecunia collatum, ut sacrilegio proprietatis inquinata, execratur. Bona fides Adversariorum in illius interpretatione.*

I. IN Regulæ Augustinianæ proœmio quæstionem instituit Venerabilis Umbertus: Sint ne *omnia* in Regula contenta sub præcepto imposita? Sententiam negantem defendit. Idque docent Theologi omnes, & Constitutiones O. P. idem declarant. Quid itaque de hoc cupresso in præsentiarum? Quid RR. Magistri ad superiorem paragraphum inutiliter scribendum nos coegerunt? Est ne nobis nunc Disputatio, sint ne omnia contenta in Regulis Augustini & Benedicti, præcepta? an utrum in Regulis contineatur exactæ communitatis mandatum? Non ne ecunda? Cur ergo, indicta secunda, primam movent? Cum Humbertus *multa* in Regula haberi præcepta vel in ipso proemii Regulæ commentario doceat, an non *ingenui hominis* erat universos lustrare commentarios, & potissimum ubi in Regula de communitate sermo est, ut colligeret, an Humbertus inter illa *multa præcepta* adnumeraverit communitatis mandatum? Quid, quod Author *Disciplinæ Monasticæ* Decretorios Humberti textus præceptum adstruentes in medium attulit? Verum hoc? Dubio procul. Quomodo ergo tam elato supercilio jactabundi & ovantes, veluti devicto, atque contrito hoste, sibi plaudunt, triumphosque ostentant, atque in adversarium scommata & dicteria contorquent RR. Magistri? Ubi sinceritas, ubi bona fides, ubi pudor? Quid igitur, dicet quispiam, cum viris istis ludis operam? Ego vero illorum causa nec verbum facerem. Hanc illis impendo operam, qui ad amplexandam veritatem proni sunt. Illorum gratia luce meridiana clarius demonstrabo, Venerabilem Humbertum, non modo docere gravissimo præcepto exactam communitatem ab Augustino præscribi, verum etiam Magistrorum nostro-

strorum distinctiuneulas vanas, commenta inepta praeoccupasse, eorumque deposita, & peculia damnare proprietatis. Ad rem.

II. Venerabilis Humbertus, explicato Regulae proemio, ad textum illum Regulae, *non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia*, exponendum accedit, & a cap. XIII. usque fere ad finem, proprium, & peculium insectatur, atque praeceptum communitatis munit, explicat, confirmat. Ex plurimis pauca seligam. Primum *Cap. XIV.* communitatem commendat. *Circa primum nota, quod in statu naturae ante peccatum erant omnia communia . . . Item in primordiis status gratiae, Act.* 4. erant illis omnia communia. *Item in statu futurae gloriae. Beda super praedicto verbo, qui ita vivunt, ut sint omnia communia in Domo Coenobitae vocantur, quae vita tanto felicior est, quantum statum futurum imitatur, in quo erunt omnia communia.*

III. Deinde cap. XV. & XVI. invehitur in vitium proprietatis, ad quod tollendum duplex praescribit remedium non permittendi peculium, sed omnia porrigendi de communi. *Contra hoc est duplex remedium. Unum est liberalitas Praelatorum, ut liberaliter administrent de COMMUNI, & tollatur occasio hujusmodi.* Act. 4. Dividebatur singulis, sicut cuique opus erat. . *Aliud est patientia* [non peculium] *subditorum. Sunt enim quidam, secundum Gregor. qui pauperes esse volunt, sed sine defectu . . . Sunt enim adeo aliqui circa curam carnis intenti in cibis, & vestibus, quod non sunt contenti necessariis, quae eis competenter ministrantur : & ideo inordinate procurant alia ad satisfaciendum Carnalitati suae.* Ut huic carnalitati fiat satis, ut solatiis Religiosis indulgeatur, peculia, & deposita quaeruntur a RR. Magistris.

IV. Cap. XVIII. Praelatos admonet, ne unquam absque manifesta necessitate cum aliquo in rerum usu dispensent. Verba Humberti recitabuntur, dum punctum istud dispicimus infra. Verba nunc refero, quibus ibidem exerte Mandatum adstruit communitatis. *Sint ergo vobis omnia communia. Sed quia de ejusmodi communi ministrandum est singulis, non aequaliter, sed secundum exigentiam, subjungitur de hoc MANDATUM :* Et distribuatur unicuique vestrum a Praeposito vestro &c. *Quia dixerat omnia communia esse debere, posset credi, quod quilibet de communi posset accipere, tanquam de suo, pro libito. Quem errorem excludens, subjungit, quod non propria auctoritate sunt res accipiendae, sed per distributionem.*

V.

V. Explicatis tribus Regulæ capitulis, gradum facit Magister Generalis Humbertus ad exponendum quartum Regulæ Capitulum, quod est de forma communitatis servandæ tam in victu, quam in vestitu, ut textus Regulæ præscribit: *Et sicut pascimini ex uno Cellario, sic induamini ex uno Vestiario.* Hunc itaque textum sic exponit Humbertus cap. CVII. *HOC EST MANDATUM, quod traditur circa vestium provisionem. Et tanguntur hic tria, scilicet Substantia MANDATI, cum dicitur* (induamini) *Modus implendi, cum dicitur* (ex uno Vestiario) *Ratio Mandati a simili tracta, cum dicitur* [sicut pascimini ex uno Cellario].

VI. Reponent acuti Magistri, præceptum severum contineri in Regula quantum ad provisionem victus, & vestitus de communi, secus si sermo sit de quibusdam aliis. Verum huic effugio jam præcluserat aditum Humbertus cap. XIX. inquiens: *Circa tertium nota, quod non solum victus, & vestitus accipienda sunt per distributionem, sed OMNIA alia necessaria: tamen de his magis facit mentionem* [Augustinus] *quia sunt majoris necessitatis, & quotidiana.*

VII. Instabunt iterum, sermonem esse de necessariis, non de *religiosis solatiis.* Respondet Humbertus cap. XXIV. *Quidam reperiuntur, qui de paupertate venientes quærunt in Religione abundantiam. Hier. ad Eliod. Episc. Ditiores sunt Monachi, quam fuerunt sæculares. Alii non solum quærunt abundantiam, sed etiam DELICATA.*

VIII. Admittat Humbertus Mandatum exactæ communitatis, propterea ne damnabit VESTIARIUM nostrum, quod datur in *pecunia*, & non in vestibus? Audite, utrum illud damnet cap. XIX. *Illa consuetudo, quæ dat certam pecuniam certo tempore pro VESTIBUS, aut aliis necessariis cuilibet, OMNINO EST REPROBANDA, non solum quia est MATERIA PROPRIETATIS, sed quia est contra Regulam, quæ dicit, non pecuniam, sed victum & vestitum esse tribuendum.* Quid ad hæc RR. Magistri? Illud vestiarium pecuniosum, quod defendunt, reprobandum clamat Humbertus.

IX. Duo hinc colligamus. Primum. Humbertus in ipso Capitulo X. ubi explicat proemium Regulæ, præmittit ceu fundamentum suæ commentationis, *Multa Mandata* reperiri in Regula, *quamvis non secundum expressionem loquendi, sicut Divina Scriptura, cum nobis loquitur eodem modo; tamen quædam reputantur simplices exhortationes, quædam Præcepta,*

sicut Luc. 7. Ergo aut negent, in Evangelio multa contineri vera Mandata, aut confiteantur, aliqua haberi in Regula secundum Humbertum. Alterum, quod inter hæc mandata, quæ secundum Humbertum habentur in Regula, primas tenet Præceptum communitatis exactæ tum in victu & vestitu, tum in *cæteris omnibus*.

X. Quid, quod non modo sub præcepto, sed immediate sub voto ipso hanc rerum communitatem comprehendi Humbertus docet. Antequam illius textum affero, lubet referre arbitrarium commentum Magistri *Vitæ Claustralis*, quo eludere inaniter tentat hunc suarum Constitutionum textum. *Verumtamen antequam stabilitatem & COMMUNEM VITAM promittant, & obedientiam Prælato, & successoribus suis &c. Dist.* 1. *cap.* 13. §. 2. Audiamus nunc festivum interpretamentum laudati Magistri *Vitæ Claustralis* inquientis pag. 219. „ Germanus sensus est, anteaquam quicumque e seculo, ubi privatam vitam, „ nullo adhuc statu firmatam, ducunt, ad stabilem, & communem nostram vivendi formam veniant. Nemo profecto, nisi unus Concina „ dixerit, Prædicatores suis in Claustris privatam, & desultoriam vitam ducere, sed communem & stabilem, *tametsi aliquid ad proprios* „ *necessarios usus Prælato indulgente habeant* „.

XI. Quam sit perridiculum, & nugatorium præfatum commentum, nemo non videt. Nihilo secius, quia ad Humbertum causam appellavit, Humbertum audiat *cap.* 31. *In uno vocat Augustinus Religionem communem vitam, in alio Monasterium. Superius autem vocat eam Sanctam Societatem. Et sic tria nomina designantur, quæ pertinent ad TRIA VOTA. Dicitur enim Sancta Societas, contra immunditiam. COMMUNIS VITA* (audiat Magister) *CONTRA PROPRIETATEM. Monasterium, quod est Monachorum statio, propter obedientiam.*

XII. Denuo cavillantur ambo RR. Magistri: aures vellunt, clamando, se communem vitam ducere, *tametsi aliquid ad proprios necessarios usus Prælato indulgente habeant*. Aures animumque intendant ad Judicis Humberti Generalis, ad quem appellant, sententiam signatam cap. 22. *Alii sunt, qui sua deferunt ad Monasterium: tamen diffidentes de communi provisione, nolunt TOTUM ponere in COMMUNI, sed propter senectutem, vel infirmitatem, partem, vel totum sibi reservari procurant. PEJORES Anania & Saphira, qui tantum partem reservarunt, Act.* 5. *Isti*

facu-

saculum dimittunt, & tamen Religiosi non sunt, immo partim Religiosi, & partim saculares. Unde cuidam tali Beatus Basilius dixit : Senator esse desivisti, & Monachum non fecisti.

XIII. Est ne alia latebra, ad quam se recipiant Magistri nostri ? Una adhuc superest. Videlicet, quod peculium suum habeant ex Prælatorum licentia, & in communi Arca seu *deposito* asservatum. Hoc est ultimum effugium, quod undique versum præclusit Humbertus cap. CX. *In quibusdam Religionibus* (inquit) *maxime possessiones habentibus, providetur Canonicis hoc modo : videlicet, quod detur cuilibet certa summa pecuniæ quolibet anno, de qua providet sibi de Vestibus, sicut vult. Sed hoc est expresse contra Regulam, quæ dicit supra : Distribuatur victus, & tegumentum, vel vestimentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes. Per hujusmodi modum æqualitatis providetur plus, & minus indigenti. Præterea hoc vel est PROPRIETAS, vel PROPRIETATIS species manifesta, quorum utrumque cavendum est. Item per hoc datur interdum occasio expendendi, quod pro vestibus datur, in usus alios præter Domini voluntatem, quod furtum reputatur, & adhuc remanet eadem indigentia vestium.*

Propter hoc alii hæc inconvenientia declinare volentes, faciunt aliter, ordinantes, quod illud, quod datur pro vestibus Fratri, sive de intus, sive de foris, sive in panno, sive in pecunia, SERVATUR EIDEM SUB COMMUNI CUSTODIA. Ita tamen, quod aliis NUMQUAM DETUR. Sed hoc iterum est contra Regulam, quæ vult omnia esse communia. Et infra DICIT EXPRESSE, QUOD IN REM COMMUNEM REDACTUM, cui necesse fuerit, præbeatur. Item hoc non caret SPECIE PROPRIETATIS. Ita enim PROPRIETARIUS est ille, qui facit sibi aliquid ab alio illicite servari, sicut ille, qui servat apud se.

Propter hoc alii reprobantes hos modos, tenent alium modum, præcipue in pauperibus Religionibus, dantes licentias singulis, ut sibi provideant tempore necessitatis, quærendo ab amicis, vel familiaribus. Sed hoc videtur iterum reprobandum, quia sequitur ex hoc multa inæqualitas : cum videlicet unus habet, a quo requirat, alter non. Unus cum facilitate multa potest acquirere, alter non sine multa difficultate. Unus invenit, qui dat eis bonas vestes, alter non nisi viles. Præterea ex hu-

hujusmodi ordinatione coguntur homines resumere curam sui, quam deposuerant, contra illud Bernardi : Qui nobis semel curam vestri commisistis, quid iterum de vobis vos intromittitis?

Propter hoc, istis tribus modis reprobatis, ordinandum est apud pauperes, quod ita quæratur quidquid quæritur pro Vestibus, quod etiam in COMMUNI *ponatur quidquid datur, quidquid habetur pro vestibus, & ex* UNO VESTIARIO *provideatur omnibus, sicut dicit Vir Sanctus.*

Tandem de abdicatione proprietatis concludit doctissimus Generalis cap. XV. *Igitur ex primitivæ Ecclesiæ perfectione discere poteritis, quod habere* CUNCTA COMMUNIA DEBEATIS. Item cap. XVI. *B. Dominicus nobis moriens hoc legavit* .... Et cap. XVIII. *Quamvis enim nobis necessaria habere liceat in* COMMUNI, *nullus tamen* QUICQUAM *habeat in speciali.*

XIV. Ad Tribunal istius Sapientissimi Magistri deferant nunc RR. Magistri Vindiciarum, & Vitæ Claustralis suas crumenas, suos census vitalitios, *vestiaria pecuniosa*, deferant sua deposita in communi Arca seu *Custodia* affervata. Videant quam optime congruant cum Judicis ab illis electi sententia, iterumque clamet Magister *Claustralis* pag. 244. cui *non obsequi illiberalis pervicacia est, & indomiti animi indoles.* Vociferetur pag. 249. quod Humbertus sententiam afferentem, sub præcepto communitatem impositam esse ab Augustino, *tamquam falsam rejecit, expulit, eliminavit, ut visum est.*

§. V.

§. V.

Cardinalis de Turre Cremata *vi gravissimi præcepti exactæ rerum communitati adstrictos esse Regulares docet. Quin addit, teneri RR. Magistros adversarios, si degant in Conventibus, ubi peculia serpant, petere eo, ubi exacta servatur Communitas.*

I. NON minus in Turrecrematæ, quam Humberti interpretatione, emicat bona fides, & candor ingenuus adversariorum. Citarunt illi Eminentissimum interpretem eo loci, quo proemium Benedictinæ Regulæ exponit, ubi nisi imitatus fuisset ipsos RR. Magistros, qui omnia perturbant, non poterat de communi vita sermonem habere. D. Patriarcha Benedictus cap. XXXIII. & XXXIV. Regulæ, præceptum communitatis explicat. Turre Cremata, qui *tract. 6.* in Regulæ proemium statuit, quod *non omnia contenta in Regula sunt præcepta, sed quædam SIC, & quædam NON*, interpretans laudatum caput XXXIII. tribus aut quatuor tractibus gravissimum exactæ communitatis præceptum exponit. Ex plurimis pauca seligam.

II. Tract. 95. in caput 34. Regulæ. *Postquam B. P. Benedictus dixit, omnia a P. Monasterii esse præstanda, nunc subdit doctrinam circa dispensationem rerum Monasterii observandam, dicens .... fiat dispensatio & distributio rerum sicut facta legitur a Patribus primitivæ Ecclesiæ, Act. 4. ubi scriptum est: Dividebatur &c. Unde GRAVITER peccat Abbas, vel Prælatus non distribuens Monachis, vel Fratribus necessarium victum, vel vestitum, sed permittit quemlibet providere sibi ipsi, cum in hoc præstet causam, & occasionem subditis habendi proprium, & multorum aliorum malorum, quibus involvuntur subditi, quibus SECUNDUM PRÆCEPTUM REGULÆ DE COMMUNI non providetur in vitæ necessariis.*

III. Tract. 92. in caput. 33. Regulæ. *Omnia omnibus debent esse communia, sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, unde sumpta est Regula, & conversatio Cœnobitarum,* (Attendat Magister Vindex) *ibi enim cap. 4. dicitur: Et erant illis omnia communia. Hæc est differentia inter Fratres Carnales, & Spirituales in Religione, quod illi dividunt quod*

COM-

MUNE est : : : Isti vero quod divisum est, in commune ponunt juxta morem primitivæ Ecclesiæ, Act. 4. Ergo secundum Cardinalem de Turrecremata RR. Magistri aut suos census vitalitios, pecuniasque prædicatione, lectione, & quovis modo acquisitas in communes Monasterii usus conferant, aut Fratres Carnales commune dividentes se se reputent necesse est, juxta Arbitrum causæ ab iisdem electum.

IV. Recipiunt se ad consuetum cuniculum. An non licet *aliquid ex venia Prælatorum habere separatum a communi?* Respondet Cardinalis Judex electus *tract.* 93. *in vitis Patrum* (totidem verbis hoc narrat Humbertus cap. 15.) *eum Frater quidam venisset ad Cellam, volens relinquere sæculum, sed retinere ALIQUA MODICA propter necessitatem, dixit ei senex: si vis esse Monachus, vade ad Macellum, & eme carnes crudas, pone supra dorsum tuum, & sic veni ad me. Quod cum fecisset, invaserunt eum canes, & occasione carnium dilaniaverunt eum : & cum venisset ad senem sic tractatus, dixit ei senex : Sic dilaniantur a Dæmonibus, qui abrenuntiant sæculo, & ALIQUID RETINENT SIBI.* Audistin' P. Magister Claustralis, qui toties obtrudis illud *To aliquid de venia senioris*, seu *Prælati?*

V. Verum, quia hæc Prælatorum licentia, & dispensatio est unica anchora, cui crumenas suas fidunt, ideo doctissimus Cardinalis has Prælatorum dispensationes tanquam nullas irritasque rejicit, & damnat. Et licet alibi sermo de hoc habendus sit, tamen, quia Magister *Vitæ Claustralis* causam appellavit ad hunc Judicem, cogimur plenam Judicis sententiam promere. Hæc ergo scribit tract. 94. *Excusatio, vel defensio, quibus Monachi sive Religiosi aliqui, se defendere nituntur super usu rerum multarum, quas possident, sine rationabili causa, utpote vestes superfluas, libros inutiles, inutiles pecunias ad sumptus, jocalia, & alia bona hujusmodi mobilia, dicentes se habere Prælatorum Dispensationem, NULLA EST.*

Secundum. Tolerantia, aut dissimulatio Prælatorum in præmissis abusibus, non videtur excusare Monachum. Tertium, quod Prælati, qui talibus dispensationibus minus providis abutuntur, SUNT IN PERICULO ANIMARUM, non revocando illas. Quartum. PERICULOSUM est in Religionibus hujusmodi MODUS VIVENDI sub talibus dispensationibus, quæ fiunt sine causa, sine NECESSITATE. Patet ex superioribus ubi dictum est, quod

TAM

TAM PRÆLATUS DISPENSANS, QUAM SUBDITUS hujusmodi Dispensationem suscipiens, GRAVITER PECCANT. Quintum, quod GRAVISSIME PECCANT, qui REFORMATIONI hujusmodi abusuum resistunt in Monasteriis, & se & alios defendunt, ne ab hujusmodi LABE PURGENTUR.

VI. Quid ad hæc RR. Magistri, qui reapse suis libris typis editis *reformationi resistunt abusuum* peculiorum? Qui & se, & alios defendunt, ne purgentur ab hujusmodi *labe*? Qui defendunt sua *vestiaria pecuniosa* aliosque abusus jam indicatos, & infra indicandos? Est ne evadendi locus ab hac sententia Judicis, ad quem appellarunt? Et tamen fortius adhuc eos ad incitas redigit Eminentissimus Judex sequenti sententia, citato loco scripta.

VII. *Quartum dubium. Quid si Abbas, aut Conventus NON VULT VIVERE IN COMMUNI, immo resistunt: & Monachus, sive Religiosus aliquis vellet IN COMMUNI vivere? Respondetur, quod TALIS RELIGIOSUS DEBET LABORARE pro alio Conventu, in quo regulariter vivatur: & si habere possit talem Conventum, ibi permaneat: si vero non possit hujusmodi Conventum habere, in tali casu excusatur, ut nec habendus sit PROPRIETARIUS, nec sua Professionis Transgressor, HABENDO DE LICENTIA SUI PRÆLATI USUM RERUM NECESSARIARUM, CUM PROPOSITO resignandi ad beneplacitum sui Superioris.*

VIII. Hæc sola sententia Doctissimi Judicis electi continet universam Doctrinam propugnatam tum in Disciplina Apostolico-Monastica, tum in presenti Opere. Hæc sola sententia ad fabulas amandat omnia sophismata, commenta, cavillos, distinctiunculas hactenus excogitatas, æternumque excogitabiles a RR. Magistris. Eminentissimus Turrecremata eam exactam communitatem statuit Regularibus necessariam, quæ peculium, non superfluum, non rerum inutilium, sed rerum necessariarum excludit. De eo peculio loquitur, quod habetur *ex venia*, ex dispensatione Prælati. Docet, Religiosum degentem in Conventu, in quo Prælatus, aut Cœnobium ipsum non vult vivere in *communi*, debere *laborare*, nempe sedulam adhibere operam, ut aliquem Conventum inveniat, in quo vigeat exacta rerum communitas, ibique pedem figere. Quod si talis conventus, diligentia sincera adhibita, non pateat, *in tali*

casu

Digitized by Google

casu [concludit Turrecremata] *excusatur*, *ut nec habendus sit PROPRIETARIUS*, *nec suæ professionis transgressor*, *habendo de LICENTIA sui Prælati USUM RERUM NECESSARIARUM cum proposito resignandi*. Ergo dum habetis usum peculii, non pro ludis, non pro religiosis solatiis, non pro splendido cellarum ornamento, sed pro *rebus necessariis*, *de licentia Prælati estis Proprietarii*, quoties prius eo conatus vestros non dirigitis, ut vel in vestro Conventu introducatur communitas peculii vacua, vel alio non petatis, ubi *vivatur in communi*. Cardinalis Turrecrematæ sententia est ineluctabilis & inconcussa omnium Theologorum consensu. Siquidem admisso præcepto exactæ communitatis, sola vera necessitas excusare ab istius præcepti observatione potest. Porro, ut necessitas hæc vera dicatur, involuntaria sit oportet. Ut involuntaria sit, omnem adhibere industriam Regularis debet, ut eam excutiat, alioquin libera esset, & volita, atque adeo inexcusabilis. Quemadmodum, ut occasio judicetur necessaria, & non libera, tenetur Christianus nullum non movere lapidem, ut eidem se subtrahat. Si nequit, involuntaria evadit, & in eadem permanere licite potest, remediis adhibitis. Similiter Regularis, si post adhibitum studium ~~se se constituendi in~~ Conventu, ubi vigeat exacta communitas absque peculio, Conventum hunc reperire nequit, aut ob infirmitatem, imbecillitatem, aliaque momenta: *In tali Casu* [definit Turrecremata] *excusatur*, *ut nec habendus sit Proprietarius*, *nec suæ Professionis transgressor*, *habendo de licentia sui Prælati usum rerum necessariarum cum proposito resignandi ad beneplacitum sui Superioris*.

IX. Doctrina Turrecrematæ de transitu ad Cœnobium exactæ communitatis, intelligenda est, spectatis circumstantiis: nam plura occurrere momenta queunt, quæ a tali transitu excusent. Quisque, si velit, potest etiam in laxioris Disciplinæ Cœnobio observare Paupertatis votum, dummodo peculio utatur juxta Regulas ab ipso Turrecremata, & a cæteris Theologis præscriptas. Quæ de Dispensatione a communitatis lege Turrecremata docet, infra Disser. V. referam. Interim auscultemus Authorem *Vitæ Claustralis*, qui adversus suum adversarium in hanc figuram erumpit pag. 248. *Unde Concinam meum ita alloquor. Si in hosce interpretes suppresso nomine incidisses, o Daniel, eosque semel, aut iterum legisses, quid reposuisses amabo? Non ne sensa & phrasim subodoratus, in hæc*

prom-

Digitized by Google

prorupisses verba? Proh quam impie loquuntur isti barbari, & quam præpostere &c. Nonne ego potiori jure eadem verba sua paululum inversa in ipsum retorquere possum?

X. Si in hosce interpretes *Humbertum* & *Turrecrematam* suppresso nomine incidisset Magister *Vitæ Claustralis*, quid reposuisset? Non ne in hæc prorupisset verba? *Proh quam impie loquuntur barbari isti!* Nobis qui professionem emisimus, ubi vita mitigata, & a severa legum observantia soluta ducitur *ex Prælatorum dispensatione*, vociferantur barbari isti, *Periculosum esse in Religionibus hujusmodi modum vivendi sub talibus dispensationibus irrationabilibus?* Quam præpostere SS. Patriarcharum Augustini, & Benedicti mentem interpretati sunt! Contendunt, haud posse Prælatos nostros indulgere, ut paucas pecunias ludis exponamus, honestisque vacemus solatiis; quin clamant, *quod tam Prælatus dispensans, quam subditus hujusmodi dispensationem suscipiens* (verba sunt istorum barbarorum) *graviter peccant*. Medius fidius inversis oculis eorum Regulas legerunt. Quid? Nos qui a teneris unguiculis a Magistris nostris audivimus scientia, & fama claris, licitas nobis esse crumenulas nostras, potissimum si majorem pecuniæ summam in communem deponamus Arcam, hac tamen lege consuetudinis obsignatam, ne Prælatus ex arbitrio quicquid tangat: nos bona fide has inter pecunias & Religiosa solatia educatos, alitosque, ad severiorem nunc vivendi formam revocare contendunt? *Quinam sunt, & unde venere hi Augustinianæ, & Benedictinæ Regulæ deturpatores?* Quid plura? Detonant, nos in extremo damnationis periculo versari, si horum abusuum reformationi resistimus: & quod mentes nostras stupore defixas tenet, adjiciunt, nobis a Cœnobiis nostris referendum pedem esse ad Conventus Reformatos, ubi exacta servatur communitas, ubi severior vestitus, crebra jejunia, abstinentia perpetua, arcta caputia obtinent, demigrandum, crumenis nostris positis, inclamant, si velimus portum tenere salutis. Heu! Heu! *Apage Commentum, Apage delirium, non rationibus confutandum, sed sibilis explodendum, dirisque devovendum*. Hæc Magister Claustralis contra semetipsum.

XI. Judicent nunc Lectores, non modo præjudiciorum vacui, sed ausim dicere, vel ipsis præjudiciis præventi, an non jure, & merito propria Magistrorum nostrorum sensa & verba in eorum cutem a nobis

Digitized by Google

fuerint retorta? Ipsi lapides projecerunt in cœlum, ut super illorum capita quam aptissime reciderent.

§. VI.

Cardinalis Joannis Dominici, S. Antonini, Gersonii, Trithemii, Christiani Lupi, Donati, aliorumque Theologorum unanimi consensione, Regulæ Augustini, & Benedicti sub gravissimo præcepto exactam communitatem præscribunt.

I. JOannes Dominicus Cardinalis O. P. sanctitate & doctrina celeberrimus in suo *Opuscul. mss. de possess.* hæc scribit. *Maxime videtur textus Regulæ instare circa perfectissimam expropriationem in PARTICULARI, ut quod habeat victum ab uno cellario, vestitum ab uno vestiario, libros sub uno librario, & quod nullus accipiat occulte litteras, vel quodlibet munus. Et ista similiter videntur cadere sub PRÆCEPTO.* Hunc eumdem textum refert S. Antoninus, qui ab eodem Cardinali habitum Religiosum accepit, 3. *p. tit.* 16. *cap.* 1. §. 6. eidemque subscribit, additque §. 11. *eos, qui se reperiunt in Monasteriis, & Conventibus, ubi non vivitur in communi, si Prælati sunt, & non faciunt, quantum eis possibile est, sine notabili scandalo, ut vivatur in communi, non esse in Statu Tuto.*

II. Joannes Gersonius in Tractatu eidem adscripto adversus *Proprietarios Regulæ S. Augustini*, hæc inter plurima scribit in hunc textum: „ Et non dicatis aliquid Proprium „. *Gravius autem peccatum est facere, quam dicere. Ergo si prohibet exprese verbum proprietatis, a fortiori factum. Secundum mox sequitur in Regula:* Et sint vobis omnia communia. *Omne autem secundum Logicos est universale signum, quod distribuit pro universis rebus. Ergo falsificatur universalis Regula in voti vestri periculum, per quodcumque particulare, quia proprium, & commune opponuntur.* Et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario. *Cum ergo jubeat unum, & commune vestiarium, sequitur per locum ab oppositis, quod prohibeat proprium, & singulare multum. . Videte ergo si VOTUM servetis Regulæ, cum toties infrangitis, & tam exprese, & non*

non semel, sed quotidie judicate si ex uno vestiario induamini, & eo modo, quo pascimini ex uno cellario, & si quae servatis in vestris cameris, & eistis sub communi sunt custodia. Quod si dixeritis, diem profecto negatis, & experientiam oppositam & contradictoria simul vera concedatis, contra quos nihil amplius disputandum dicit Aristoteles (opportuna in RR. Magistros verba] *nisi tales, aut in ignem projiceere, aut excaecare. Negare ergo non potestis, quin promissam paupertatis fidem violetis, & ad vomitum revertamini professionis derelictae. Quo ergo animo tanto tempore dissimulatis praeterire commune vestiarium, ut induamini ex uno vestiario, sicut pascimini ex uno cellario? Negare non potestis, quin hoc voto promis eritis solemni, quod in Regula legistis quotidie tot in passibus, & locis.*

III. Celeberrimus Joannes Trithemius *opusc. contra peculium Monachor. cap.* 5. *Revolvamus omnes Sanctorum Patrum scripta & Regulas, & nusquam inveniemus peculium ullatenus permissum. Omnes enim hoc vitium damnant, omnes proprium Monacho prohibent. Omnes in communi vivere renuntiantes saeculo praecipiunt, & primo quidem Sanctum Legislatorem nostrum Benedictum audiamus in Regula. Dicit enim: Praecipue hoc vitium &c..... Ab Abbate igitur necessaria speranda sunt.*

IV. Dionysius Carthusianus de Refor. *Vitae Claustralis* seu Claustralium *ar.* 13. *Habere peculium repugnat voto paupertatis, & paupertati Monasticae, quae est de Religionis essentia. Monachi tenentur ad paupertatem eo modo, & sensu, quo Sancti Patres, qui Ordines instituerunt, Monachos ad paupertatem obligare intenderunt. Praecepta enim Praelatorum obligant subditos, non tam secundum formam, superficiemque verborum, quam secundum intentionem praecipientium, quae est formale in praecepto secundum Alexandrum de Ales, Thomam, Albertum, Bonaventuram, aliosque. Certum est autem omni homini veraciter illuminato, quod Patres Sanctissimi Ordinum Institutores peculium Monachis non admiserunt, nec admisissent, si Monachi petiissent, sed penitus prohibuissent: immo & nominatim & CLARISSIME prohibuerunt, ut infra ex Regulis Hieronymi, Augustini, & Benedicti patebit. Non ergo nomine, vel permissu Abbatis licet habere peculium. Adhuc autem in omni praecepto Superiorum consideranda est ratio praecepti. Sed Patres Sancti, qui Monachis proprietatem tam districtissime prohibuerunt, non ideo hoc egerunt, quia proprietas seu rerum*

possessio sit mala in se, sed quia ex usu, amore, & occupatione rerum propriarum, seu divitiarum impeditur, homo a perfectione divini amoris . . . Sed sive Monachus habeat peculium, aut proprium nomine suo, vel nomine Abbatis, certissimum est, eum occupatione, usu, amore, cura, & varia occasione peculii sui, multipliciter impediri á spirituali profectu, & fervore charitatis. Lege ibi plurima.

V. Christianus Lupus longum hac de re sermonem habet in Regulam Augustini tom. 12. pag. 35., „ Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia „. *Hic est cardo, in quo vertitur, ac pendet tota Regula, totaque Monastica Augustini Disciplina . . . . Augustinus ergo Disciplinæ suæ basim, columnam, ac fundamentum esse voluit non bardocucullum, aut saccum pannosum, non nudos pedes, non vitam doliarem, sed PERFECTAM UNITATEM, ac COMMUNITATEM, in qua nihil esset proprii, frigidi istius ac ad multa propellentis verbi. Voluit commune esse, non solummodo Monasterii cœlum, neque solummodo commune Cœnaculum, & tectum, sed etiam communem victum, habitum, communem nummum, præcisis omnibus strumis, & varis.*

VI. Donatus Laynensis *tract.* 15. *q.* 4. *Sanctus Augustinus non solum PRÆCEPTUM posuit circa virtutem vitæ communis, sed etiam prohibitionem circa vitium oppositum, dicens: non dicatis aliquid proprium.*

VII. Rescribendus iterum hic esset textus Constitutionum O. P. *Ad communitatem autem rerum ex ipsius Regulæ PRÆCEPTO adstringimur. In Decl. tex. 1. Prol.* Addendæ hic essent omnes Regulæ Monachales, & transcribendæ omnium graviorum Theologorum authoritates. Verum hæc omnia præstita jam sunt in Disciplina Apostolico-Monastica: & infra, ubi Theologorum examen recurret, de iis sermo erit.

§. VII.

§. VII.

CONSECTARIUM

In quo Adversariorum effugia vana esse compertum est.

I. EX his, quæ hactenus dicta sunt, perspicue duo constant. Alterum auctoritate Humberti, Turrecrematæ, Cardinalis Dominici, Antonini, Gersonii, Trithemii, Dionysii Carthusiani, Lupi, Donati, Constitutionis Ordinis, Regulas Augustini, & Benedicti sub gravissimo præcepto exactam rerum communitatem præcipere. Neque de hoc præcepto hactenus Theologi dubitarunt. Et sane pudere deberet RR. Magistros, hoc vel in discrimen adducere. Venia, oro vos, detur, si quandoque causæ Sanctitas verbum duriusculum extorquet, ut a stupore excitentur Nummicolæ. Alterum est perpetua, & nimium crassa adversariorum hallucinatio, qua *nullum* contineri in Regula *præceptum* inferunt, ex quo *omnia* in eadem contenta præcepta non sunt. Et quamquam textus ipsissimi, quos illi adducunt ex Humberto & Turrecremata, doceant ex contentis in Regula *quædam esse præcepta*, & *quædam NON*, nihilosecius perfracte negant, præceptum aliquod contineri in Regulis. Cum hæc omnia satis superque illis exposita sint, illorumque bona fides postulata, eadem amplius non recoquerem, nisi Magister *Vitæ Claustralis* sub finem sui citati *cap.* 7. *pag* 250. iterum hanc occineret cantilenam, iterumque occasionem nobis porrigeret illius torquendi oscitantiam. Textum obtrudit ex Prologo Constitutionum, qui recta illius jugulum petit. *Præceptum in Regula nullum, NISI quod de natura sua & RATIONE TRIUM VOTORUM, vel Divinæ, aut Ecclesiasticæ legis, contineri volumus & declaramus.* Iste est textus, quem allegat *Claustralis* noster. Declarant ergo Constitutiones ratione *trium votorum*, *Præcepta in Regula contineri*. Inter hæc tria vota an non est votum paupertatis? Ergo ratione voti paupertatis præceptum in Regula est. Porro Regula non aliam præscribit paupertatem, quam exactam communitatem, ut legentibus patet: ergo ex illo ipso textu, quem pro se allegat, semetipsum jugulat.

II.

II. Hæc omnia clara sunt, & obvia, quæ, ut intelligantur, non ingenio, & acumine opus est. At legas velim quæ *cit. pag.* 250. post relatum textum scribit. Jam prius sæpius quæsierat, ut ostendamus, ubinam reperiatur hoc *Præceptum exactæ communitatis*. Præceptum tanta evidentia demonstravimus, ut cœcis ipsis pateat. Quid respondet Vir ingenuus? Audi. *Qui post Humbertum Constitutionum Prologum exponentes, communitatem sub præcepto positam ajunt, de ea .... solum communitate loquuntur, quæ proprietatem excludat, aut de Præcepto LARGE, & IMPROPRIE tantum dicto.* Judicet Lector quibuscum nobis disputatio est. Primum ore rotundo præceptum contineri in Regula negant. Quando præceptum tanta evidentia ostenditur, ut negare illud nequeant, non erubescunt respondere, præceptum illud *LARGE* accipiendum esse. Hac via Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ erunt præcepta *large* & *improprie* accepta. Communitas præscribitur, quæ excludat proprietatem, non peculium? Sed abrumpamus tandem molestissimum discursum. Nam si hæc futilissima commenta starent, corruerent leges omnes, ut sæpius diximus.

CAPUT VII.

Communis omnium fere Theologorum, & graviorum Canonistarum sententia etiam ante Concilium Tridentinum negat, licitum esse Superioribus Regularium permittere subditis suis peculium. Omnium Canonistarum, nemine excepto, falsa est Magistri Vindicis, & Magistri Claustralis *opinio.*

I. QUamvis ex iis, quæ hactenus dicta sunt, exploratum sit, vi ipsius aut voti, aut præcepti voto a Regulis Monachalibus additi, illicitum semper fuisse, & esse Regularibus peculium, sublata necessitate vera; tamen ad exactiorem controversiæ notitiam, lubet communem Theologorum, & Canonistarum hac de re sententiam paucis perstringere.

II. Nemo melius, atque eruditius, quid antiquiores Canonistæ senserint de monastico peculio, exponere valet, quam *Prosper Fagnanus* Sacrorum Ca-

Canonum peritissimus. Pauca itaque ex eo de Canonistarum sententia recitabimus, daturi ipsi Theologorum unanimem assensionem. Et primum omnium notandum, vix aliquem Antiquiorum Canonistarum ex instituto, & pro dignitate hanc versasse controversiam voti monasticæ paupertatis, Regulas Monachales presse & distincte examinando. Sed occasione dumtaxat interpretandi *Cap. Non dicatis 12. q. 2. & cap. cum ad Monasterium*, plures vi *juris communis* licitum esse ex Abbatis permissu ob *rationabilem causam* Monachis peculium docuerunt. Potissimum illorum fundamentum *servi* paritate nititur, inquit Fagnanus *cap. Monachi n. 17.* Servus Domini permissu administrare peculium valet: ergo & Monachus inferunt Bartolus, Baldus, Butrius, & alii. Addit tamen Hostiensis, ut *nisi ex magna & evidenti causa talem licentiam non det Prælatus*, subditque Joannes Andreas, apud eumdem Fagnanum, *quia res periculosa est, & invidiæ, & exempli mali causa*. Advertant RR. Magistri nostri, qui scribere non reformidant, *peculium Sanctitatem fovere, & tueri.*

III. Quam sit infirmum hoc ex servi paritate arcessitum argumentum ad inferendum licitam concessionem peculii monastici, & simul quam efficax ad ostendendum falsam esse RR. Magistrorum inauditam opinionem, nemo non videt. Primum patet. Siquidem lex civilis, quæ acquisitionem peculii servo prohibet, in Domini favorem lata est. Quis ambiget, huic renunciare favori Dominum posse? Quis ibit inficias, posse Dominum, non usum modo, verum etiam proprietatem servo impertiri, si velit? Ergo & Prælatus Monacho? Nec adversarii id audebunt concedere. Alterum. Lex civilis absolute peculium servis prohibet. Ergo lex canonica illud vetat Monachis, solumque disputatur, valeat, ne Abbas, ob justam magnamque causam interdum cum Monacho dispensare. Ergo erronea est *Magistrorum* sententia, quæ negat præceptum vetans peculium, & jubens communitatem. Dispensatio enim a lege, legem supponit.

IV. Alterum fundamentum colligitur ex *cap. Religiosus de testament. in 6.* ubi narratur relictum fuisse cuidam Regulari legatum distribuendum, prout illi visum fuerit. Ergo, infert Baldus cum aliis, licita est Monachis privati peculii administratio. Verum ipse Canonista Abbas, ut advertit Fagnanus, re melius consulta cognovit laudato *cap. Religiosus* sermonem esse non de arbitraria bonorum administratione, sed de nuda ultimæ

vo-

voluntatis executione, quæ ex Superioris licentia Monacho non repugnat.

V. Tertium fundamentum petitur *ex cap. Insinuante*, ubi declaratur validam esse professionem cujusdam mulieris in manibus Fratris S. Augustini cum privilegio, ut in domo sua cum omni substantia remaneret. Verum hoc ex textu non aliud colligitur, nisi ad summum non infringi professionem ex adjecto pacto. Utrum vero pactum istud validum sit, an ut turpe rejiciendum, textus non declarat, variæque sunt hac de re opiniones, inquit Fagnanus. Interpretamenta Navarri explodit idem Fagnanus. Et revera quam sit perridiculum ex uno casu peculiari, & ambiguo, eruere argumentum adversus tot gravissimas & luculentissimas leges, cuique exploratum est. Accedit, quod, ut advertit Fagnanus, nec vola in textu apparet, unde colligi possit permissam fuisse huic mulieri administrationem substantiæ suæ, cum facultate permanendi in propria domo. Ipsius monasticæ Professionis natura obstat.

V. Fundamentum quartum, quod allegat Abbas eruit *ex cap. cum ad. Monasterium §. tales*. contendens inferre, posse Superiorem licentiam dare Monacho plene administrandi certa bona, licitamque esse consuetudinem illius *vestiarii*, quod in *pecunia* præberi Religiosis alicubi solet. Idemque sentit Joannes Andreas, si *justa occurrat causa*. Fagnanus, ut explodat interpretationem datam, refert verba textus, quæ sunt sequentia: *Tales autem ad agenda officia Monasterii deputentur, qui fideles fuerint, & discreti*. Quis non videt sermonem hic esse non de simplici, sed de publico Monasterii Officiali? De Vestiario *pecunioso* quid Regulæ Monachales præscribant, omnibus notum est.

VII. Ultimum fundamentum deducitur ex Decreto Concilii Lateranensis, in quo hæc habentur. *Monachi nequaquam habere permittantur peculium. Qui vero peculium habuerit, nisi ei ab Abbate fuerit pro injuncta administratione permissum, a communione removeatur Altaris*. Ex his ultimis verbis *nisi ei ab Abbate &c.* quidam arbitrati sunt, ex Abbatis permissu licere Monacho peculii administrationem. Verum, inquit Fagnanus, plures *Doctores Classici* verba illa interpretati sunt de administratione stabilium injuncta Officialibus. Neque aliter explicari præfata verba queunt, nisi ludicrum, & nugatorium dicatur esse Concilii Oecumenici Decretum. Enimvero, si singuli Monachi Prælati arbitrio Officiales instituan-

Digitized by Google

tuantur, & sub titulo administrationis peculium habere queant, qui sunt ii Monachi, quibus peculium a Concilio interdicitur? Etiam Petrus Passerinus *inspec. II. n.* 300. hæc scribit. *Concilium Lateranense non prohibet directe peculium, sed supponit illud esse prohibitum, & prohibet, ne Prælati illud permittant haberi.* Decretum latum a Concilio Lateranensi III. sub Alexandro III. anno 1179. confirmavit Lateranense IV. sub Innocentio III. ann. 1213.

VIII. Ex his omnibus concludit Fagnanus, sententiam negantem licitum esse peculii usum Regularibus, etiam ex concessione Superioris, necessitate sublata, *magis consonam esse litteræ, & menti Concilii Lateranensis, & probari etiam a GRAVIORIBUS Canonistis, & consequenter, jure communi inspecto, fas non esse Regularibus non officialibus, habere pecuniam seu annuos proventus, vel administrationem bonorum stabilium etiam ex Dispensatione Superiorum, & dependenter ab eorum voluntate, & nutu.*

IX. Consequitur hinc opinionem, quam nudius tertius excogitarunt RR. Magistri *Vindex*, & *Claustralis*, falsam prorsus esse, & inauditam, non modo absolute, verum etiam benigniorum Canonistarum, & Casuistarum auctoritate. Siquidem certum est, vel ipsos inferioris notæ Canonistas docere licitum peculium Regularibus ex *Dispensatione* Prælati: ergo admittunt legem absolute prohibentem, eo quod Dispensatio a lege legem supponit, ut alias diximus. Ergo falsa, & chimærica opinio est Magistrorum, qui legem seu præceptum peculium interdicens negant.

X. Theologos, qui ante Concilium Tridentinum de Monastico peculio, & exacta communitate scripserunt, majori qua potui sedulitate lustravi. Omnes, qui ex instituto controversiam tractant, diris peculium devovent. S. Petrus Damianus, B. Humbertus V. Ordinis Prædicatorum Magister Generalis, B. Raymundus de Capua, Cardinalis Joannes Dominici, Cardinalis de Turrecremata, S. Antoninus, Gersonius, sive quicumque sit Author Tractatus contra Proprietarios Regulæ Augustinianæ, Joannes de Neapoli peculium damnarunt, exactamque communitatem sartam tectam custodierunt. Qui vero ardentius pro communitate certarunt, bellumque peculio indixere, sunt Theologi Cistercienses in Concilio Constantiensi, quorum tractatus habetur inter monumenta collecta, & inserta Disciplinæ Apostolico-Monasticæ. Joannes Nyder, Joannes Excuria, qui peculiares pariter edidere tractatus loco citato editos. Alvarus

Digitized by Google

Pelagius, Theodoricus de Monasterio, Joannes Trithemius, Dionysius Carthusianus. Hi ultimi præ cæteris magna argumentorum copia, non modo peculium, ut proprietatis vitio infectum damnarunt, & perfectam communitatem munierunt; verum etiam omnia sophismata, quæ hodie dum obtrudunt RR. Magistri, confutant, exsibilant, labefactantque. Pauca ex plurimis dabimus in Dissertatione Tertia. Nunc transcribo unum & alterum verbum Dionysii Carthusiani, qui integro Opusculo pluribus distincto articulis gravi & acri stylo peculii pestem persequitur. *Art. 13.* hæc scribit *contra quosdam peculium Monachorum periculose, & imperite excusantes*. Iste est articuli titulus. Deinde pergit. *Ad ea, quæ supra inducta sunt ex Concilio Lateranensi, & Constitutione Domini Papæ, respondent, quod prohibitio illa de habendo peculio, aut proprio, intelligenda sit, quod Monachus non debet aliquid possidere peculium nomine proprio .... Similiter dicunt, quod cum Monacho non potest dispensari, ut habeat proprietatem nomine suo, sed potest cum eo dispensari, ut habeat aliquid peculiare nomine Abbatis, aut Monasterii*. En paucis verbis comprehensa Magistrorum, aliorumque sophismata. Respondet: *Istud videtur INCONSIDERATISSIME dictum: in ipso namque Concilii Lateranensis Decreto peculium luce clarius Monachis, administrationem communem non habentibus, prohibetur: & Abbati sub pœna absolutionis a suo officio districte præcipitur, ut non permittat aliquem Monachorum suorum habere peculium &c.* Consule ipsum. Lege Disciplinam Apostolico-Monasticam *Diss. 1. cap. 12.*

XI. Inter omnes tamen Theologos, qui peculium acrius exagitarunt primas obtinet celeberrimus Abbas Joannes Trithemius. Plura contra peculium edidit opuscula. Plura infra de eo referam. Duo nunc transcribo verba ex *cap. 6.* de vitio proprietatis. *Quærendum est, utrum in Abbatis sit arbitrio cum Monacho de peculio dispensare ... Ad hanc quæstionem verbis Summi Pontificis in principio hujus Operis respondimus .... Quicumque hanc Monasticæ communitatis Regulam violat, proculdubio se extra numerum electorum locat, & suæ se t meritate graviter damnat. Numquam enim Monasticæ puritas integra potest consistere, nisi omnes in communi studeant conservari. Enim vero dum unusquisque commodum suum temporale cogitat, caritas Fraterna exulat, humilitas Monastica perit, obedientia Regularis vacillat*. Verum plura infra.

XII. Provoco RR. Magistros, omnesque alios, ut vel *unum* mihi perhi-

hibeant Theologum gravem cum aliquo ex his, quos retuli, comparandum, qui ante Concilium Tridentinum ex professo, & pro dignitate controversiam hanc versaverit, quique præceptum communitatis ita aperte negaverit, sicuti luculenter illud defendunt, quos retuli: & qui tanta argumentorum copia propugnent, quanta isti diris devovent Monasticum peculium. *Unum* tantum peto gravem, & celebrem Theologum similem illis, quos opposui. Quem dabunt, Pornasium? At hic ore rotundo testatur, præceptum contineri in Regula Augustini. Cæteræ fabellæ, quas narrat, alibi refutatæ sunt, & præcipue error ille: *Qui ponit commune, ponit litem*. Quem ergo? Sylvestrum, Clavasinum? At hi obiter rem tangunt, & adversantur. Unum ergo dent Theologum gravem, & insignem ante Tridentinum scribentem. Verum quod magnopere tangere deberet RR. Magistros, est, quod ante Tridentinum nec in communi licitum Mendicantibus erat habere census, & redditus. Et isti novissimi Magistri scribere non reformidant, nullam extare legem, quæ prohibuerit neque Privatis retinere vitalitios census? Magniloquentia Adversariorum opus esset ad tantum commentum exsibilandum.

XIII. Graviores ergo Canonistæ, attento solo communi jure, peculii concessionem improbarunt ante Tridentinum. Et omnes, quos legere licuit, graviores Theologi, unamini consensu idem peculium damnarunt. Verum quemadmodum Christiani legem Evangelicam tametsi perspicuam violant, sic in Cœnobiis pluribus abusus peculii obtinebat, quamvis Concilia & Regulæ perspicue illud prohiberent. Superiores propria auctoritate abutentes, peculiorum usus quam facillime concedebant. Quare Concilium Tridentinum Lateranensi III. & IV. inhærens, novo severissimo præcepto confirmavit exactæ communitatis legem, & peculii prohibitionem. Non novum seu diversum jus condidit; sed novo præcepto, seu novo jure jus vetus confirmavit, declaravit, novas pœnas in violatores constituit, ut egregie docent Fagnanus, Eminentissimus Petra, & alii communiter. Hæc est *facti* narratio: & nisi me omnia fallunt, verissima. Ad Tridentinum accedamus.

CAPUT VIII.

Concilii Tridentini Decreta, & Summorum Pontificum Constitutiones exactam communem vitam præcipiunt: peculium quodlibet, sive depositum, sive censum vitalitium prohibent.

PRætermissis Decretis Conciliorum Lateranensium III. & IV. atque Summorum Pontificum Constitutionibus, & aliorum Conciliorum Canonibus, qui exactam præcipiunt communitatem, quæque omnia legi possunt *Dissert.* 1. *a cap. VIII. ad XIII. Discipl. Apost. Monasticæ*, referam dumtaxat Concilii Tridentini Decreta, atque posteriorum Pontificum constitutiones.

§. I.

Primum Tridentini Decretum, quo præcipitur vita communis ut basis Disciplinæ Regularis.

SEss. 25. *cap.* 1. „ Quoniam non ignorat Sancta Synodus, quan-
„ tum ex Monasteriis pie institutis, & recte administratis, in Eccle-
„ sia Dei splendoris, atque utilitatis oriatur; necessarium esse censuit,
„ quo facilius ac maturius, ubi collapsa est, vetus & regularis Disci-
„ plina instauretur, & constantius, ubi conservata est, perseveret, PRÆ-
„ CIPERE, prout hoc Decreto PRÆCIPIT, ut omnes Regulares, tam
„ viri, quam mulieres, ad *Regulæ*, quam professi sunt, præscriptum,
„ vitam instituant, & componant: *atque in primis, quæ ad suæ profes-
„ sionis perfectionem, ut Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, ac si qua
„ alia sunt alicujus Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & PRÆCEPTA
„ ad eorum respective essentiam, NEC NON AD COMMUNEM VI-
„ TAM, victum, & vestitum conservanda pertinentia*, *fideliter obser-
„ vent*: omnisque cura & diligentia a Superioribus adhibeatur tam in
„ Capitulis Generalibus, & Provincialibus, quam in eorum visitationibus,
„ quæ suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur:

„ cum

„ cum compertum sit, ab eis non posse ea, *quæ ad substantiam regularis* „ *vitæ pertinent*, *relaxari*. Si enim illa, quæ bases sunt, & fundamenta „ totius Regularis Disciplinæ, exacte non fuerint observata, totum cor- „ ruat ædificium necesse est „.

§. II.

Secundum Tridentini Decretum, quo peculium cujusque generis vetatur.

NOn satis fuit Sacro Oecumenico Concilio vitæ communis præceptum inculcare, sed insuper aliud adjecit Decretum, quo tam expresse & severe peculium quodlibet prohibet, ut tergiversationi locus non supersit. Est autem hujus tenoris, *cap. II.*,, *Nemini igitur Regularium*, „ tam virorum, quam mulierum *liceat bona immobilia*, *vel mobilia*, cu- „ juscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam „ propria, AUT ETIAM NOMINE CONVENTUS, *possidere vel* „ *TENERE*, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique INCOR- „ PORENTUR. NEC DEINCEPS LICEAT Superioribus bona stabilia a- „ licui Regulari concedere, etiam ad usum fructum, VEL USUM, „ ADMINISTRATIONEM, aut commendam. Administratio autem „ bonorum Monasteriorum, seu Conventuum *ad solos officiales* eorum- „ dem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat. Mobilium vero „ usum, ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, „ quam professi sunt, conveniat: nihilque superflui in ea sit: nihil etiam, „ quod sit necessarium, eis denegetur. Quod si quis aliter quidquam „ tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activa, & pas- „ siva voce privatus sit, atque etiam juxta suæ Regulæ, & Ordinis „ Constitutiones puniatur „.

§. III.

§ III.

Tertium Tridentini Decretum, quo omnis habendi peculii radix amputatur.

TAndem, ut Sacrum Concilium omnem habendi peculii radicem evelleret, hoc tertium edidit Decretum, quo cavetur, ne ad professionem Monasticam admittantur ultra eum numerum, qui ex Monasterii redditibus ali possit. Eadem ergo *Sess.* hæc habentur *cap. III.* „ „ Concedit Sancta Synodus omnibus Monasteriis, & domibus tam viro- „ rum, quam mulierum, & Mendicantium, exceptis domibus Fratrum „ S. Francisci, Capuccinorum, & eorum, qui Minorum de observantia „ vocantur, etiam quibus aut Constitutionibus suis erat prohibitum, „ aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona „ immobilia eis possidere liceat. Quod si aliqua loca ex prædictis, quibus „ Authoritate Apostolica similia bona possidere permissum erat, eis spo- „ liata sunt: eadem omnia illis restituenda esse decernit. In prædictis „ autem Monasteriis, & Domibus tam virorum, quam mulierum, bo- „ na immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum nume- „ rus constituatur, ac imposterum conservetur, qui vel ex redditibus „ propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode pos- „ sit sustentari. Nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in „ cujus Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta „.

§. IV.

Animadversiones in laudata Decreta. Vana quorumdam commenta refelluntur.

I. PRimum Sacri Concilii Decretum exactam communitatem præcipit servandam ubi viget, & ubi collapsa est instaurandam. Prælatos omnes severe astringit, ut istius communitatis observationi invigilent. Declarat, nulla eos pollere facultate præfatam communitatem relaxandi. Hæc quippe communitas basis est & fundamentum universæ Re-

Regularis Disciplinæ : est forma, qua servari debet votum paupertatis Monasticæ: est ipsius voti praxis, & expressa imago.

II. Alterum Decretum, ut præscriptam bonorum exactam communitatem efficacius confirmet, & ab ineptis cavillis fartam tectamque custodiat, peculium quodlibet tanta perspicuitate & verbis adeo luculentis prohibet, ut nullus evadendi pateat aditus. Non satis fuit prohibere *possessionem*, quia argutandi occasio remansisset; sed vetat vel ipsam retentionem, seu PECULIAREM USUM *possidere, vel tenere*. Post jubet, ut omnia bona *quovis modo* sive prædicatione, sive lectione, sive industria, sive parentum, amicorumve donatione, aut eleemosyna *acquisita, Superiori tradantur*. Hic non sistit Concilium, sed ut fraudem, dolumque illorum improbet, qui afferebant, satis esse bona illa Superiori præsentari, ut voluntate eadem inter bona Monasterii deputet, & sub ejusdem dominio constituat, usum vero Religioso privato concedat, continuo subdit. *Conventuique incorporentur* eo modo, quo cætera ejusdem Monasterii bona incorporata sunt, ut fusius declarat Clemens VIII. Hæc satis essent ad declarandum communis vitæ præceptum, & ad evellendam cujusque privati peculii radicem. Tamen ultra Concilium pergit, atque Superioribus ipsis potestatem adimit. Quoniam Superiores non pauci laxioris Disciplinæ abutebantur potestate dispensandi, declarat, illos eadem carere. *Nec deinceps Superioribus liceat &c.* Denique prævenit, damnatque consuetas excusationes & prætextus, quibus se retinere peculia afferunt Regulares ex licentia Superioris, & non ut propria, sed ad merum usum *Facti: Etiam nomine Conventus: Etiam ad usum fructum, vel USUM, administrationem, aut commendam*. Quibus verbis labefactata remanet altera excusatio, qua dicunt, Superiores instituere singulos Fratres administratores proprii peculii. Expresse enim prohibet, ne vel in *administrationem* concedi possit. Quin adjicit, hanc administrationem ad *solos officiales*, ad nutum revocabiles, pertinere. Denique jubet, ut usus mobilium bonorum, quæ ex communi patrimonio pro cella, & indumentis porriguntur, sit congruus statui paupertatis. En *USUM FACTI*, quem Concilium, & Regulæ omnes impertiunt. *Usum vero Mobilium ita Superiores permittant, ut &c.*

III. In postremo Decreto, ut Concilium alteram consuetam repellat cavillationem, qua dicunt, Monasteria, seu Conventus destitutos esse

red-

redditibus, qui ad exactam vitam communem sufficiant, præcipit, ut in posterum in quolibet Conventu is tantum numerus Religiosorum admittatur, qui vel ex *redditibus propriis Monasteriorum*, *vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari*.

IV. Quero ab Adversariis, quid in his Decretis desiderari potest, sive ad manifestum vitæ communis servandæ mandatum, sive ad severissimam cujusque peculii prohibitionem exprimendam? Conferant nunc velim hæc Tridentina Decreta cum Regulis, ad quarum præscriptum professionem emiserunt, & cum Conciliorum Lateranensium Decretis; & nisi ex his omnibus evidentissime concludatur demonstratione luculentissima debitum exactæ communitatis, & cujusque peculii prohibitio evincatur, sponte de sententia decedere velim.

V. Tandem Sacrosanctum Concilium ultimum effugium præcludit eorum, qui opponunt proprii Ordinis Constitutiones, & Capitula quædam eorumdem Ordinum, quæ peculia permittere videntur. Siquidem post tria recensita capita, quæ unice Monasticæ paupertatis observantiam spectant, aliis pro Regularium reformatione editis ordinationibus, præcipit, omnia sua Decreta adamussim servanda esse, non obstantibus quibusque privilegiis, *CONSTITUTIONIBUS*, consuetudinibus, vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus. *Hæc omnia* (inquit Concilium cap. 22.) *& singula in superioribus Decreta contenta observari Sancta Synodus PRÆCIPIT in omnibus Cœnobiis, & Monasteriis... non obstantibus eorum omnium, & singulorum privilegiis sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac Mare Magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non CONSTITUTIONIBUS aut REGULIS etiam juratis, atque etiam consuetudinibus vel præscriptionibus etiam immemorabilibus*. Hæc a RR.PP. Magistris altius memoriæ mandari velim, ut hinc colligere valeant, quanti sint ponderis, quæ ex Constitutionibus, & Capitulis Regularium a tempore invectæ laxitatis editis, ut omnes testantur Historici, opponere solent.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

Interpretamenta RR. PP. Magistrorum Vindicis & Vitæ Claustralis.

I. ADeo luculenta sunt Tridentini Decreta, ut nulla eludi cavillatione valeant. Nonnulla excogitaverant Defensores peculii sophismata, quæ refert P. Passerinus, adeo vana, ut ridicularia, atque Theologis indigna ostenderit Author Disciplinæ Monasticæ *Dissert.* 1. *cap.* 14. Dolent RR. Magistri *stigmatizatum* Passerinum talia sophismata obtrudentem: illorum erat *stigmatum* delinire dolorem, & labefactata interpretamenta defendere. Verum tamquam pisces obmutuere ambo, & Passerini responsis neglectis ut vanis, ad alia se recipiunt commenta longe maxime ineptiora. Ne quicquam tamen dissimulem, P. Magister *Vitæ Claustralis* pag. 254. bellam Passerini defensionem suscipit. Scripserat Author Disciplinæ Monasticæ hanc periodum: *Si quis ex omnibus Regulis Monachalibus vel unam producat, quæ vel annuos redditus, vel pecuniam privatim Monachis impertiat, continuo ei assurgo, victoriamque illi cano*. Reponit autem laudatus Magister: *Non unam, sed plures adducam REGULAS, ex his etiam, quas Romanus Pontifex solemnibus Constitutionibus approbaverit. Quid mihi optabilius, quid jucundius, quam hominem hunc mihi assurgentem, mihi post tot tantasque jactantias victoriam canentem aspicere, atque audire?* Prima *Regula* Monachalis, quam ibi adducit, est interpolata Cardinalis de Turre Cremata interpretatio. Secunda *Regula Monachalis* sunt quædam statuta seu Constitutiones Congregationis Cassinensis anno 1680. editæ, & ab Innocentio XI. approbatæ. Cæteræ *Regulæ Monachales*, quas *Magister noster* in medium effert, sunt alia statuta Ordinum Mendicantium, & potissimum Constitutio Ordinis Hieronyminiani a Clemente XII. anno 1734. approbata. Oh quid perdiderunt Benedictus Abbas Anianensis, Hugo Menardus, & Lucas Holestenius, qui illum non audierunt! Si audissent, Codicem Regularum Monachalium in immensum auxissent. De Regulis a SS. Patriarchis institutis sermo nunc est, secus de quibusdam sive Capitulis, si-

Digitized by Google

ve Constitutionibus post collapsam Disciplinam editis. Sed hac de re infra.

§ I.

Communia utriusque Magistri Vindiciarum, & Vitæ Claustralis *interpretamenta*.

I. Viam hactenus tum Canonistis, tum Theologis omnibus incognitam ineunt RR. Magistri, ut quoquomodo eludere Tridentina Decreta valeant. Munus cujusque interpretis est verba, & sensa Sacrorum Canonum expendere, veramque intelligentiam promere. Ita præstitere Navarrus, Diana, Passerinus, Bordonius, aliique. Verum visis istorum commentis ab Authore Disciplinæ Monasticæ penitus convulsis, alio se recipere studuerunt. Intactis itaque relictis Sacræ Synodi Decretis, opponunt plurimos Ordinum Mendicantium Capitulorum Generalium textus, in quibus permitti peculia asserunt. P. Magister *Vindiciarum pag. 69. & seqq.* transcribit omnes textus a Raphaele de Pornasio adductos, aliosque similes. P. Magister *Vitæ Claustralis Dissert. III. cap.* 2. quatuor allegat Comitia Generalia sub quatuor præstantissimis Magistris Generalibus celebrata. Caute ne, an imprudenter Disciplinam unius determinati Ordinis communi causæ immiscuerint, cæteri videant. Ego, ut, quoad fieri potest, invidentiæ periculo me subtraham, singulares Ordinum invectas consuetudines præteribo, nisi interdum gravis necessitas ab hoc proposito recedendi coegerit, quod nonnisi cautione summa eveniet. In memoriam Lector revocet, quæ Dissertatione prima dicta sunt. Ibi enim ex Ferdinando de Castiglio, ex Olmeda, Fontana, aliisque Historicis patefecimus salebras, per quas peculiorum pestis Ordines Mendicantes invasit. Legat, si lubet, *Commentarium Historico-Apologeticum* Caroli Antonii Plantamura, qui, necessitate cogente, ne videlicet seducerentur imbecilles a vanis Pornasii commentis, omnes textus, quos Magistri nostri nunc in nos regerunt, in germano sensu interpretatos inveniet. Consulat quoque, quæ superiore capite ex B. Humberto dedimus. Missis itaque præfatis capitulis, ut ab instituto nostro veluti alienis, quoniam, ut dictum est, non peculiarem, sed communem omnibus pro-

feffo-

fessoribus trium solemnium votorum causam oramus, nonnulla satis jucunda ex ultimo adversario obiter indicare lubet.

II. P. Magister *Vitæ Claustralis*, antequam Tridentina Decreta refert, præfationem valde festivam præmittit, ut retinendo peculio viam paret. Animadvertit primum, Sacro Concilio ex Regularibus interfuisse quadraginta sex supra centum. Aliquorum sublimia merita effert, encomia laudesque pangit, & quæ sequuntur subdit. „ Adeo ut vix essingi possit, quidquam adversus Claustralem Disciplinam sancitum fuisse, vel quod ejus arctaret vota, aut relaxaret. Et sane, si unus Thomas Cassellus, agentibus quibusdam Episcopis, ut prædicationis munus Claustralibus interdiceretur, tanto zelo, tantaque animi præsentia Claustralium causam oravit . . . ut non leve inter Patres excitarit dissidium; quanto magis si Vota sua, quæ omnis Disciplinæ Claustralis basis sunt, fundamentumque præcipuum, e proprio dimoveri loco, & quasi luxari animadvertissent, nonne ad ea farta tecta custodienda continuo insurrexissent? Aderat Bartholomæus a Martyribus, . . . aderat Canus, aderat Mutius, aderat Salmeronius, Soto aderat, aderant & Principum Ordinum Magistri Generales [Deus bone, quos Viros] Qui viri? qui quantum fervidioris studii in damnandis erroribus adhibebant, *tantumdem suarum partium putabant NE QUID NOVI supra proprias Regulas moliretur, aut fieret.*

III. Quid prudentius, quid eruditius excogitari poterat? Si celeberrimi Regulares isti animadvertissent, Vota Monastica a Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Tridentinæ Synodi Patribus *proprio dimoveri loco & quasi luxari*, *facto agmine* insurrexissent. Papæ! Nisi celeberrimi isti Mendicantes interfuissent Sacro Concilio, periculum imminebat, ut ejusmodi Patres solemnia Claustralium vota *proprio dimoverent loco*, eademque *luxarent*. At non accidit, quia Regulares *facto agmine* intercessere. Ergo nihil *NOVI* supra proprias Regulas molitum est. Nonne omnes Mendicantium Regulæ prohibebant bona stabilia vel in Communi possidenda? Nihil *NOVI* supra istas Regulas molitum est? Oh quanta eruditio, quantumque prudentiæ in R. Magistro Claustrali! Nulla ergo in Tridentino Concilio Regularium Reformatio. Eadem ratione nulla Ecclesiasticæ, sicut nulla Monasticæ, Disciplinæ instauratio? Abolenda ergo tot de Reformatione Decreta. Reponit P. Magister ibidem. „ Si quæ in

„ haece Synodo facta est Claustralium Reformatio, eo dumtaxat collineabat, ut abusus, pravæque consuetudines, non tam Prælatorum conniventia, aut Claustralium malitia, quam temporum injuria invectæ, „ de medio tollerentur, & nonnulla eorum privilegia, quæ Episcoporum jurisdictionem minuere quodammodo videbantur, moderarentur. „ Hactenus R. Magister, concluditque ingeminans illud suum: *CETERA NIHIL*. Quæ amabo te sunt hæ *pravæ consuetudines*? Qui *abusus* sublati? Nisi Decreta Tridentina haberemus ad manus, Deus scit, quæ confingeres Commenta. Pravam relaxatæ Communitatis consuetudinem, abusus, & corruptelam peculiorum, se auferre de medio Sacra Synodus testatur in Decretis suis, ut legenti constat. Nec longiorem poscit confutationem lepidum commentum, quod Sacra Synodus *cit. sess.* 25. *cap.* 22. conceptis verbis damnavit. Decretum recitavimus supra cap. VIII. §. 4. n. 5. & iterum rescribam infra.

IV. Aliud non minus curiosum interpretamentum referre lubet, quod habet Magister Vitæ Claustralis *cap.* 1. *pag.* 269. ubi scribit: „ Sive enim „ peculium sit ex annuo censu, quem parentes filiis suis Claustrum ingredientibus destinant, sive ex privatorum Claustralium industria, ac „ labore, *semper inter bona mobilia computari debet, ut pote quod ad Superioris nutum auferri potest, & tolli* „. Retineant privati Claustrales fundos, domus, redditus, villas. Hæc inter bona mobilia computari debent, quoniam ad nutum Prælatorum revocari *possunt*. Quid Sacrum Concilium prohibet, *nemini Regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia*, si respectu Claustralium nulla dantur in rerum natura bona immobilia, quando consensus Prælatorum cum potestate illa revocandi accedit? Hæc tamen Prælati potestas immobilis sit oportet ad mortem usque: immo a tot sæculis immobilis fuit, dum nunquam hæc revocavit peculia.

§. II.

§. II.

Potissimum RR. Magistrorum sophisma nixum Constitutionibus plurium Regularium Auctoritate Apostolica approbatis etiam post Tridentinum. Eorumdem insincera fides in referendis O. P. Capitulis Generalibus. Ab enormi impostura vindicantur Magistri Generales Justinianus, & Caballus.

I. Constitutiones, seu Capitula Generalia plurium Ordinum Regularium, peculia, seu deposita in communi arca servata permittunt, Ejusmodi Constitutiones, seu Comitia Generalia, Summorum Pontificum auctoritate confirmata sunt: ergo peculia licita. Roma rescripta venerunt: ergo causa finita est. Magister *Vindex pag.* 160. refert Ordinationes pro Provincia Regni sui latas, quas duo Visitatores Apostolici jussu Sixti V. approbarunt, & in eisdem peculium permittitur. Pag 164. refert Capitulum Generale celebratum anno 1605. subdens: „ Quid insuper, si addas Constitutiones, sive statuta illustrium Ordinum „ Regularium post Tridentinum edita, quibus deposita permittuntur, „ *modo juxta Tridentini legem in communi area serventur*. Argutissime. Tridentinum legem condidit servandi peculia privata in communi arca? Ubinam in Tridentino lex ista? Sed mittamus hominem pro ingenio, quæ sibi arrident, effingentem.

II. P. Magister Vitæ Claustralis plurium Ordinum Constitutiones, peculium seu depositum in communi arca servandum permittentes, exscribit a pag. 255. videlicet Constitutiones Cassinensis Congregationis, Ordinis B. Mariæ de Mercede, Minorum Conventualium, Regulam Tertii Ordinis S. Francisci a Clemente XII. anno 1739. approbatam, quæ peculium permittit, pluraque alia Ordinum Mendicantium statuta, quæ prætereo; nam omnia eo unice pertinent, ut hanc inferant Conclusionem: Constitutiones plures Ordinum Mendicantium, etiam post Tridentinum editæ, permittunt peculia. Constitutiones istæ sunt ab Apostolica Sede approbatæ. Ergo peculium licitum est.

III. Mitto quod omnes istæ Constitutiones allatæ a RR. Magistris

dam-

damnant tanquam vitio proprietatis infecta peculia, quæ reipsa communiter obtinent in Cœnobiis laxioris Disciplinæ. Quoniam peculia, quæ in praxi vigent, sunt hæc. Quisque exigit suos census vitalitios: quisque crumenulam lateri hærentem habet, nisi involuntaria paupertas impediat. Quisque, prout sibi placuerit, in honestos usus suas distrahit pecunias. Ad summum, qui tot pecunias habent, quæ quotidianis indigentiis superfluunt, majus marsupium in communi arca recondunt, parva tamen retenta portione. Hujus praxis Universus terrarum Orbis testis est. Si aliqui privati secus agunt, ex ipsorum peculiari fervore, non ex vi Disciplinæ, quæ obtinet, ortum ducit. Porro omnes adductæ Constitutiones, tametsi infelicium temporum calamitate editæ, id genus peculia ut sacrilegio proprietatis polluta damnant, solumque permittunt, quod si Religiosus pecunias habeat, *omnes*, aures intendite, *omnes* in communi arca deponat, & quod aliqua urgente necessitate ex Prælati venia expendat. Præcipiunt, quod ejusmodi deposita sint ad breve tempus, & in parva quantitate. Istarum Constitutionum aliæ severius, aliæ mitius has conditiones præscribunt: omnesque, ut dixi, peculia hodierna damnant. Neque reponant RR.MM. peculia a me descripta abusus esse privatorum quorumdam. Quoniam vi corruptelæ serpentis cuique liberum est præfata peculia retinere, & reapse communiter retinentur. Id solum verum habet, quod aliquis privatus, propria ductus conscientia, omnibus pecuniis se se expoliat, & pro aliqua gravi necessitate parvum peculium in deposito communi retinet. Et si qui istorum sunt, ab aliis ut stulti, ab aliis ut morosi, a quibusdam ut Sancti habentur. Rem omnibus manifestam narro. Verum hæc omnia missa facio.

IV. Pudori, & famæ Adversariorum, in re litteraria, parcerem, si id fieri posset absque universi Ordinis dedecore. Non puduit Magistros eximios tanquam Tridentini Concilii contemptores traducere, & Magistros Generales Justinianum, & Caballum, & Comitia ipsa Generalia, quasi post Tridentinum, ut licitos permiserint annuos census Fratribus privatis. Ut ab hac impostura enormi Universum Ordinem liberem, Textum describo ipsius Capituli Generalis, laudati a Magistro *Claustrali*, celebratique anno MDLXIV. Bononiæ a Generali Justiniano, ubi apud P. M. Vincentium Fontana *verb. de bon. Fratr. pag. 66.* hæc ha-

Digitized by Google

habentur. *Quoniam ad extirpandum proprietatis vitium præcipue S. Synodus intendisse videtur : ne quid in Fratribus nostris illius vestigium supersit, omnibus nostri Ordinis Professoribus harum serie denunciamus, quod omnia bona immobilia, & QUICUMQUE ANNUI REDDITUS, vel proventus, undecumque advenire soleant, COMMUNI nostri Ordinis UTILITATI incorporata & applicata sunt, sicut etiam nos præsenti Decreto applicamus, & incorporamus.* Communi ergo Fratrum utilitati, communi usui incorporati, & applicati sunt census vestri vitalitii. Cur hunc luculentissimum textum præteriistis?

V. Verum, ut Magistri Claustralis sinceritas plenius pateat, lubet aliud luculentius documentum in medium proferre. Laudatus ergo Magister Generalis Vincentius Justinianus, præter Capitulum Bononiense, aliud celebravit Romæ an. 1569. in quo evidentius etiam declarat, census vitalitios vetitos a Tridentino esse, & Magistros *Claustralem*, & *Vindicem*, & cæteros omnes habentes annuos redditus, vel eos defendentes, esse sacrilegæ proprietatis reos. Hæc sunt verba Capituli apud Fontana *loc.cit. Declaramus omnes Fratres, qui redditus particulares habent CONTRA Decreta Sacrosancti Concilii Tridentini, & Declarationem Capituli Bononiensis, esse PROPRIETARIOS, & pœnis proprietariis debitis subjacere. Præcipimus in Virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientiæ Provincialibus Provinciarum, & Vicariis Congregationum ac Vicariarum, ut omni diligentia adhibita studeatis HOS TALES cognoscere, & pœnitentiis debitis punire. Et, ut omnis species proprietatis tollatur, ordinamus, ut in TOTO ORDINE, & maxime apud Fratres Provinciarum utriusque Regni, & Vicariarum in Italia, Eleemosynæ Confessionum, & Prædicationum COMMUNITATI fideliter consignentur, AD USUM COMMUNITATIS FIDELITER CONVERTENDÆ.*

VI. Quis nunc ferat ausum Magistri *Claustralis*, qui & suum Generalem Magistrum, & universum suum Ordinem traduxit, ac infamavit? Audiant RR. Magistri quid Augustinus scribat ser. 356. olim 50. adversus oppugnatores exactæ communitatis. *Scio quia quærentes licentiam male faciendi, quærunt sibi exempla male viventium : & multos infamant, ut socios invenisse videantur.* Magister ergo *Justinianus* cum suo Capitulo Bononiensi testatur, vetita a Concilio Tridentino peculia privata. Et quoniam Fratres refractarii aliqui tunc, quemadmodum nunc, reperti fuerunt:

Digitized by Google

runt : iccirco in sequenti Capitulo Romano an. 1569. *Proprietarios* declaravit Fratres ejusmodi . Et quod magis etiam verberat ora Magistrorum loquentium falsa, addit Generalis cum suo Capitulo : *Ut omnis species proprietatis tollatur , ordinamus, ut in toto Ordine Eleemosynæ confessionum, & Prædicationum COMMUNITATI fideliter consignentur, ad USUM COMMUNITATIS fideliter convertendæ.* Ergo tam Magister Claustralis, quam Magister Vindex, eorumque Asseclæ sunt accensendi illis Proprietariis, quos damnat Magister Generalis *Justinianus* . Nullum nunc evadendi effugium. Aut census vitalitii, insuper pecuniæ lectione, prædicatione, aliaque via comparatæ, & cætera omnia bona in *communem* Fratrum *usum* convertenda : aut tanquam *Proprietarii* ab Altari arcendi sunt, qui oppositum agunt, Judice Magistro Generali Justiniano , ad quem appellarunt. Ad majorem præfati Justiniani , & Universi O. P. gloriam, magisque retundendam, ut mitissime loquar , Magistri *Claustralis* dicacitatem, referenda sunt verba, quibus in Chronica Magistrorum Ord. narratur, laudatum Capitulum Bononiense adductum fuisse in exemplum adversus aliorum Ordinum Fratres, qui obedire Concilio detrectabant. *Et hoc deservivit* (inquit Chronicon cap. XVII.) *pro norma & exemplo aliis etiam Religiosorum Ordinibus, qui dum in Curia Romana in contra reclamare aliquantum attentarent , iis statuta , & Decreta Capituli nostri Bononiensis a Judicibus objiciebantur , ut nimirum obtemperarent Concilio ad exemplum FF. Prædicatorum.*

VII. Pestis tamen *Claustralitatis* seu *peculiaritatis* penitus deleri ab universo Ordine nunquam potuit. Sed quemadmodum tunc extiterunt, teste Generali *Justiniano*, plures Proprietarii Concilio inobedientes ; ita nunc plures reperiuntur successores, qui communitati refragantur, quorumque partes Magister *Claustralis* propugnat contra Decreta & Concilii, & Capitulorum proprii Ordinis. Heinc est, quod Comitia Generalia ad majora præcavenda mala, ut fieri solet , permiserunt interdum Depositum. Sed quibus conditionibus ? Audiant RR. Magistri : IN PARVA QUANTITATE , AD BREVE TEMPUS , AD DETERMINATUM USUM. Præcipiunt, ut non penes Fratres, sed in communi ærario custodiatur manu officialium expendendum. Fratres autem, qui, his severissimis conditionibus neglectis, peculia, quæ defendit Magister Claustralis, retinent, Proprietatis crimine inquinatos damnant Comitia

mitia Generalia Valentiæ celebrata anno 1596. ideſt circiter 22. annos poſt Capitulum celebratum a Seraphino Caballo. *Confirmamus, quod pro voto paupertatis, ut decet, ſervando, & vitio proprietatis penitus eradicando, ſancte ſtatutum fuit, potiſſimum quod depoſita, non niſi in moderata quantitate, & ad DETERMINATUM, IDQUE BREVE TEMPUS, VEL USUM concedantur: & quia præfatam Ordinationem minus diligenter a quibuſdam obſervari, quam par ſit, intelleximus, alios vero ſub prætextu determinati uſus ſuam legis inobſervantiam palliare, quaſi licitum illis ſit LONGO TEMPORE ſub tali prætextu in depoſito pecunias habere, quas & PRO OCCURRENTIBUS USIBUS INDIFFERENTER poſtmodum expendunt: Declaramus intentionem noſtram eſſe, quod ubi Prælatus determinaverit, præſentatis ſibi a ſubditis pecuniis, pro pio uſu determinato ſpecialiter in Depoſito aſſervari debeant, non licere ſubdito in alios uſus eaſdem pecunias expendere, nec Prælato facultatem eiſdem ad id tribuere, quem virtute præſentis Decreti privamus. Quare VITIUM PROPRIETATIS incurret ſubditus huic ſtatuto contraveniens, & vitium uſurpatæ authoritatis Prælatus, in cujus pœnam ab officio abſolvi debet. Sciant proinde, qui pecunias undequaque habuerint, teneri infra terminum 24. horarum eaſdem Prælato ſuo præſentare, & de ejus licentia in Communi depoſito ponere. Ita etiam præcipimus in virtute obedientiæ, & ſub formali præcepto, a quo nec Præſidentes locorum, aut Conventuum eximantur.*

VIII. Hanc eamdem legem confirmarunt Comitia Romana anni 1601. & Capitulum Generale Romæ pariter celebratum anno 1644. Ord. II. *Priores de Conſilio Fratrum inſtituant Depoſitarios, qui particularium Fratrum depoſita, UBI hujuſmodi ADHUC TOLERANTUR, aſſervent: ubi autem particularium depoſitorum PERMISSIO feliciter exolevit, perſiſtatur in ſancta conſuetudine, nec permittatur, ut quidquam irrepat, quod laudabilem & EXACTISSIMAM RERUM COMMUNITATEM, ſanctæque Paupertatis obſervantiam vel in MINIMO relaxare poſſit.*

IX. Duo nunc colligas velim. Primum, duo Capitula Generalia Bonon. an. 1564. & Roman. an. 1569. ſub Magiſtro *Generali Juſtiniano* celebrata, evidentiſſime declarare, prohiberi a Concilio Tridentino privata peculia, & exactam præcipere, ſeu præceptam confirmare rerum

communitatem. Omnia ad unum Capitula Generalia Ordinis scelere proprietatis infectos declarant omnes tum Prælatos, tum subditos, qui deposita retinent, aut *longo tempore*, aut *ad usus indeterminatos*, vel in quantitate non parva. Quid ergo Comitia ejusmodi objiciunt Magistri nostri? Alterum est, quod laudata, aut laudanda Ordinis Comitia præfata deposita privata, ne quidem tam severis conditionibus circumscripta approbant, ut absolute licita, sed tolerant, ut majora impediant mala. Opportuna sunt verba P. Magistri Innocentii *Pencini* publici in Universitate Patavina Professoris, & Conventus Veneti SS. Joannis & Pauli alumni in suo de electione Canonica Opere ubi *cap. XII. pag.* 82. *n. 9.* recenset citata Capitula Generalia, hac adjecta observatione lingua vernacula. *Con questa medesima permissione hanno molti Capitoli Generali sopportato particolari depositi, benchè con singolari circostanze e circospezioni. Quindi nel Capitolo di Roma* 1571. [sub Seraphino Caballo] „ statuitur, ut in Provinciis, in quibus consuetum est permittere deposita „ singulorum Fratrum „ *ECCO CHE è UNA PERMISSIONE AD DURITIEM CORDIS, COME IL LIBRETTO DEL REPUDIO NELL' ANTICA LEGGE. Deut. cap.* 24. .... *Sempre si dice* in modica quantitate, ad breve tempus, ad certum usum. *Ma oimè, che la poca quantità passa talora in somma grande. Il* breve tempus *dura tutta la vita, e gli usi determinati divengono senza alcuna pratica restrizione arbitrarj ad ogni suddito.*

X. Hæc, quæ hactenus dicta sunt, in tuto collocant sapientiam, probitatemque Generalium Magistrorum *Justiniani, Caballi*, aliorumque, qui post sinceram Concilii interpretationem, necessitate coacti, deposita tot severis terminis circumscripta tolerarunt. Interpretamenta utriusque Magistri *Claustralis Vitæ*, & *Vindiciarum* gravissimam infamiæ labem præfatis Magistris Generalibus, & universo Ordini aspergunt. Illos tanquam Concilii Tridentini violatores contemptoresque traducunt. Sole meridiano clarius est, Tridentinum absolute peculia vetare, Prælatisque inhibere, ne eadem permittant. Nullum in Tridentinis Decretis verbum ambiguum vel ipsi RR. Magistri objicere valent. At inquiunt, Generales Magistri post Tridentinum concedunt peculium. Hactenus evidenter ostensum est oppositum. Sed ut eos undequaque ad incitas redigam, verum sit quod fabulantur. Quid heinc? Ergo, hac data hypotesi, Tridentina De-

creta

Digitized by Google

creta violarunt, contempserunt Generalia Comitia. Hæc est legitima illatio. Tantum ne facinus imponis Sapientissimis Viris? Non ego, qui inficior, sed vos, qui asseritis eosdem peculia approbasse, scelus prævaricationis iisdem impingitis. Tridentina namque Decreta luculentissima sunt, nulli tergiversationi obnoxia. Urgeo adhuc. Sint Tridentina Decreta ambigua, quod tamen falsum est: qui istorum Legitimi interpretes? Fratres Mendicantes, an Summi Pontifices? Quid reponitur? Pontifices. Agite dum ergo, Pontifices adeamus. Clemens Papa VIII. Paulus V. Urbanus VIII. & cæteri omnes successores apertissime declarant, Tridentinum Concilium peculia prohibere, Prælatisque facultatem adimere, ne peculia permittant. Vetant pœnis constitutis, ne quisquam audeat præfata Tridentina Decreta interpretari præter Congregationem in hunc finem erectam. Quid ergo Fratrum Capitula obtrudunt, ut Decreta Concilii eludant? Quid aliud inferunt, si quid inferunt, oppositæ cavillationes, nisi Fratres Mendicantes, repugnante Concilio Tridentino, reclamantibus Pontificibus Summis peculia obfirmata reluctantia retinuisse, & in dies retinere. An propterea in hominum mores detorquendæ sunt leges? Propterea ne legum vim elevabit transgredientium multitudo? Fusius quam par erat, disputatum.

§. III.

Oppositum sophisma, Mendicantium Constitutionibus Auctoritate Pontificia confirmatis innixum, omnium Canonistarum Theologorumque consensu refutatur, convellitur.

I. Sciant itaque RR. Magistri, pervetustum esse, rancidumque objectum sophisma a Capitulis Generalibus, & ab auctoritate Sedis Apostolicæ arcessitum. Audiant Gersonium, qui illud sibi opponit in tract. contra Propriet. part. 3. his verbis. *Tertio objiciunt Proprietatis defensores, quod in Capitulis eorum de ejusmodi proprietatis USU dispensatum est usque adeo, quod amplius non sit timendum.* Et Paulo ante opponit auctoritatem Papæ. *Sed dicent forte, quod Papa, vel Ecclesia cum eis super hoc dispensavit. Audiant Papam Innocentium expresse dicentem: Abdicatio proprietatis* &c. *ergo a fortiori nec Generale Capitulum Ordinis, nec Abbas potest indulge-*

Digitized by Google

dulgere licentiam .... Votum paupertatis adeo annexum est Regulæ Monachali, ut non æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo dispensare. Nec cavillari possunt, Gersonium intelligendum de proprietate, seu peculio quantum ad dominium, cum expresse loquatur de *USU* proprietatis. Sed quæso animis adsint, ut audiant, quo acri, falsoque stylo Mellifluus Doctor D. Bernardus præfatum sophisma a laxioris Disciplinæ Monachis sibi obtrusum propulset, exsibiletque *Epist. 7. ad Adam* Monachum n. 9. *Quod vos quoque non immerito timentes, nec satis de propria causa confidentes, remorsas, & remordentes Conscientias APOSTOLICA conati estis delinire LICENTIA. O frivolum satis remedium? Quod non est aliud, nisi more Protoplastorum cauteriatis Conscientiis texere perizomata: videlicet ad velamentum, non ad medicamentum. APOSTOLICAM, inquiunt, LICENTIAM quæsivimus, impetravimus. Utinam licentiam non quæsissetis, sed consilium: idest non ut liceret, sed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam? Ut liceret quod non licebat? Facere itaque volebatis quod non licebat .... Sed quod non licebat malum est .... Hujus tamen mali patrandi quærendam putastis esse licentiam: sed ad quid? An, ut quanto licentius, tanto securius, & quanto securius, eo & periculosius peccaretis? MIRA CAUTELA, ET STUPENDA PROVIDENTIA. Malum quod jam corde conceperant, opera tamen cauti fuerunt non implere, nisi CUM LICENTIA. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo conceptui PAPA præberet assensum. QUO LUCRO? Quove saltem compendio mali? Numquid ideo aut malum esse desiit, aut vel minoratum est, quia PAPA concessit? Quis vero malum esse neget, assensum præbere malo? QUOD TAMEN SUMMUM FECISSE PONTIFICEM NEQUAQUAM CREDIDERIM, NISI AUT CIRCUMVENTUM MENDACIO, AUT IMPORTUNITATE VICTUM*. Hæc serio perpendant RR. Magistri, & interim ego ultra pergam.

II. SS. Patriarchæ Dominicus, & Franciscus, aliique Mendicantium Institutores gravem Monasticæ Disciplinæ relaxationem a Bernardo descriptam, privatoque peculio invectam animadvertentes, ne simili jacturæ obnoxiæ evaderent Religiones a se institutæ, severiorem illis indixere paupertatem. Temporum injuria hac quoque paupertate remissa, pedetentim, ut contingere solet, laxitas, pro lege habita, & statutis confirmata fuit,

fuit, pluribus tamen adjectis aggeribus, ut dictum est. Postremi Clericorum Regularium Ordinum Institutores, spectantes & ipsi Mendicantium declinationem ex relaxatione paupertatis, sicut quodlibet ædificium ex fundamenti imbecillitate corruit, paupertatis rigorem auxerunt. Et quod maxime ad rem nostram facit, D. Patriarcha Ignatius aperte testatur, quod Constitutiones Recentes quorumdam Mendicantium minime respondeant Regulis Sanctorum Fundatorum. *Quia humanæ naturæ hostis ad hoc propugnaculum* [paupertatis] *ac refugium debilitandum .... eniti solet, ea, quæ a primis Fundatoribus bene ordinata fuerunt, INNOVANDO per DECLARATIONES, vel innovationes Primo illorum spiritui MINIME CONSENTANEAS, ut quod in nobis situm fuerit &c. par. 6. Const. cap. 2.* Consule Discipl. Apos. Monas. *Diss. 1. cap.* 8.

III. D. Bernardus fuit Doctor Asceta sicut Dionysius Carthusianus, inquit Magister *Vindex* pag. 90. Cæteri Patriarchæ œstro fervoris perciti paupertatem commendant, & præfervida eloquentia exaggerant. Bene habet. Audite ergo alios duos S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales. Bellarmin. *Epistol. ad Nepot. Quoniam Papa non est Dominus sed Dispensator: ideoque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est, & qui ea utitur, eadem semper irretitur iniquitate.* Alter Cardinalis est Franciscus Toletus, qui contra Pensionarios, allegantes Summi Pontificis dispensationem, hæc scribit. *lib. 5. cap. 84. Sine causa enim non habet locum dispensatio, sed tantum in foro exteriori. Unde qui pensiones retinent etiam cum dispensatione, si non adest causa legitima; securi non sunt, nec excusantur, quia Papa dedit. Et ipsius est considerare quomodo dedit. Hoc enim non excusat. Si enim quis accipiat pecuniam ab œconomo, quem scit male dispensare res Domini, & contra justitiam, non potest nunc retinere. Papa autem non est Dominus bonorum, & reddituum Ecclesiæ; sed tantum universalis dispensator. Unde sicut cum dispensat in voto, non facit hominem securum in conscientia, nisi causa adsit, ita in pensionum, & beneficiorum distributione.*

IV. Hæc nimium remota sunt, & universalia, nec recta occurrunt oppositioni factæ. Agite dum ergo, vos qui passim Canonistarum obtruditis auctoritatem, ad Canonistas accedamus. Ut itaque omnibus explorata sit fides, & eruditio vestra, Lectores admonere juvat, præfatum sophisma objectum olim fuisse a duobus Baccalaureis Lovaniensibus PP.

Cleerts

Cleaerts & Wynants Ord. S. Aug. Zegero Van-espenio, qui illud explodit *opusc. de pecul. Append. 2. Reflex. 3. pag. 114. Edit. Venet.* Primum omnium Vanespenius improperat Baccalaureis Lovaniensibus ignorantiam rei Canonicæ, & post allatas Constitutiones & Capitula Generalia Gregorii XIII. auctoritate approbata, eos veluti deridendos propinat. *Verum* (inquit) *cum hæc materia Canonistas magis, quam Theologos spectet, eximio* (Magistro] *facile in hac materia error condonandus est*. Magistrorum, qui Vanespenium passim *Rigoristam* appellant, erat, ejusdem refellere doctrinam, cum ab eodem non pauca mutuo accepere documenta. Næ illhæc bona disputandi fides? argumenta centies soluta, iterum promere, solutione indicta? Si responsum imbecille est: cur non refutatum? Si solidum: cur cantio recantata? Audiant ergo iterum communem & ineluctabilem Canonistarum, & Theologorum resolutionem. Duplicem Canonistæ distinguunt confirmationem Pontificiam alicujus Statuti, Capituli, aut Constitutionis. Alteram *communem* vocant, seu in *forma communi*. Alteram in *forma speciali*, sive *ex certa scientia*. Confirmatio *ex certa scientia*, & *in forma speciali* ea est, quæ fit cum *perfecta notitia* totius negotii, & *omnium* circumstantiarum, & quando tenor totius *privilegii*, aut *Constitutionis* inferitur in ipsa confirmatione, ut docet laudatus Van-espen, & penes ipsum Barbosa *ad cap. 4. de conf. util. & inutilit*. Et hæc confirmatio in *forma speciali* magnam inducit auctoritatem. Confirmatio in *forma communi* est simplex permissio, seu approbatio, hac semper circumscripta clausula: *Modo Sacris Canonibus, Tridentini Concilii Decretis, & Constitutionibus Apostolicis non adversentur*. Nemo mentis compos dixerit, Statuta Capitulorum, sive Constitutiones Regularium approbatas esse in *forma speciali*. Quoniam etiam si Pontifices expediti essent ab omnibus aliis gravissimis folicitudinis Apostolicæ negotiis, haud possent plenam, exactamque omnium Regularium Capitulorum, & legum notitiam excipere. Sunt ergo Capitula, & Constitutiones Regularium approbatæ a Sede Apostolica in *forma communi*, nimirum hac adjecta clausula: *dummodo non adversentur Decretis Concilii Tridentini*, *& Constitutionibus Clementis VIII. Pauli V. Alexandri VII. Innocentii X. & XII.* Aut itaque Constitutiones Regularium concedunt absolute subditis peculium, census vitalitios, seu bona immobilia ut licita: aut secus. Si secundum, sunt approbatæ. Si primum, in hac materia sunt reprobatæ tanquam adversæ Sacro Tridentino Concilio.

V.

V. Instant, urgentque Magistri nostri. Tu ne erroris damnabis Patres illos numero, doctrina, laureis, & gradibus conspicuos, qui Capitula formant, & Statuta edunt? Absit a me audaciæ tantum. Sed percontor dumtaxat a vobis. Concedunt ne Constitutiones istæ deposita privata, & bona stabilia Fratribus sive ad *usum fructum*, *Commendam*, *administrationem*, *vel usum*? Aiis? Ergo repugnant Tridentino, & corruptelam severissime vetitam continent. Si secus, lis finita est. Verum, quia sophisma hoc ex Regularium Constitutionibus Authoritate Apostolica approbatis erutum, fucum non levem facere imperitis solet, lubet paulo fusius illud penitus labefactare.

VI. Animadvertunt Fagnanus, Van-espen, & alii Canonistæ, qui præfatum sophisma ut ineptum commentum propulsant, occurrere non raro in aliquibus Capitulis Regularium Statuta quæpiam condi, similia iis, quæ quandoque edita sunt in Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, de quibus hæc decernit Synodus Coloniensis anno 1536. *p.* 3. *cap.* 19. „ Habent fere quotquot sunt Cathedrales ac Collegiatæ Ecclesiæ suum volumen peculiarium Statutorum, quæ interdum pro affectu privato cujuslibet augentur, & ac crescunt. Inter hæc reperies quamplura, quæ quæstum magis, quam pietatem respirant: & ad inæqualitatem potius, quam æqualitatem faciant. Unde discordia inter Fratres, ut fieri solet, frequenter alitur; concordia vero scinditur, laceraturque. Et quamtumvis pleraque inter hæc *iniqua* reperias, adiguntur tamen, qui recens admittuntur, ut ad hujusmodi Statutorum observationem (etiam penitus ignari, quid continent illa) citra ullum delectum jure jurando se se alligent, cum tamen juramentum non debet esse iniquitatis vinculum, nec ad ignorata extendi. Operæ pretium itaque nobis videtur hujusmodi *Statutorum volumina inter visitandum excutere*, & *quæ evangelicæ puritati*, *atque fraternæ charitati*, *denique disciplinæ Ecclesiasticæ minus consentanea reperta fuerint*, *resecare* &c.

VII. Rem hanc urgentius confirmat Decretum Sacri Concilii Tridentini *Seff.* 24. *cap.* 14. *de Refor.* quod est istius tenoris. „ In pluribus Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis & Parrochialibus ex earum *Constitutionibus*, aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem

„ ali-

„ alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel beneficii, Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur. Turnorum lucra, interponantur: Hæc cum Sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, ut quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui *Simoniacæ labis* aut *sordidæ avaritiæ* suspicionem habent, fieri non permittant: ipsique diligenter de eorum *Constitutionibus*, sive consuetudinibus super prædictis cognoscant: & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas, ut *pravas* ac *scandalosas* rejiciant, & aboleant.

VIII. Tandem concludit Decretum his verbis. „ Non obstantibus quibuscumque Statutis, *Constitutionibus* & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam APOSTOLICA AUTHORITATE confirmatis, de quarum subreptione, & intentionis defectu Episcopus, tanquam Apostolicæ Sedis delegatus, cognoscere possit „.

IX. Clarius etiam rem nostram confirmat idemmet Tridentinum Concilium *cit. sess.* 25. *cap.* 22. his verbis. *Hæc omnino in superioribus Decretis contenta observari Sancta Synodus præcipit in omnibus Cœnobiis ac Monasteriis . . . . Non obstantibus eorum omnium, & singulorum Privilegiis sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac Mare Magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non CONSTITUTIONIBUS etiam juratis, atque etiam consuetudinibus, vel præscriptionibus etiam immemorabilibus.* Supponit ergo Tridentinum, aut reapse reperiri, aut posse reperiri Constitutiones, & Statuta Regularium suis adversa Decretis, quæ servanda *illis non obstantibus* præcipit. Si afferit plura extare in Sratutis, & Constitutionibus Ecclesiarum Cathedralium, tametsi per *Sedem Apostolicam confirmatis*, quæ pravitatis labe respersa sint: æque, vel etiam multo magis id accidere potest in Capitulis, & Constitutionibus hujus, vel illius Ordinis Regularis. Hæc omnia docent Barbosa, Fagnanus, cæterique Canonistæ. Adeant RR. Magistri Sacram Rotam, ubi in dies audient præfatam distinctionem in *FORMA COMMUNI*, & in *FORMA SPECIALI*. Quæro nunc iterum ab eisdem: est ne honesti Theologi in medium argumenta adducere millies convulsa, nulla adversæ doctrinæ, qua soluta sunt, facta mentione? Hæc disputandi ratio,

Digitized by Google

ratio, non veritati assequendæ, sed imperitis decipiendis est quam maxime peridonea.

X. Verum ut magis adhuc magisque palam fiat, quam futile sit objectum sophisma, lubet alia evidentissima argumentatione illud convellere. Innocentius XI. in sua Constitutione data anno *1679*. cujus initium est: *Cum nos alias &c.* Constitutionum O. P. correctionem præcipit his verbis. „ Eligantur quatuor, vel sex Religiosi ex doctioribus, „ & provectioribus, magisque informatis, quibus committatur cura re- „ videndi *Constitutiones*, earumque Glossas, & Ordinationes, ac refe- „ rendi Capitulo Generali quænam exigant *correctionem* vel emenda- „ tionem, sive declarationem, & aliam provisionem in omnibus iis, „ quæ concernunt statum, & commodum Religionis, ac *observantiam*, „ *& Disciplinam Regularem*. Hoc idem præcipiunt vel ipsa Ordinis Capitula Generalia, ex quibus, plurimis missis, duo ultima allegabo, utpote majoris ponderis. Itaque Capitulum Generale celebratum Romæ anno 1721. sub Generali *Pipia*, postea S. R. Ecclesiæ Cardinali, sub titulo *Commissiones pag.* 13. hæc præcipit. „ Committimus eidem Reve- „ rendissimo, ut eligat quatuor Religiosos ex doctioribus, provectio- „ ribus, magisque informatis, quibus demandetur provincia revidendi „ Constitutiones, earumque Glossas, & Ordinationes, ac referendi fu- „ turo Capitulo Generali 1724. quænam exigant *correctionem vel emen-* „ *dationem &c.* Tandem Capitulum Generale ultimum, celebratum anno 1725. Bononiæ, titulo Commissiones num. 8. pag. 107. hanc eamdem ordinationem instaurat, laudatque præceptum Pontificium Innocentii XI.

XI. Hinc sic colligo. Sedes Apostolica, & Ordinis generalia Comitia præcipiunt Constitutionum revisionem, ut corrigenda corrigantur, & emendanda emendentur in iis, quæ spectant Disciplinam & observantiam Regularem. Ergo tam Pontifices, quam Sacri Ordines supponunt reperiri posse in Constitutionibus Statuta adversa Tridentinis Decretis, & Pontificiis Constitutionibus. Ergo non Tridentinum ad Constitutiones, sed Constitutiones ad Tridentinum revocandæ sunt: & si quid adversum continent, corrigendæ, & emendandæ. Eant nunc RR. PP. Magistri & vociferentur: Constitutiones Ordinum Regularium, authoritate Pontificia approbatæ, permittunt peculium, etiam post Tri-

dentinum Concilium, & Clementem VIII. Ergo nec Tridentinum, nec Clemens VIII. vetant deposita, census vitalitios, seu bona stabilia retineri posse a Fratribus privatis. Quam sit falsa, insulsa, & inepta hæc argumentatio, nemo est qui non videat. Nam Constitutiones, aut sunt Authoritate Pontificia approbatæ, aut secus. Si secundum, titulo approbationis Pontificiæ nullam vim habent, eo quippe carent. Si primum. Cedo: cujus generis est hæc confirmatio, *specialis*, an *communis?* Si *specialis*, non subjacerent Capitulorum correctioni, nisi authenticas Summorum Pontificum confirmationes supponere velint Fratrum Capitulis. Est ergo approbatio, seu permissio Communis, ex qua, proportione servata, non melior colligitur argumentatio, quam sit hæc. Hic liber est approbatus ab Inquisitore, ab Episcopo, a Revisoribus: ergo nullum continet errorem.

§. IV.

Incredibilis P. Magistri Vitæ Claustralis *hallucinatio in interpretatione Constitutionis Clementis XII. cujus initium:* Ecclesiæ Catholicæ.

I. PAter Magister *Vitæ Claustralis* tum se hostem ferire autumat, cum jugulum suum recta petit: ibique umbratilem agit triumphum, ubi ipse semetipsum prosternit. Adeo luculenta, & ineluctabilia agnovit Tridentina Decreta, ut, cum nec verbum illorum cavillari potuerit, alio confugit, & extrinsecus emendicare quædam curaverit, quibus eisdem tenebras offunderet. Clementis XII. Constitutionem opponit, qua Statuta Monachorum S. Hieronymi confirmantur. Constitutiones istorum Monachorum peculium Monachis privatis permittunt. Ergo Clemens XII. has constitutiones confirmando, declaravit peculium privatum Concilio Tridentino non adversari. Hæc est *Magistri nostri* argumentatio, quam illius verbis exscribere lubet, ne quicquam illi imponere videamur. Sic quippe scribit pag. 275. *Clemens XII. . . . confirmans Constitutiones Ordinis Monachorum S. Hieronymi in Hispania recens correctas, notum fecit, & MANIFESTUM, Tridentini Concilii Decreta privato Claustralium peculio non opponi, non adversari.*

II.

II. Constitutio Clementina habetur in Bullarii Romani supplem. *par.* 8. *pag.* 35. *& seqq.* Eam transcribit P. Magister fere integram fidelitate summa. Quare ne paginas inutiliter impleam, eam rescribere omitto: & textum, qui totum negotium conficit, ab ipso Magistro exscribam, ut illius incredibilem hallucinationem evidentius Lector deprehendere valeat. Porro Constitutiones Hieronymianæ a præfata Constitutione confirmatæ revera peculium permittunt. Nullum ergo nos inter, super *facti istius* veritate dissidium. Verba Constitutionis Monachorum S. Hieronymi ex una: pauca Tridentini, & Clementis VIII. ex altera parte transcribam, ut via aperiatur evidentissimæ hallucinationi manifestandæ.

CONSTITUTIONES

Monach. S. Hieronym. XXXVII. Extrav. VI. §. 230.

In omnibus Monasteriis PRÆTER arcam communitatis, in qua communis pecunia deponitur., ALIA etiam existit specialis pro Monachorum peculiis cum duabus etiam clavibus, quarum unam Prior, alteram Monachus ab ipso cum Deputatis, vel cum suo Capitulo secundum consuetudinem Monasteriorum designandus, habeat, in qua teneantur singuli omnem pecuniam ipsis ad usum pro suis necessitatibus permissam, *seu quomodolibet pertinentem consignare, & deponere: Inde nullam quantitatem extrahere possint nisi de Superioris licentia. Præterea nullus Monachus dictam* pecuniam sibi ad usum concessam, *excepta ex parva quantitate, cujus consumendæ li-*

CONCILIUM TRIDENTINUM

Sess. 25. cap. 2.

Nemini igitur Regularium . . liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus *possidere vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique INCORPORENTUR. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum, vel USUM &c.*

CLEMENS VIII.

Præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus &c. . . . . . etiam nomi-ne

licentiam a Superiore habeat, vel peculia aliorum Monachorum apud se retinere, vel aliis quibuscumque personis custodiendam tradere; sed in prædicta Arca peculiorum præcise deponi debeat sub pœna privationis vocis, activæ & passivæ per triennium.

ne Conventus possidere possit; sed ea omnia statim superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis reditibus, pecuniis ac proventibus CONFUNDANTUR, quo communis inde victus & vestitus *omnibus suppeditari possit. Neque Superioribus quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad usum fructum vel usum, administrationem, aut commendam*, *ETIAM DEPOSITI*, *aut* *CUSTODIÆ* *nomine concedere.*

III. Quam sit manifesta pugna, & apertissima oppositio inter Constitutiones Hieronymianas, & Concilium, atque Clementem VIII. nemo non videt. Concilium, & Clemens præcipiunt, ut *pecuniæ confundantur*. Constitutiones Hieronymianæ statuunt, ut pecuniæ separentur. *Præter Arcam communitatis, ALIA etiam existat specialis pro Monachorum peculiis.* Alii, ut apparentius saltem illudant Concilio, in eadem magna communi Arca loculos tenent parvulos particularibus clavibus obsignatos, & sub majori clavi custoditos. Monachi isti sincerius duas separatas Arcas haberi statuunt: alteram pro communitate: alteram pro peculiis Monachorum.

IV. Concedimus itaque Præfatas Monachorum Constitutiones peculium permittere. Ubi ergo incredibilis P. Magistri *Vitæ Claustralis* hallucinatio? Quod dixerit, hanc Monachorum Constitutionem a Clemente XII. declaratam esse ut Tridentino consentaneam: quod dixerit, Clementem XII. *notum, & manifestum* fecisse Tridentini Concilii Decreta peculio Monachorum non opponi. Quid diceres *Magister eximie*, si Felic. Record. Clemens XII. conceptis verbis assereret non semel, non bis, sed ter, se Constitutiones præfatas Hieronymianas confirmare, *dummodo Concilii Tridentini, & Clementis VIII. Decretis, & Sacræ Congregationis*

nis Statutis non repugnent? Macte itaque animo, textus afferamus, non aliunde transcriptos, quam a Clementina Constitutione a te exscripta, in qua sic lego apud temetipsum pag. 277. sub initium. *Definitive pronuntiavit* [Nuntius Apostolicus) *ut abrogata Compilatione anni* 1716. *observentur in Ordine leges*, & *Constitutiones*, & *Extravagantes in Compilatione anni* 1613. *EXCEPTIS IIS*, *QUÆ SACROSANCTO CONCILIO TRIDENTINO*, *DECRETIS S. M. CLEMENTIS VIII.* & *aliis Constitutionibus Apostolicis*, *nec non resolutionibus Sacræ Congregationis FORENT CONTRARIÆ*. Hoc semel in capite paginæ tuæ. Secundo, in medio paginæ clausulam eamdem repetit Pontifex Sanctissimus his verbis. *In nova Compilatione ponantur Constitutiones omnes fundamentales*, *quæ non sint revocatæ*, *SIVE OPPOSITÆ SACROSANCTO CONCILIO TRIDENTINO*, *CONSTITUTIONIBUS APOSTOLICIS ET RESOLUTIONIBUS SACRÆ CONGREGATIONIS*. Tertio, repetit Clemens ipsam Clausulam sub finem citatæ pag 277. *Adjungantur etiam in suis locis opportunis capitula XIX. publicata sub anno MDCCV. DUMMODO NON SINT CONTRARIA SACROSANCTO CONCILIO TRIDENTINO*, *ET APOSTOLICIS CONSTITUTIONIBUS*.

V. Consulat Lector Clementinam Constitutionem tum in Bullario *loc. cit.* tum apud R. Magistrum *Vitæ Claustralis cit. pag.* 277. & nisi adamussim vera sint, me nullius fidei hominem totus Mundus habeat. Manus nunc conferamus cum R. Magistro. Ille tanta confidentia adfirmat, Clementem XII. declarare, peculium permissum in Constitutionibus Hieronymianis non adversari, immo consentaneum esse Concilio Tridentino, quanta rem certam enuntiaret. Porro hæc sua interpretatio, non modo evidenter falsa est, sed est hallucinatio adeo crassa, ut ipse me tangi pro illo sentiam. Quam, ut intelligat, [parcat lector, si in re apertissima coactus verba fundo] ponamus quempiam asserere: Approbo omnia, quæ sunt in operibus Lutheri, & Calvini, [multa enim fidei dogmata continentur] *exceptis iis*, *quæ sunt opposita Ecclesiæ Catholicæ definitionibus*, & *Sacrosancti Concilii Tridentini Canonibus*, & *Decretis*. Qui ita loqueretur, declararet ne hæreses Lutheri, & Calvini non adversari Ecclesiæ Dogmatibus, nec Tridentini Concilii Canonibus? Quid reponit? Clemens XII. conceptis verbis testatur, non semel, sed *ter*, se approbare Constitutiones

Digitized by Google

tiones Hieronymianas, *Exceptis iis, quæ Sacrosancto Concilio Tridentino, Decretis S. M. Clementis VIII. & aliis Constitutionibus Apostolicis, nec non resolutionibus Sacræ Congregationis forent contraria*. Repetit iterum, iterumque, *dummodo non sint contraria Sacro-Sancto Concilio Tridentino, & Apostolicis Constitutionibus*. Et tu in conspectu totius orbis Terrarum non reformidas, non erubescis asserere: Clemens XII. declaravit peculium permissum in præfatis Constitutionibus non esse contrarium, sed esse consentaneum Concilio Tridentino, & Apostolicis Constitutionibus? Approbationem conditionatam pro absoluta obtrudis? Quod Pontifex excipit se non approbare, tu illum approbare asseris? Tanto ausu abuteris fide publica? Tanto ausu Summo Pontifici, & Sacro Cardinalium Collegio adeo enormem dicam affingis, quod declaraverint peculium non adversari Tridentino Decreto?

VI. Cæterum, ut omnibus pateat *R. Magistri nostri* genium, non nulla alia illius verba refero, quibus post laudatæ Constitutionis commentum, triumphale agit tripudium, sibique præna canit hoc pacto pag. 279. *Adhibeat quemcumque voluerit cuneum ad hoc scindendum Daniel, constans semper æternumque erit peculium Claustrali privatim concessum optime cohærere cum Tridentini Decretis, ita Patribus Hieronymianis, & Eminentissimo Petra definientibus, Sacra super Regularium Disciplina Congregatione approbante, & CLEMENTE XII. Pontifice Maximo confirmante. Si secus est, errant Monachi, erravit Cardinalis, erravit Congregatio, erravit denique Romanus Pontifex. Malitia & arte illi, ut impune paupertatem violarent: crassa supinaque ignorantia isti, qui Tridentini Decreta non intellexerint. At nemo horum ÆDEPOL erravit. Sed unus CONCINA, DUM CONCILII TRIDENTINI DECRETA COMMUNEM VITAM REGULARIBUS PRÆCIPERE, PECULIUMQUE VETARE SCRIPTURIVIT*. Opportunum hic est Poetæ Carmen:

Dicite io Paean: & io bis dicite Paean!

VII. Conferat Lector cum clausulis & exceptionibus Clementinæ Constitutioni insertis descriptum Magistri nostri triumphum, judicetque sit ne anicellæ somnium, an puerorum crepitaculum? *Ædepol nemo erravit? Non Monachi?* Immo soli Monachi, P. Magister, soli Monachi Hieronymia-

nymiani, quemadmodum Monachi Cluniacenses errarunt, in quos, similesque omnes mirum in modum quadrant quæ sub initium superioris capitis ex D. Bernardo recitavimus, quorum hic aliqua rescribenda sunt, utpote nimium opportuna, & accommodatissima. *Nec satis de propria causa confidentes, remorsas ac remordentes Conscientias, APOSTOLICA conati sunt delinire LICENTIA. O Frivolum remedium! Quod non est aliud, nisi more Protoplastorum cauteriatis Conscientiis texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum. APOSTOLICAM, inquiunt, LICENTIAM quæsivimus, impetravimus. Sed ad quid? An ut quanto licentius, tanto securius, & quanto securius, eo & periculosius peccaretis? Mira cautela? Stupenda providentia! Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo conceptui Papa præberet assensum.* Ne vero quemadmodum Innocentius, sive Eugenius deceptus a Cluniacensibus, ita Clemens XII. *aut circumventus mendacio, aut importunitate victus ab* Hieronymianis, quidquam Disciplinæ Monasticæ minus consonum concessisse dicatur, illorum Constitutiones non approbavit, nisi *ter* addendo: *Exceptis iis &c. Dummodo Concilii Tridentini, & Clementis VIII. Decretis non repugnent.* Ne multa. Clemens XII. reipsa non approbavit, sed potius improbasse dicendum est laudatam Hieronymianorum Constitutionem, utpote apertissime Concilio Tridentino infestam.

VIII. Accedit postremum, quod Clemens VIII. non modo Constitutione LX. anno 1599. edita, Regularibus omnibus præcipit exactam rerum communitatem; verum etiam duas peculiares Constitutiones edidit sigillatim pro reformatione Monachorum Ordinis S. Hieronymi. Altera incipit: *Quæ ad prosperam.* Altera: *Sanctissimus Dominus noster, Dominus Clemens Papa VIII. &c.* data anno 1596. Utraque habetur in *tom. 3. Bullar. Rom. pag. 26. & 27.* Porro in hac secunda perfecta rerum communitas *Monachis Hieronymianis* his verbis præcipitur §. 2. *Quo Tridentini Concilii Decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observent, Præcipit, ut nullus ex Monachis* (S. Hieronymi), *etsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex Concionibus, sive ex lectionibus, aut promissis, tam in propria Ecclesia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum justo labore, & causa, & quacumque denique nomine quæsita, etsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine*

mine

mine Monasterii possidere possit ; sed ea omnia statim Superiori tradantur , & Monasterio incorporentur , atque cum cæteris illius bonis , pecuniis , ac proventibus confundantur , quo communis inde victus , & vestitus omnibus suppeditari possit . Neque Superioribus , quicumque illi sint , ullo pacto liceat eisdem Regularibus , aut eorum alicui bona stabilia , etiam ad usum fructum , vel usum , administrationem , vel commendam , etiam DEPOSITI , *aut* CUSTODIÆ *nomine concedere : eorum vero , quæ ad necessitatem concessa erunt , nullus quicquam possideat , ut proprium , neque ut proprio utatur . Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio , nulla licentia , quantum ad bona immobilia , vel mobilia Monachos excusare possit , quominus* CULPÆ , *& pœnæ ab ejusdem Concilii Decretis impositæ , & ipso facto incurrendæ obnoxii sint , etiamsi Superiores asseverent hujusmodi dispensationes , aut licentias concedere posse , quibus ea in re fidem minime adhiberi volumus .*

Monachorum vestitus , & supellex cellarum ex COMMUNI *pecunia comparetur , & omnino uniformis sit , omnium Monachorum , statuique paupertatis , quam professi sunt , conveniat . &c.*

CLEMENS itaque XII. approbat Constitutiones Monachorum S. Hieronymi , dummodo non repugnent Decretis Clementis VIII. latis pro exacta communitate servanda ab iisdem Monachis Hieronymianis .

Quid plura . Ipse Clemens VIII. approbat Constitutiones Hieronymianas , dummodo non repugnent suis Decretis . Hæc sunt Pontificis verba in laudata Constitutione §. 26. *Quæ Ordinis Constitutiones his Decretis non adversantur inviolatæ custodiendæ erunt .* Si Constitutiones istæ permitterent peculium , essent ne approbatæ à Clemente VIII. ? Duæ ergo sunt Constitutiones Clementis VIII. quæ Monachos Hieronymianos obligant ad exactam rerum communionem . Altera particularis nempe XXI. quæ sigillatim eosdem afficit , & astringit . Altera communis , nempe LX. quæ comprehendit omnes Claustrales . Clemens itaque XII. approbavit Constitutiones Hieronymianas , iis exceptis , quæ adversantur Decretis Clementis VIII. & Concilii Tridentini . Verum penes criticen eruditi Authoris *Vitæ Claustralis* hæ clausulæ : *Exceptis iis , quæ repugnant Decretis Tridentini : Dummodo non repugnent Decretis Concilii Tridentini de paupertatis voto custodiendo , & Decretis Clementis VIII.* quid significant ? Significant hoc , quod sequitur . *Declaramus peculium permissum in Constitutionibus Hieronymianis non repugnare Decretis nec Concilii Tridentini ,*

nec

nec Clementis VIII. Si sensu, & rubore tangitur, ob tam crassum errorem, quo interpretatus est has clausulas, quas vocant *exceptivas*, seu *conditionatas*, semetipsum, non alios culpet. Errarunt itaque Monachi Hieronymiani, & contra expressa Decreta Concilii Tridentini, & Clementis VIII. propriis Constitutionibus inseruerunt peculii concessionem, quam non approbavit, sed apertissime, sua exceptione, damnavit Clemens XII.

§ V.

Eminentissimus Cardinalis PETRA *ab impostura Magistri* Vitæ Claustralis *vindicatur*.

I. QUamvis recitatæ clausulæ Clementinæ Constitutioni insertæ perspicuæ non essent, & conceptis verbis repetitæ, reapse tamen omnium Canonistarum consensu subintelligendæ forent insertæ juxta ea, quæ dicta sunt supra §. III. ubi duplicem distinximus approbationem: in *forma communi*, & *in forma speciali*. Verum quia Eminentissimus PETRA Sacrorum Canonum callentissimus, & non minus purpura, quam sapientia, & morum integritate, rerumque gerendarum prudentia, & dexteritate præstantissimus, conscius eorum, quæ ab aliquibus laxioris Disciplinæ Claustralibus intrudi solent in propria statuta, ut *sub-& obreptitia* confirmatione Pontificia propria peculia approbentur, ter præfatas Clausulas inseruit Clementinæ Constitutioni, qua non leve volumen Constitutionum Ord. S. Hierony. 56. paginis magni folii constans, approbatum in forma communi est, ut validius cuique effugio aditum præcluderet. Et hoc satis superque ostendit, quam caute, quam prudentissime Doctissimus Purpuratus præfatam Clementinam Constitutionem formaverit.

II. Verum quia P. Magister *Vitæ Claustralis* imponit pag. 279. sapientissimo Cardinali, quod definierit, peculium privatum Monasticum Sacro Sancto Concilio Tridentino non adversari, operæ pretium existimavi, ut & veritati, & officio in tantum Principem litarem, paucis perstringere quæ fuso, & erudito calamo idem Cardinalis adversus peculium Monasticum scripsit *Tom. IV.* Comentariorum ad Constitutiones

Apostolicas. Itaque in Commentario ad Constitutionem V. Benedicti XII. *sect.* II. a pag. 90. ad 98. usque controversiam versat eruditione summa, & acumine singulari. Nonnulla delibabo, lectorem orans, ut ad fontem digitum intendat.

III. Pag. 91. n. 5. hoc assertum perjacet. „ Equidem tum *jure com-* „ *muni*, tum *jure novo* Sac. Concilii Tridentini, tum *Constitutionibus* „ *Apostolicis*, tum propriis cujusque Ordinis statutis interdictum est Re- „ gularibus utriusque sexus, solemnia Religionis vota emittentibus, *pro-* „ *prium, sive peculium in particulari habere; sublata Superioribus Regu-* „ *laribus omni facultate super eo dispensandi*.

IV. Pag. 92. n. 9. Refert fundamenta illorum, qui defendebant, spectato jure antiquo, posse Prælatos Regulares *indulgere ex legitima causa* peculium ad nutum revocabile. Rejicit ille hanc opinionem, & n. 15. celebrem producit Doctrinam Dionysii Carthusiani asserentis: *Magis nocet Religioso habere usum peculii sine proprietate civili, quam habere proprietatem sine usu. Proprietas namque &c.* Argumenta omnia adversæ opinionis efficaciter resolvit.

V. Pag. 93. Exposita utraque opinione secundum jus commune, & propugnata sententia negante, vel jure communi spectato, licere Claustralibus peculium, quid, jure Novo Tridentini Concilii spectato, dicendum sit, statuit. Refert Tridentini Concilii Decreta, & relata opinione Dianæ, Tamburini, Murgæ, aliorumque, resolvit n. 25. *Nihilominus gravissimi ac magis cordati Authores etiam ex Moralistis contrarium tenent, Concilium nempe, etiam novum jus statuendo, indistincte interdixisse Superioribus Regularibus posse concedere suis subditis QUODCUMQUE PECULIUM ETSI EX LEGITIMA CAUSA ac ad usus licitos, & honestos, ut præ cæteris docent Suarez, Cordub. Azor. Basil. Pont. Vasquez Castropalaus Lessius, & alii.*

VI. Num. 27. Decretis plurimis Sacræ Congregationis Cardinalium interpretum Concilii Tridentini in confirmationem sententiæ peculium damnantis, relatis, & indicatis sic concludit pag. 94. n. 28. *Ex his non videtur amplius dubitandum de mente Concilii; ita ut attendi non mereantur nonnulli Authores, apud DIANAM, & Tamburinum, qui forsan NON SINE MAGNÆ TEMERITATIS NOTA AUSI SUNT has resolutiones, cum non magis, quam ipsum Concilium obligent, non posse*

com-

Digitized by Google

comprehendere peculium a Superiore ex justa causa concessum, cum sub Concilio non comprehendi reputant juxta interpretationem ab ipsis Moralistis ei IMPACTAM. Etenim esto mens Concilii dubia esset; CUM TAMEN SIT SATIS CLARA; cuicumque persuasum iri credimus, tutiorem quoad hoc haberi non posse interpretationem ea, quam Sacra Congregatio ipsius Concilii interpres exhibet.

VII. Hæc pauca delibasse sufficiat ex plurimis, quibus Eminentissimus PETRA fuso calamo evincit, peculium Monasticum Tridentini Concilii, Clementis VIII. Decretis, & Apostolicis Constitutionibus improbari, dirisque devoveri. Omnes cavillos, distinctiunculasque Adversariorum propulsat; omnique adhibita moderatione, quid in casu veræ & urgentis necessitatis agendum sit tum Monialibus, tum Regularibus, prudenter resolvit.

VIII. Ex his omnibus colligat lector velim, quam mitissime me dixisse *incredibili hallucinatione* deceptum P. Magistrum *Vitæ Claustralis*, dum allegavit Eminentissimum PETRA in peculii Monastici patrocinium. Colligat, qua justa censura plectendus foret qui tam confidenter vel ipsis Purpuratis imponit. Colligat, quo spiritu agantur, qua fide procedant, qui vel luculentissima monumenta in pravum, erroneumque sensum detorquent. Præterea quæ ex Sixto V. obtrudit peracta a1 corripiendam relaxationem Canonicorum Regularium S. Georgii in Alga, quorum Congregatio ob Disciplinam nimium solutam, Innocentio IX. imperante, sublata fuit. Tu ne bellulus Criticus, qui ex aliqua Pontificis indulgentia ad extrema præcavenda scandala alicui determinato Cœnobio facta, legem eruis universalem? Curavit Sixtus gravissimis constitutis pœnis, ut ad meliorem revocaret frugem præfatos Canonicos, eosque exactæ communitati a Concilio Tridentino præscriptæ subjiceret. Et cum illi, ut præferebant, non haberent unde ex communi Cœnobii Patrimonio viverent, indulsit, ut aut propria industria, aut Consanguineorum subsidio singuli alerentur. Lex naturæ, nedum Sixtina Constitutio, id permittit. Quid præcipiant Constitutiones Pontificiæ a Tridentino Concilio ad hæc usque tempora universe Regularibus omnibus, præcisis strumis, & variis infra recitabo.

§. VI.

Refellitur Sophisma ab Authoritate falso petitum. BENEDICTI XIV. *Sanctissimi Pontificis Regnantis.*

I. PLuries in aliis meis scribendis libris non raro se se obtulerat occasio celebrandi eruditionem uberrimam, vastissimamque doctrinam Sapientissimi Regnantis Pontificis Benedicti XIV. quem ad plurimos annos Clementissimus Deus nobis servet incolumen; nunquam tamen illius memini tum ne incomparabilem ejusdem in supremo Throno refulgentem modestiam læderem, tum quod humilitatis meæ conscius sentiebam propriæ mentis oculos ex radiis Apostolici splendoris hebetari, ut cum Chrysostomo *hom.* 8. *de laud. Pauli* loquar. In præsens vero, cum mihi illius objicitur authoritas petita ex secundo quatuor *de Servorum Dei Beatificatione &c.* magni folii voluminum, quæ antequam ad supremam evectus esset dignitatem in lucem dederat, singulari mihi verto gloriæ confiteri & ex citato Opere æterna memoria digno, & ex pluribus aliis illius libris me magnopere profecisse. Et quod ingenti mihi letitiæ est, hanc ipsam, quam propugno causam, gravissima ejusdem authoritate confirmare volo, ab illo ipso petita textu, quem Adversarius opponit.

II. Objectus a Magistro Vitæ Claustralis textus habetur Operum Card. Lambertini lib. 3. cap. XLI. pag. 608. & 609. estque ejusmodi. *GRAVIOR profecto, inquit, est difficultas, quod aliquando adversus votum paupertatis proponitur, & a me proposita sæpe fuit in Causis Servorum Dei Regularium, ob non observatam vitam communem, & retentionem peculii ipsis a consanguineis assignati, aut suis laboribus quæsiti ADVERSUS DISPOSITIONEM SACRORUM CANONUM,* ET POTISSIMUM CONCILII TRIDENTINI sess. XXV. de Reg. & Mon. cap. 2. *Editum fuit Romæ anno* 1694. *opusculum, cui titulus :* Trattato della vita comune, *quod a celebrioribus Theologis fuit approbatum, in cujus cap.* 2. *circumstantiæ, & conditiones numerantur, in quibus usus peculii,*

culis, non obstante Concilio, potest esse Religiosis permissus. I. est, quod illud non habeant titulo Dominii, sed simplicis usus. II. quod accedat tacita vel expressa Superiorum licentia. III. quod sit moderatum, & non superfluum. IV. quod sit incorporatum cum caeteris bonis Monasterii. V. quod peculii Concessio sit revocabilis ad omne Superioris mandatum. VI. quod Regularis eo non utatur, nisi pro rebus licitis, & NECESSARIIS. VII. quod peculium non habeatur PENES SE, SED IN MANIBUS PUBLICI OFFICIALIS a Superioribus deputati. VIII. quod si Religiosus aliquid petat a dicto Officiali, rem exponat, quam sibi dicit esse necessariam. IX. QUOD HIC VIVENDI MODUS SINE SCANDALO NON POSSIT IMMUTARI. X. quod concessio tacita, aut expressa facta sit OB JUSTAM ET RATIONABILEM CAUSAM.

III. Pedem nunc conferamus. Doctissimus Cardinalis Lambertinus olim, nunc vero Ecclesiæ bono Summus Pontifex veritatem, tamquam extra disputationis aleam constitutam habet, quod Sacri Canones & *Potissimum Concilium Tridentinum absolute*, & circumstantiis præcisis, præcipiant exactam communitatem. Si enim, ut Adversarius contendit, omnibus Canonistis, & vel laxioribus Moralistis repugnantibus, nulla extaret lex adversus peculium; qua ratione dixisset Eminentissimus Lambertinus: *Gravior profecto est difficultas ob non observatam vitam communem, & retentionem peculii adversus dispositionem Sacrorum Canonum, & potissimum Concilii Tridentini sess. XXV.* Ergo necessario consequitur, Sacros Canones & Tridentinum absolute præcipere communitatem, & vetare peculium. Super hoc primo puncto nulla difficultas. Pergamus ultra.

IV. Quoniam vero nulla positiva lex est, quæ suas non habeat exceptiones, propositæ difficultati occurrit Doctissimus Cardinalis allegando librum inscriptum: *Trattato della vita comune*. De hoc libro alter Commilito Neapolitanus, qui *Disciplinam Apostolico-Monasticam* oppugnandam suscepit, in suis *Vindiciis Regularium in causa Monasticæ paupertatis* hæc scribit pag. 6. *Tanta est in eo* [TRATTATO della vita comune] *& nostri Fratris Opere* [Discipl. Apostol. Monastica] *conformitas, ut ovum ovo similius non erit adinvenire. Quum uterque liber ad manus sit omnium, comparet utrumque, & judicium formet.* Hoc Commilitonis judicium jam a tribus annis latum R. Magister *Claustralis* non improbavit, sed silentio confirmavit. Et merito, si doctrinæ substantia spectetur. Itaque Judicibus RR.

Ma-

Magistris, Doctrina *Disciplinæ Apostolico-Monasticæ* Vera est, & a duodecim Ordinum Regularium Theologis, qui erant aut Generales, aut Procuratores Generales eorumdem Ordinum Romæ approbata est, eo ipso quod approbata sit doctrina dicti *Tractatus Vitæ Communis*, & ab Eminentissimo Cardinali Ferrari confirmata, & a Summo Pontifice Innocentio XII. in patrocinium suscepta.

V. Ut itaque Eminentissimus Lambertini, nunc Supremus Ecclesiæ Hierarcha occurreret propositæ difficultati, animadvertit ex eodem libro peculium licitum esse decem conditionibus circumscriptum. Quarum tres solæ, nempe VIII. *quod peculium non habeatur penes se, sed in manibus publici officialis*. IX. *quod hic vivendi modus sine scandalo non possit immutari*. X. *quod concessio sit ob justam & rationabilem causam*. Solæ inquam hæ tres Conditiones evidentissime demonstrant, gravissimam legem esse peculium vetantem, & communitatem præcipientem, quam Adversarii ore rotundo contra omnes Theologos & Canonistas non sine scandalo, absit invidia verbo verissimo, negant. Similia alterius generis remedia præscribuntur iis, qui in occasione proxima involuntaria versantur. Porro Viri sancti in laxioris Disciplinæ Cœnobiis degentibus, nullum non moverunt lapidem, ut peculii corruptelam exterminarent, ut *in Dissert. Prima* indicatum est. Verum quia id assequi haud possunt, & cum aliunde ex communi necessarium indumentum non porrigitur, tantum sibi peculii retinent, quantum jus ipsum naturæ comparandi victum & vestitum necessarium præscribit. Quis Theologorum unquam tale damnavit peculium? Non ne conceptis verbis hoc peculii genus permittit Author Disciplinæ Apostolico Monasticæ? Adversarii ipsi id adfirmant, sed lugent, quod [ut verbis eorum utar] *dolabra* angustarum conditionum *nimium levigaverit*. Vellent ipsi crumenam, non in manibus *officialis*, sed proprio lateri hærentem, ut indulgere *Religiosis solatiis*, honestisque diverticulis possent. Quid ad IX. conditionem: *Quod hic vivendi modus, sine scandalo non possit immutari?* Quodnam est hoc scandalum? Repugnantia aut subditorum, aut Prælatorum ad hunc pecuniosum vivendi modum auferendum obfirmata. Qui porro non solum voce, & opere, sed libris typis editis exactæ communitati repugnant, sunt ne istius scandali fontes? Vos ipsi nunc Judices estote. Id nos infra probabimus.

VI. Subdit Author vitæ Claustralis: Sanctissimus Pontifex hæc verba

addit . .

addit. *Paucioribus verbis res absolvi potest, asserendo, licitum esse posse usum peculii, si ab Ordinis Constitutionibus a SUMMO PONTIFICE approbatis permissum sit: si Regulares eo utantur in causis licitis, aut necessariis a Superiore approbatis, & ejus usum habeant cum PROMPTITUDINE illud resignandi in manibus Superioris statim ac ei fuerit praeceptum.* Sapientissime dictum. Omnes idem adfirmamus. Et ut ab ultimis verbis exordiar. Quam vera, & sincera sit hæc animi PROMPTITUDO, libri, & experientia plurium sæculorum palam faciunt. Si vera esset hæc jactata animi *promptitudo*, & Prælati non auferrent hunc vivendi modum, omnium Theologorum consensu in extremo versarentur damnationis periculo. Quia, posita hac vera promptitudine, sine scandalo auferri posset peculiorum vivendi modus, ut recitata *IX. conditio* declarat.

VII. Potissima conditio in examen veniat. *Licitum esse POSSE usum peculii, si ab Ordinis Constitutionibus a Summo Pontifice approbatis permissum sit.* P. Magister *Claustralis vitæ*, postquam hæc omnia retulit post triumphalem partæ victoriæ cantum, hæc scribit pag. 232. *Lubens audirem quid ad hæc repositurus sit Concellita meus.* Concellita lubens responsum præbet, asseritque, tum ex hujusmodi verbis nihil extundi posse, quod causæ, quam Claustralis Magister propugnat, ullatenus suffragetur; tum ipsum potius ex iis colligere debuisse, sibi, omnibusque Prædicatorum Ordinis Religiosis maxime vetitum esse privati peculii usum, præceptamque exactam rerum communitatem. Atque ut ab hoc incipiam, prætermissis nunc aliorum Summorum Pontificum Constitutionibus, eam solummodo affero, quam edidit Alexander VII. anno 1655. & habetur in Tomo 6. pag. 178. Bullarii Ordinis Prædicatorum editi, eruditisque notis, & dissertationibus illustrati a Viro clarissimo P. Magistro Antonino Bremond. Constitutionis initium est: *Ad propagandam in Ordine Prædicatorum Regularem observantiam &c.* Hæc autem inter alia habentur. *Elapso anno post susceptum habitum ad Professionem* [Novitius] *admittatur SUB EXACTA TAMEN VITA COMMUNI ad præscriptum REGULÆ, cum solita protestatione, quod PROFESSIO SUA EUMDEM OBLIGABIT AD TRIA VOTA SECUNDUM REGULAM AUGUSTINI, ET CONSTITUTIONES ORDINIS, & non secundum quod hic, aut ibi servatur: nec non servata forma SACRORUM CANONUM CONCILII TRIDENTINI, Constitutio-*

tionum Apostolicarum , *ET PRÆSERTIM DECRETORUM S. M. CLEMENTIS VIII.*

VIII. Cedo, quid produnt relata verba : *SUB EXACTA VITA COMMUNI?* Forsitan dicturus de more erit, rerum communitatem cum peculio? At tunc quomodo *EXACTA* foret ? Sed urgent quæ sequuntur : *Secundum Regulam B. Augustini & constitutiones Ordinis*, quæ exactissimam præscribunt communitatem : *ad Communitatem autem rerum* [ita in Prol. ter. 1. D.] *ex ipsius Regulæ PRÆCEPTO adstringimur*. Urgentius pungunt ultima Apostolicæ Constitutionis verba: *Nec non servata forma Sacrorum Canonum Concilii Tridentini, & Decretorum Clementis VIII.* Clemens VIII. ut infra videbitur, severissime interdicit privata peculia, deposita &c. Et effugia omnia undequaque præcludit. Demum quid significant illa verba : *cum solita protestatione &c.?* Audiat quod scribit P. Ferdinandus de Castilio celeberrimus rerum Ordinis Historicus par. 2. lib. 1. Cap. 23. lingua hispanica latine reddita fide summa : „ Et revera ad eam [relaxationem] exterminandam opus sæpius esset manibus stringere arma. Verum si his etiam „ Regum, Principumque potestas, ac Summorum Pontificum auxilium non accedat, vix hæc omnia satis sunt ad illam superandam. „ Bellum quippe ex utraque parte plurimo sanguine redundaret. Quoniam illi, qui vocantur *Relaxati*, pro fossa valloque habent propriam „ vitam solutam, perditamque, illud dumtaxat obtrudentes, talem vivendi modum illum ipsum esse, quem professi sunt, quemque reperunt, dum Cænobia sunt ingressi. Quapropter *necessum fuit*, *ut* „ *Ordo hanc legem conderet. Præcipimus omnibus Prælatis, sub pœna gravioris culpæ, privationisque officiorum, ut antequam Novitius professionem emittat, eidem expresse denuncietur, Professionem se editurum fore* „ *secundum Regulam B. Augustini, & Constitutiones Fratrum Prædicatorum, & quod sub hac rigida exactaque vivendi forma se obligare debeat, & non prout dicta Regula, Constitutionesque in hoc aut illo* „ *Conventu servantur*. Hæc omnia præcipiunt leges, ut ruinam consuetudinis, quæ corruptela est, præcluderent. Ex quibus omnibus liquet apertissime, privati peculii usum permissum non esse, immo summopere vetitum ab Ordinis Constitutionibus a Summo Pontifice approbatis, quas P. Magister Vitæ Claustralis professus est : adeoque nihil

ipsum

Digitized by Google

ipsum colligere posse, quod sibi faveat ex verbis laudatis Cardinalis Lambertini.

IX. Cæterum neque ex iisdem verbis colligi quidpiam potest, quod causæ, quam ille defendit, generatim inspectæ suffragetur. Quod ut luculentius evincam, ab eo inquiro, quod nam sit disputationis nostræ punctum præcipuum, ac fere unicum? Istud profecto. Sint ne Claustrales vi *præcepti* exactæ communitati astricti, debeantq. nullum non movere lapidem, ut hæc perfecta communitas, ubi collapsa sit, instauretur. In discrimen ne sapientissimus Lambertinus istud capitale principium revocat? Habet ne vel unicum verbum indicans, aut communitatem vi præcepti non esse Claustralibus impositam, aut Superiores non astringi ad eamdem collapsam reformandam, aut subditos paratos non esse debere ad peculia deponenda, jubente Prælato? Immo gravissimam perfectæ communitatis legem a Tridentino roboratam conceptis verbis in mentem reducit. *Gravior profecto est* [inquit] *difficultas, quæ aliquando adversus votum paupertatis proponitur, & a me proposita sæpe fuit in causis servorum Dei Regularium, ob non observatam vitam communem, & retentionem peculii . . . . adversus dispositionem sacrorum Canonum, & potissimum Concilii Tridentini Sess.* 25. Certum ergo ille habet, Sacros Canones, & potissimum Tridentinum Claustralibus vitam præcipere communem: alioquin non *gravior*, sed nulla foret difficultas. Ut vero hanc difficultatem solvat, quid reponit? Licitum ne absolute peculium asserit? Nequaquam. Quid ergo? Respondet: *Licitum ESSE POSSE usum peculii &c.* Ecquis unquam inficias ivit, licitum *ESSE POSSE* usum peculii? Non ne a capite ad calcem istius Operis dictum est, naturæ jure Regulares posse uti peculio ad victum, & vestitum comparandum, si id de communi non porrigatur? Plurium Ordinum Constitutiones, collapsa exactæ communitatis observantia, cum non potuerit illico communitas redintegrari, conditiones habendi peculii severissimas præscripserunt servandas, usque dum peculium ad præscriptum Tridentini, Clementis VIII. & Innocentii XII. abigatur. Hi quippe Pontifices, Concilio Tridentino inhærentes, aliisq. Rom. Pontificibus, omnes Constitutiones, si quæ forent, quæ peculium absolute permitterent, penitus abrogant, delent, præcipiuntque *Superioribus asserentibus posse vi suarum legum peculium concedere, nullam adhibendam esse fidem a subditis*: mandant perfectam mu-

communitatem, vetantq. peculium *non obstantibus Constitutionibus &c.* Ut itaq. ostenderet Lambertinus non officere servorum Dei sanctitati inobservantiam communitatis, respondet, peculium licitum *ESSE POSSE*, maxime si ab Ordinis Constitutionibus a Pontificibus approbatis permissum sit. Tota ergo Lambertini doctrina hipothetica est, idq. asserit, quod a nemine vel in controversiam adducitur. Etenim quis negavit unquam licitum *ESSE POSSE*, aut in quadragesima usum carnium, aut in diebus festis corporis laborem, aut a qualibet positiva lege dispensationem, justa nrgente causa? Licet ne heinc inferre nullam esse, aut Quadragesimæ, aut dierum festorum legem? Hæc est mira Magistri Claustralis Dialectica. Licitus *ESSE POTEST* usus peculii, justa causa instante, ergo nulla lex exactæ communitatis, peculii prohibitio nulla? Ne multa. Licitum peculii usum *ESSE POSSE* asserit Lambertinus, quemadmodum concedimus omnes, justam ob causam, & conditionibus servatis. Quid inde? propterea ne a peccato liberi Superiores sunt, qui pro viribus hanc peculii pestem e Claustris non evellunt? Liberi ne a peccato subditi, vel si parati non sint ad peculium abigendum, vel si opem, quoad possunt, non conferant, ut communitas a sacris Canonibus, & potissimum a Tridentino præscripta instauretur? Planum itaque est Doctissimi Lambertini authoritatem non juvare, sed destruere prorsus P. Magistri Claustralis causam.

X. Prolixius fortasse, quam oportebat, disputatum est: sed interpretamenta falsissima a R. Magistro *Vitæ Claustralis* impacta Summis Pontificibus Clementi XII. Eminentissimo Lambertino, nunc, universo Catholico plaudente Orbe, BENEDICTO XIV. atque Eminentissimo Petra ad id coegerunt. Ex solis commentis, quibus Magister *Claustralis* obnubilare ausus est tantorum splendidissima monumenta Virorum, colligere Lector potest cætera Authoris istius paradoxa.

CA-

Digitized by Google

CAPUT X.

Concilia Provincialia exactam bonorum communionem, ab Oecumenico Tridentino Concilio præscriptam, novis Decretis confirmant, vetitumque peculium iterum prohibent. Magistri Vitæ Claustralis *lepida interpretamenta in hæc Concilia.*

I. ERuditus *Vitæ Claustralis* Author 2. *p. Diss.* 3. *cap.* 3. Plura Concilia Provincialia refert, quæ conceptis verbis exactam rerum communionem præcipiunt, vetantque peculium. Interpretationes, quibus ab iisdem se se expedit, & contrariæ sunt, & incredibiles. Duo sub initium citati capitis 3. *pag.* 279. hostiliter pugnantia scribit. Unum est, quod sequitur. *Privatum Claustralium peculium, perinde ac non satis Tridentini Decretis profligatum fuisset, insequitur adhuc Daniel Canonibus posteriorum Conciliorum, quæ unusquisque Metropolita suis in Provinciis pro Tridentini promulgatione, aut exsecutione celebravit.* Hæc est prima illius *cap.* 3. periodus, quam nulla interposita voce, hæc alia consequitur. *Sed quum vallum, & fossa Oecumenica Synodus nobis sit, quantumvis pro Adversario Concilia OMNIA PROVINCIALIA vel nationalia militarent, his armis pugnantem non timemus.* Subdit tamen continuo, hæc Provincialia si recte expendantur, non plus præcipere, quam Tridentinum. *Si qua par est* [inquit pag. 280.] *animi attentione harum Synodorum Decreta expendantur, Tridentini Decretis conformia, nec plus, minusve, quam Tridentinum præcipere, continuo dignoscentur.* Verum hoc habet. Siquidem ejusmodi Concilia statim post Tridentinum celebrata ejusdem Tridentini Decreta propriis Provinciis exponunt, atque observanda inculcant. Porro Concilia ista apertissime declarant, Tridentinum & præcipere bonorum communionem, & prohibere peculium: idque adeo perspicue, ut nemo hactenus, sive Theologorum, sive Canonistarum, quampiam contrariam explicationem vel apparentem excogitare potuerit. Vidimus supra ipsum Authorem *Claustralem* nec verbum quidem Tridentini Concilii ausum esse cavillari. Unicum illius effugium fuit, Capitula Generalia Fratrum Mendicantium etiam post

Tridentinum peculia concessisse: perinde ac Capitula Fratrum essent supra Concilium Oecumenicum. Quod vero in præsens subdit, mirificum est. Ait, Concilium Tridentinum, non modo peculium non prohibere, sed tanta perspicuitate peculium præcipere, aut concedere, ut hæc Synodus sibi sit *vallum & fossa*. Relinquamus ergo hominem in hac profunda *fossa* quiescere, & intra *vallum* adeo altum pecuniis incubare, & Conciliorum Decreta in medium promamus.

II. Primum Concilium Provinciale, quod in defensionem peculii profert pag. 281. est Cameracense celebratum anno MDLXV. istud autem Tit. XVIII. cap. IX. hæc habet. *Cum Sacrosancta Synodus Tridentina, & Oecumenica præceperit ea, quæ ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda pertinent, fideliter observari: mandat hæc Synodus Monachis, & Monialibus, Religiosisque, ut diligentissime paupertatis votum tanquam ineffallibilis cujusdam, & dulcissimæ quietis caussam custodiant, neque proprietatis vitio violent. Caveant igitur ne quid pecuniæ, aut alterius rei sibi ita retineant, vel retinere desiderent, ut communitati nolint esse commune: Neve ad peculiares usus eo utantur, sine Superioris consensu.* Hoc Concilium testatur, Tridentinam Synodum præcipere communitatem victus, & vestitus, eamque confirmat. Quis crederet, Magistrum Claustralem potuisse Decretum istius Concilii pro peculio allegare? Cavillatur illam ultimam periodum: *Neve ad peculiares usus eo utantur sine Superioris consensu*. Clamat, quod Author Disciplinæ hæc verba omiserit. Claustralis noster hic nec latinum sermonem tenere videtur. Duo Concilium præcipit. Unum, quod omnia sint communia. Alterum, quod de his bonis communibus nihil Regulares utantur absque Superioris assensu. Hæc comperta sunt vel ipsis Monasticæ Disciplinæ tyronibus. Quæ si percepisset, minime improperasset, verba illa ultima omissa fuisse, ac si peculio faverent. Clarius quippe explicant communitatis perfectæ executionem.

III. Alterum Concilium Provinciale eodem anno MDLXV. a S. Carolo Borromæo celebratum Mediolani, hoc contra peculium edidit Decretum 3. *p. cap.* 8. *In omnibus quo ad cibum, potum, somnum, cæterasque res attinet, omnes communiter vivant, ut a SACRO TRIDENTINO CONCILIO DECRETUM EST, neque quidquam inter eas differat, aut alia alii præferatur, aut posthabeatur, quemadmodum votum pau-*

per-

Digitized by Google

pertatis postulat, ut tuum, & meum, *atque omnis privata rerum possessio*, & *re*, & *verbo omnino tollatur*, *omnis etiam supervacaneus*, & *inanis rerum usus*.

Neque ulla sit, quæ quidquam possideat, aut adhibeat tanquam proprium, etiamsi ad necessitatem sit concessum.

Omnis itaque Monasterii proventus, cujuscumque generis sint, eleemosynæ etiam, & quæstus ex laboribus, livelli præterea, legata, & bona mobilia, & immobilia, quæ testamento relicta, & quæ donationis vel alia quavis causa obtinuerint, a singulis Monialibus ad communem Monasterii utilitatem conferantur. Præfecta vero pro sua prudentia, & humilitate ex illis ipsis ejus necessitati potissimum consulat, ad quam pertinerent, nisi obstaret paupertatis votum.

IV. Quid ad hæc P. Magister *Claustralis?* Celeri passu confugit ad suam *FOSSAM & VALLUM* inquiens pag. 282. *Si nec plus, nec minus, quam Tridentinum, postulat observari Mediolanense Concilium, non interdicto peculii usu ab illo, ut probatum est, neque ab hoc interdictum fuisse dicendum est*. Duo præstat Concilium Mediolanense. Primum testatur Tridentinum Concilium præcipere communitatem. Alterum hanc eamdem communitatem explicat, servandamque inculcat, pulso peculio. Tempus inutiliter tererem, si vana alia commenta, quæ adjicit Adversarius noster, confutarem.

V. Concilium Mediolanense IV. clarius peculium vetat 3. p. cap. XI. his verbis. *Monialis nummos, ne modicos quidem, apud se quovis nomine ne habeat, neque de Præfectæ etiam consensu, nisi officii, quod gerit, ratio postulet. Alioquin, ut proprietatis rea puniatur. Quam pœnam & Præfecta, quæ id ullo modo, ullove prætextu permiserit, & Monialis item subeat, quæ resciverit, nec Præfectæ bidui spatio: aut si hæc in culpa sit, Superiori quam primum potuerit, non denunciarit*. Quid evidentius adversus peculium desiderari potest? Ut hoc Concilium eludat acutus Adversarius, opponit consueta sua capitula, & statuta quorumdam Ordinum Mendicantium, apud quos peculii usus obtinet. Sed hoc interpretamentum, ut inane rejicimus, illudque fusius infra confutabimus, si tamen confutatione egeat, quod, nullo pugnante, corruit.

VI. Concilium Mechliniense MDLXX. ut ea, inquit Adversarius pag. 284. quæ de Monasteriorum reformatione in Concilio Tridentino constituta

tuta sunt, exsecutioni fideliter demandentur, ita præcipit *Tit. de Regul. & Monial. cap.* 1. *In primis, UT SUBSTANTIALIA VOTA in omnibus Cœnobiis tam virorum, quam mulierum VERACITER observentur, plurimum conferet, si ea auferantur, quæ proprietati totius Religionis perniciosæ pesti occasionem, & fomenta subministrant. PRÆCIPIT ergo hæc Sancta Synodus, ut victus, vestitus, cæteraque vitæ subsidia singulis ex COMMUNI pro necessitate indigentiæ, & Monasterii facultatibus subministrentur, non in PECUNIIS, sed in SPECIE rerum. Pensiones autem Vitales, aut redditus perpetuos nulli permittantur recipere, neque liceat eis ratione officiorum, vel Ministeriorum pecuniam corradere, aut conservare, etiam si in pios usus convertere velint, sed OMNIA IN COMMUNEM USUM convertantur.* Author Claustralis improperat, textum hunc integrum transcriptum non fuisse in Disciplina Monastica. Ita, per me licet, res se habeat. Integer nunc transcriptus est. Ubinam peculii vola? Immo quid expressius concipi contra peculium potest? Si quid omissum fuisset, quod peculio faveret, objicere Adversarius posset, mancum allatum esse textum. Verum quod ea omissa sint, quæ propriam juvabant caussam, non aliunde id oritur, nisi ex studio vitandæ prolixitatis. Etiam hoc in Opere plurima commenta prætereo, ne plura edere volumina cogar. Ideo ne mutilationis reus postulabor, si quæ refero, sincera sint? At Concilium, subdit homo acutus, prohibet peculium tanquam fomentum & occasionem proprietatis, non, ut quid voto repugnans, ut contendit Daniel. Daniel testatus est conceptis verbis, se disputandi gratia propugnare communionem bonorum ingredi voti naturam, si votum spectetur, non *ut sic*, sed ut Regulis Monachalibus & legibus Ecclesiæ circumscriptum est. Et hanc sententiam ipse veram existimat. Sed tunc addidit, & nunc repetit quæ sequuntur. Fac sententiam istam falsam, falsissimam esse. Mihi satis est, Communitatem gravi Ecclesiæ præcepto imponi, ceu medium, sine quo difficile observari votum potest, ut communiter Theologi docent, vetarique peculium tanquam proprietatis fomentum. Hoc modo Concilium Mechliniense bonorum communionem præcipit, proibetque peculium. Quid ergo cavillatur?

VII. Verum audiat Lector belliorem, immo bellissimam Adversarii nostri responsionem, quæ digna est, ut propriis ipsius verbis referibatur. *Quod vero* (inquit ibidem pag. 285.) *de annuis perpetuisque pensionibus*

heic

heic dicitur, in Tridentini sensum accipi debet, quo cautum est, ne bona immobilia alicui Regulari concedantur ad usum fructum, vel usum, administrationem, vel commendam: *quae omnia a peculio annuoque censu, quae modo claustralibus permittuntur, integro modio diversa sunt*. Ita ne vero? Igitur furta, adulteria, & caetera flagitia, a Divina lege vetita, *integro modio* diversa sunt ab adulteriis, furtisque, quae modo perpetrantur? Idcirco prohibita reputari non debent? Absurda absurdis convellenda sunt: & ne absurdis paginas impleam, plurima alia praetereo responsa, quae *integro modio* diversa minime sunt. Illud dumtaxat in mentem revoco, quod alibi adnotavi, Concilium nempe Tridentinum, ut omnibus futuris commentis occurreret, atque effugium omne praecluderet, usum non esse vocabulis sive *proprii*, sive *peculii*. Ut enim nullum cavillandi praetextum relinqueret, interdixit usum peculiarem omnium *bonorum* sive *mobilium*, sive *immobilium*, sed omnia de communi praeberi jubet. Bona sive mobilia, sive immobilia currentis saeculi differunt ne *integro modio* a bonis mobilibus, & immobilibus praecedentium saeculorum?

VIII. Concilium Provinciale Rothomagense anno MDLXXXI. celebratum *Titul. de Monasteriis n. X.* haec praescribit. *Religiosi ad Regulae, quam professi sunt, praescriptum vitam instituere, & componere debent: atque in primis observare obedientiae, paupertatis, & castitatis vota, & praecepta ad votorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda pertinentia, ab hisque nunquam recedendum. Neque enim possunt a Superioribus ea, quae ab SUBSTANTIAM Regularis vitae pertinent, relaxari. Nam si illa, quae basis sunt, & fundamentum totius Regularis Disciplinae exacte non fuerint servata, totum corruat aedificium necesse est.* Et n. II. *Constituto in Regulari vita, cujuscumque qualitatis fuerit, non licet bona mobilia, vel immobilia, etiam quovis modo acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim tradere Superiori, Conventuique incorporari. Nec licere Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usum fructum, vel usum, administrationem, vel commendam. Attamen potest Superior alicui tamquam officiario ad tempus, aut ad vitam rem committere, cujus conditionem faciat meliorem, & acquirat, non sibi, sed Monasterio. In his exequendis, & reformandis, prudentia, & mansuetudine opus est, ne frangamus potius, quam corrigamus quae in pravum longa consuetudine indurave-*

runt.

runt. Concilium istud integra fere Decreta Concilii Tridentini refert, quibus declaratur, vitam communem ad *substantiam*, *basim*, & *fundamentum* Regularis Disciplinæ pertinere: & Superiores destitutos esse facultate permittendi peculium, & relaxandi communem vitam.

IX. Responsum Authoris Claustralis non est cæteris, quæ indicavimus, minus lepidum. In lectoris solamen illud transcribo. *Nec in alio* (inquit pag. 285.) *dissentire videtur, nisi in eo, quod mitius se habeat, ac benignius, definiens Monasterii bona non ab officialibus ad nutum Superioris amovibilibus administrari, quemadmodum Tridentinum præceperat, sed etiam alicui Religioso ad vitam*. Si hoc Concilium mitius, & benignius, quam Tridentinum se habet, relinquenda erit illa *fossa* Tridentina, & ad Rothomagense propugnaculum immigrandum. Licet Concilium Rothomagense afferat, Superiorem instituere officialem aut ad tempus, aut ad vitam posse, non propterea sequitur, officialem ejusmodi non esse ad nutum amovibilem. Numquid dum instituitur ad triennium, non potest ad nutum amoveri? Sed hæc condonanda sunt erudito Adversario, minus in re canonica versato. Interim, hac appendice relicta, fateatur, Concilium istud evidenter præcipere exactam rerum communionem, vetareque peculium.

X. Concilium Rhemense anno MDLXXXIII. celebratum *tit. XIX. n.* 10. hæc præscribit. *Religiosi, quantum fieri poterit, ad eam antiquæ Ecclesiæ speciosam formam redeant, quando nullus sibi quicquam proprium dicebat: nec aliquid possideant proprio, vel Conventus nomine de bonis Monasterii, quibus qui præficiuntur officiarii, & Fratres Monasterii vel accipiunt, vel expendunt, elapso anno reddant rationem. Alii quorum officiis res aliqua est annexa, seu, ut loquuntur, affecta, ea non utantur tanquam propria, sed norint ita sibi committi seu ad tempus, seu ad vitam, ut ejus conditionem in melius augeant, nec dissipent*. Num. 13. *Mensam communem, ciborumque delectum Regularem, similes tonsuras, ac vestes domi, rurique deferendas, commune dormitorium, servorum delectum, convenientemque statui supellectilem, idest habitu profano, armisque vacuam, ita Superiores Monasteriorum pro virili procurent, ut etiam in privatis domibus, quæ officiis sunt annexæ, nihil sinant contra Regulam servari: locorum tamen, & temporum circumstantias ea moderabuntur prudentia, ut conscientiam propriam non gravantes, nihil non ad pietatem, & vitæ Sanctimoniam referendum*

Digitized by Google

dum esse putent. Hæc vita communis, respondet *Claustralis* noster, optime stare potest cum peculio. Cur? Quia inquit pag. 286. *Claustrales peculium habentes, mensam communem, ciborum delectum Regularem, similes tonsuras, ac vestes domi, rurique deferendas, commune dormitorium, servorum delectum, convenientemque statui supellectilem cura, & vigilantia Prælatorum habent*. Robustissima ratio. Claustrales peculium una cum rerum communitate consociant. Ergo Concilium Rhemense non aliam exigit communitatem? At Claustrales isti servant ne *antiquæ Ecclesiæ speciosam formam, quando nullus sibi quicquam proprium esse dicebat*, ut Concilium exigit? Verum habet, quod Claustrales peculium retinent, & simul quamdam communitatis ludicram speciem præferunt. At quid inde? *Omnia* communia sint oportet. Cæterum non video, qua ratione adfirmare Magister Claustralis valeat, Regulares habentes peculium, communem habere mensam, commune dormitorium. Si nomine mensæ Cœnaculum, tabulas, & nomine Dormitorii cœlum tectumque Monasterii intelligit, communitatem utique servant. In reliquis, singularia, & selectiora fercula, domunculas extra Dormitorium plus minusve, prout magis, aut minus Fratres peculiis abundant, offendet.

XI. Concilium Burdigalense coactum anno MDLXXXIII. tit. XXV. eamdem prorsus ac Tridentinum præcipit exactam communitatem his verbis. *Nulli vitam Monasticam, & Regularem professo tam virorum, quam mulierum liceat bona mobilia, vel immobilia, sive suo labore, & industria parta, sive parentum, & amicorum liberalitate donata, sive qualibet alia occasione quæsita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, sed quæcumque apud se habet statim teneatur ea Superiori tradere, ut in commune conferantur, & Conventui addicentur. Caveant Superiores bona stabilia cuiquam Regulari concedere etiam ad usum fructum, vel usum, vel administrationem, vel commendam. Omnibus Religiosis una sit domus, unum Cœnaculum, unum Dormitorium, in quo tamen unusquisque suum habeat cubile*. Ex hoc Decreto infert Adversarius pag. 286. nec plus, nec minus Concilium Burdigalense præcipere super paupertatis Monasticæ voto, quam Concilium Tridentinum. Idque verum habet. Concilium Tridentinum peculium prohibet, ut cuique callenti latinam linguam patet. Idque aliquando percipiet etiam Adversarius noster.

XII. Concilium Aquense celebratum anno MDLXXXV. *titul. de Monach.*

Digitized by Google

nach. ita definit. *Religiosi ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituere, & componere debent: atque in primis observare obedientiæ, paupertatis, & castitatis vota: ac si quæ alicujus Ordinis & Regulæ peculiaria vota & præcepta ad votorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda pertinentia, ab iis nunquam recedendum. Neque enim possunt a Superioribus ea, quæ ad substantiam Regularis Vitæ pertinent relaxari. Nam si illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius Regularis Disciplinæ, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est.*

Constituto in Regulari Vita, cujusque qualitatis fuerit, non licet bona mobilia, vel immobilia etiam quovis modo acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed etiam ea tradere debet Superiori, Conventuique incorporare.

Nec liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem vel commendam.

Attamen potest Superior alicui tanquam officiario ad tempus rem committere, cujus conditionem faciat meliorem, & acquirat non sibi, sed Monasterio. In his exsequendis, & reformandis prudentia, & mansuetudine opus est, ne frangamus potius, quam corrigamus quæ in pravum longa consuetudine indurarunt. Non aliud interpretamentum huic Concilio adhibet Author Claustralis, quam quod nihil in hoc Concilio præcipiatur, quod præceptum prius non fuerit in Concilio Rothomagensi.

XIII. Concilium Provinciale celebratum in Urbe Mexico in America anno MDLXXXIX. *lib.* 3. *tit. XIII.* §. *I.* hæc sancit. *Vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, adeo in Republica Christiana semper magni æstimata sunt, ut a tempore Apostolorum ad nostra usque tempora Ecclesia commendaverit, prædicaverit, & perpetua traditione statuerit ea, quæ ad votorum ejusmodi plenam observantiam visa sunt ei necessaria & opportuna...* §. *II. In primis curent Episcopi, ut in Monasteriis sibi subjectis id omne observetur, quod de Monialibus sancitum Concilium Tridentinum decrevit, præsertim quod de paupertate, & clausura.... Quoad paupertatem præcipitur, ut si quicquam alicui Monialium fuerit dono datum, aut testamento relictum, aut industria, & labore quæsitum, Conventui incorporetur: ideoque ad manus Præfectæ recta deferatur, quæ pro sua prudentia, & humanitate, & in primis ex hujusmodi bonis subveniat arbitrio suo necessitatibus*

Digitized by Google

bus illius Monialis, cujus opera, vel contemplatione fuerint parta: quod vero reliquum fuerit, in communem usum totius Monasterii convertat. Neque huic Concilio aliud commentum Author Claustralis adjicit, nisi quod Indis Monialibus idem jubetur, ac D. Carolus Borromæus præcipit Monialibus Mediolanensibus.

XIV. Concilium Cameracense II. anno MDLXXXVI. congregatum tit. XX. de Regul. & Monial. num. VIII. hæc habet, *Quia vero Monastica Vitæ perfectio, ex trium votorum, quæ omnes Religiosi faciunt; observatione dependet, Prælati ea omnia, quæ ad ipsorum votorum observationem faciunt, curent ab omnibus observari. IX. Omnes autem consuetudines dictis votis contrarias, quales sunt in plerisque Monasteriis multæ contra votum paupertatis, plane abrogat, & in posterum prohibet hæc Synodus: ideoque Prælatis omnibus utriusque sexus præcipit, ut communem victum, & vestitum omnibus Religiosis æqualiter, prout cuique opus erit, distribuant. Nec pro vestiario, aut pro vini portione singulis Religiosis dari consueta, ulla ratione pecuniam assignent.* Heic nec verbum opponit Adversarius.

XV. Concilium Aquilejense anno MDLXCVI. *Tit. XIX. de Monialibus* hæc præscribit. *Tria sunt, quibus præcipue Monasticæ Disciplinæ status conservatur, & augetur: sufficiens communis victus, devota Regulæ observantia, pia Sacramentorum frequentia, ad quæ, si accedat Pastoris vigilantia, Deo favente, sperandum est profici, vel plurimum posse.*

Communis debet iis esse victus, quarum communis est domus, & vestitus, & Regula; neque enim illa, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari, aut mutari possunt: Idcirco sicubi fieri solitum est, partitiones de redditibus Monasterii, tam tritici, quam vini, (quæ fiebant inter Moniales, ut quæque portionem haberet, & inde sibi victum sufficeret) damnamus & abolemus, & sub interminatione Divini judicii, & pœna excommunicationis in singulas consentientes, in universitatem vero interdicti ingressus Ecclesiæ inhibemus, ne in posterum fiant; aut fieri per ipsarum Monialium Præfectas, Abbatissas, seu Priorissas permittantur: Ipsis vero Abbatissis, seu Priorissis, sub pœna privationis ab officio præcipimus, ut quod contra præsentis Constitutionis tenorem viderint, vel cognoverint attentari, aut fieri, Episcopo statim significent, quo abusus veteres tandem aliquando tollantur... Decernimus igitur, in Monasteriis Monialium, ubi jam certus hac de re ordo, & cum ratione consentiens statutus non est, Moniali aliqua, cujus-

eumque Religionis & Ordinis sit, decedente, post harum Constitutionum promulgationem, & Sanctæ Sedis Confirmationem, statim Abbatissam, seu Priorissam cum sua Vicaria, vel ea impedita, cum aliqua Moniali ex maturioribus ætate, & prudentia, debere thalamum & omnia, quæ in eo sunt, cujuscumque generis, & qualitatis, nomine Monasterii, facto diligenti inventario, in tenutam & possessionem accipere, eaque referre omnia in commune Monasterii vestiarium, illata pecunia in commune Monasterii scrinium. Thalami etiam claves apud se retinere, pro munere Officii sui, ac de his omnibus quam primum per litteras Episcopum monere, si quid hoc de genere præcipere voluerit, non obstante Monialis ipsius, dum viveret, electione Discipulæ, & ejusdem destinatione, etiam cum Abbatissæ, seu Priorissæ, aut Capituli Monialium licentia ad futuram thalami, & rerum successionem: quæ omnia tamquam juri, rationi, & ipsis Regulæ substantialibus contraria, nulla declaramus, & quatenus opus sit, annullamus, cassamus, declarantes, neque Abbatissam, neque Priorissam, neque Moniales cujuscumque pactionis, conventionis, & concordii vigore ad ejusmodi executionem obligatas fuisse, aut obligari potuisse, cum ex altera parte subsit certissima obligatio non conveniendi, seu conventa non observandi.

Abbatissas, seu Priorissas, & earum Vicarias tamquam Monasterii Præfectas serio monemus, ut inter suas Moniales crebro agant hac de re, ut omnes discant nihil possidere se proprie, usum habere in vita, in morte nullum dispositionis actum habere, aut habere posse, etiam consentiente Præfecta, cujus partes sunt dispensare, non dissipare. Hæc est dissipatio Regulæ, quæ nec in vita, nec in morte proprietatem Regularibus relinquit, & si quando a Moniali ægrotante fuerint requisitæ, ut alii vel supellectilem dent, vel thalamum, pie instruant, hoc non licere: ægræ partes esse, si quod in vita commisit, lacrymis, dolore, & pœnitentia Sacramento expiare, non superaddere nova piacula, quibus fœdius anima ad tremendum Dei Judicium exitura deturpatur: si qua licentiam testandi, aut quoquo modo disponendi, aut aliquam eligendi, seu nominandi, quæ succedat, de facto dederit; declaramus eam ab officio ipso facto privatam, & depositam; eamdemque in perpetuum declaramus ad idem officium, & alia quæcumque in eadem Religione obtinenda inhabilem.

Has vero Constitutiones, cum primum a Sancta Sede confirmationem acceperint, præcipimus, ubi Monasteria reformata non sunt, Abbatissis, seu Prio-

Digitized by Google

Priorissis, & Monialibus in linguam Italicam versas a Vicariis, seu specialibus Nunciis Episcoporum [ubi Disciplina Monastica reformationem nondum accepit] legi, declarari, & intimari, ac de ejusmodi intimatione in Actis Cancellariæ Episcopalis scriptionem fieri diligentem.

In Monasteriis, in quibus proprietas exulat, & omnis affectio corrupta, servetur illa rerum omnium communitas, quæ nihil habet, & cui nihil deest, quæ in egestate rerum copiam habet, & nihil omnino habet: Si quid enim est, hoc habet usu, non affectu; quæ quidem dives inopia in omnium Monialium domos, & vitam Pastorali prudentia & vigilantia invehenda est.

Communis esse debet Monialium mensa, ad quam omnes, exceptis ægrotantibus, convenire debent, & tenentur. Pactiones, sive consuetudines, quæ corruptelæ sunt, ut tantum pecuniæ detur ei, quæ ad mensam communem non accedit, rejicimus, & nullas dicimus: & quæ vel observarint, vel ut observentur, instituerint; mensis unius voce in Capitulo privamus, aut alia pœna, qua Abbatissæ, vel Priorissæ loci, aut Vicariæ, si principales impeditæ fuerint, conveniens videbitur, plecti mandamus. Et inferius loquens Aquilejensis Synodus de Puellarum institutione ait:.

Salarium pro qualibet Puella assignatum, totum Abbatissæ, vel Priorissæ solvatur, unde victus Puellis, Magistræ vero aliquid commodi ultra victum propter docendi laborem suppeditetur.

XVI. Hoc Concilium *exerto digito*, inquit Magister Claustralis pag. 291. peculium permittit, docetque, vitam communem ad Concinnæ criterium adeo necessariam non esse, ut sine illa paupertatis votum non stet immotum. Adversarius noster ubique sui similis est. Concilium istud non modo peculium permittit, sed *digito exerto* Moniales invitat ad peculium? Conferat Lector Textum Concilii cum istius Adversarii nostri commento, quia nobis nec otii, nec patientiæ tantum subest, ut longius protrahamus sermonem.

XVII. Synodus Audomarensis anno MDLXXXIII. celebrata *tit. XVII. cap. 6.* hæc decernit. *Ex quo in oblivionem abiit exemplum in initio nascentis Ecclesiæ in Anania, & Saphira editum, invasit pleraque Monasteria exitiosa rerum proprietas e diametro Monasticæ professioni contraria. Quare vigilent Prælati, & Præfectæ, si sua, suorumque saluti consultum velint, ut exterminetur hæc pestis, curentque ut, ablatis ab omnibus*

iis

iis omnibus rebus, quas ut proprias possident, victus, & vestitus, ceteraque vitæ necessaria, æqualiter omnibus pro indigentia cujuscumque necessitate, & Monasterii facultate placide & benigne ex communi Monasterii thesauro ac penu subministrentur, non pecuniis æstimata, ac compensata, sed ipsis eorum speciebus præsentia. Id enim eis in virtute S. Obedientiæ Dei loco præcipimus. Nec aliud præcipimus, quam id, quod Superiores quidem ex Officio curare tenentur, nulla ipsis relicta, dispensandi facultate, Religiosi vero ex ea, quam Deo fecerunt, sponsione observare. Usque adeo enim abdicatio paupertatis, sicut & custodia castitatis annexa est Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. [Cap. cum ad Monasterium de Stat. Monach.] Quare aboleatur ea consuetudo, qua consueverunt Superiores Religiosis singulis annuam numerare vel permittere pensionem, atque redimere necessaria vitæ eorum. Nec alicui pecunia permittatur, nisi pro injuncta a Prælato administratione; sed prorsus omnia in communem usum convertantur, ita ut impleatur a Religiosis quod sibi imitandum sumpserunt, & ad quod Religione sempiterna se obligarunt, illud primitivæ Ecclesiæ: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una; nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.

XVIII. Duo ad hanc Synodum responsa adhibet pag. 293. & ambo festiva. Unum est, Synodum istam non posse arctare Regulares per totum terrarum Orbem dispersos ad exactam rerum communitatem. Quod verum habet vi authoritatis ipsius. Alterum, non plus ab Synodo ista exigi, quam Tridentinum Concilium, & laudata Provincialia Concilia præcipiunt. Quod nemo pariter negat. Tria alia Concilia, nempe Turonense, Bituricense, & Avenionense Author Claustralis promit in medium. Verum quia hæc nec pro nec contra peculium clare loquuntur, idcirco illa prætereo ut supervacanea.

XIX. Paucis nunc perstringamus nonnulla alia peregrina valde commenta, quibus ab his Conciliis sese expedire tentat Adversarius. Hactenus negavit aliquod eorumdem communitatem præcipere. Nunc vero sub citati capitis finem fatetur, sex, aut septem Concilia legem adversus peculium tulisse. Subdit vero, hinc haud inferri omnes universi Orbis Claustrales his legibus teneri, sed illos dumtaxat, qui degunt in

Pro-

Provinciis, ubi celebrata Concilia sunt. Hæc sunt illius verba pag. 295. „ Jam vero quum Ecclesiasticæ Provinciæ in Orbe Catholico supra centum reperiantur, triginta vero tantum, ut plus dicam, suorum Episcoporum Conventus viderint, atque ex his triginta, *sex solum*, „ *aut septem adversus peculium legem tulerint*, *perspicuum est perpaucos* „ *admodum esse Claustrales*, *qui ad his obsequendum legibus teneantur*.

XX. Tandem denuo ad suam *Fossam* & *Vallum* recurrit clamans, laudata Concilia non plus quicquam præcipere, quam Tridentinum: aut si quidquam severius jubeant, fines transiliisse suos concludit pag. 296. *Paucis respondemus*, inquit, *horum Conciliorum mentem*, *Tridentini menti apprime consonam esse*, & *quemadmodum Tridentinum*, *ut probatum est*, *nihil contra peculium definivit*, *ita nec ab his Synodis definitum esse*. *Quod si morosus aliquis*, *plus ab his Conciliis*, *quam a Tridentino sancitum voluerit*, *hujus opinionem rejicimus*, *suosque excurrisse fines laudata Concilia* fidenter *asserimus*. Saltem demisso, non fidenti animo tam crassus error promendus erat. Transilirent ergo veritatis, & authoritatis suæ limites Concilia Provincialia, si præciperent exactam rerum communitatem, vetarent peculium? Mala igitur res est communio bonorum, si Superiores præcipere illam suis subditis nequeant, quin excurrant fines suos.

XXI. Pagina antecedenti nempe 295. palam fassus est, septem ex his Conciliis *legem adversus peculium tulisse*: nunc paucas post lineas, nihil contra peculium hæc Concilia definivisse asserit: aut si quid definierint, *fines excurrisse suos* contendit. Infinitus essem, si singula Authoris istius errata persequi vellem. Paucis ergo res tota conficienda est. Conciliorum istorum Patres plurimi Sacro Concilio Tridentino interfuerunt. Ad proprias regressi Provincias Canones, & Decreta, quæ Fidei, & morum integritatem spectant a præfata Oecumenica Synodo edita, denunciarunt, explicarunt, novisque præceptis servanda inculcarunt. Septem ex recensitis Conciliis Provincialibus, Adversario ipso testante, peculium Monasticum damnant. Hæc autem Concilia conceptis verbis testantur, se non aliud peculium damnare, quam quod in Tridentino Concilio vetitum est. Legantur adducta Decreta, in quibus verba ipsa Tridentini allegantur. Planum igitur est, Tridentinum Concilium præcepisse exactam rerum communitatem, & prohibuisse peculium. Nonne

ne si Tridentina Decreta ambigua forent, istorum Conciliorum testimonia satis superque nobis proderent eorumdem Decretorum germanum sensum? Nonne unum solum Provincialis Concilii testimonium prævalet authoritati centum Casuistarum, etiamsi oppositum assererent? Quam ergo vim habebunt septem Provincialia Concilia idem testantia. Nullum ex tot Conciliis Provincialibus negat præceptam esse a Tridentino exactam rerum communitatem. Septem, fatente Adversario, adfirmant. Ergo, etiam admissa ambiguitate sensus Concilii Tridentini, præfata Concilia omnem auferunt dubitandi ansam, causamque nostram extra omnem disputationem constituunt. Quid vero, quod Tridentina Decreta adeo perspicua, adeo manifesta, & pervia sunt, ut nec verbum illorum Decretorum cavillari ausus fuerit Adversarius ipse? Quid, quod vix Theologorum aliquis in dubium revocavit, Concilium Tridentinum præcipere bonorum communionem, vetareque peculium? Sed solum aliqui ad contrariam consuetudinem, aut ad non acceptationem talium Decretorum confugiunt. Et tamen ejus genii & humoris est Adversarius noster, ut repetere passim minime dubitet, Tridentinum nihil contra peculium statuisse, additque, se id *clare probasse*, *evidenter demonstrasse*. Has phrases incredibili libertate ad ravim usque repetit: numquam tamen locum laudat, in quo hæc arcana *probatio*, aut *demonstratio* reperiatur. Legatur integrum caput 1. differt. 3. a pag. 265. illius *Vitæ Claustralis*, ubi Tridentina Decreta refert. Nihil ibi, præter nugas, vanasque imaginationes jam supra convulsas, quisquam reperiet. *Cap.* 2. *pag.* 269. *& seqq. ejusdem Vitæ Claustralis*, ut præfata Decreta eludat, ad Generalia Capitula Regularium se recipit. Tandem hoc *cap.* 3. non modo Tridentinum non vetasse peculium asserit, sed, quod omnem fidem superat, addit Tridentinum ita evidenter peculium concedere, ut hoc Concilium sit ei pro peculio tuendo *vallum* & *fossa*: quod sane commentum alto sepeliendum scrobe erat. Sequentibus capitibus palam fiet, non modo Concilia Provincialia, verum etiam Summos ipsos Pontifices evidentissime declarasse præceptam a Concilio Tridentino exactam rerum communitatem, vetitumque peculium.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XI.

Constitutiones Pontificiæ a Clemente VIII. ad hæc usque tempora confirmant Tridentina Decreta adversus Regularium peculia, eaque clarius, severiusque prohibent tanquam labe proprietatis inquinata.

I. QUoniam Regularium plures tum Lateranensis, tum Tridentini Decreta, propriasque, quas professi sunt, Regulas, vanis interpretamentis eludere adnisi sunt; Romani Pontifices Novas edidere Constitutiones, quibus Conciliorum Decreta confirmarunt, inepta rejecere commenta, luculentiusque pecülia privata repugnare Monasticæ paupertati apertissime definierunt. Adversarii Magistri veriti haud sunt suorum Capitulorum quædam objicere statuta post Tridentinum edita, quæ peculia permittunt. At superiore capite ostensum est, hæc Statuta aliud nihil evincere, nisi quod ejusmodi Regulares reapse restitere Conciliorum Decretis. Quod hæc argumentandi ratio non defendit, sed inobedientes, ac refractarios declarat peculiorum fautores. Hæc omnia fusius capite superiore ostensa sunt, quæque ut evidentius pateant, Pontificum Constitutiones exscribendæ iterum sunt, ad id nos cogentibus Adversariis.

§ I.

CONSTITUTIO CLEMENTIS VIII. *qua Tridentinum Decretum adversus peculia Regularium explicatur, & istorum excusationes atque effugia penitus convelluntur.*

II. CLemens VIII. anno 1599. sequentem edidit Constitutionem.
„ I. Quo *Tridentini* Concilii Decreta de *Paupertatis voto* custodiendo fidelius observentur: præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamsi
„ Superior sit, bona *immobilia* vel *mobilia*, aut *pecuniam*, *proventus*, *census*, *eleemosynas*, sive ex Concionibus, sive ex lectionibus, aut pro
„ Missis tam in propria Ecclesia, quam ubicumque celebrandis, aliove

„ ipsorum justo labore, & causa, & quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut *etiam nomine Conventus*, possidere possit; sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur: atque eum cæteris illis bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, *quo communis* inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit. II. *Neque Superioribus*, quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia *etiam ad usumfructum, VEL USUM, administrationem, aut commendam* etiam DEPOSITI, aut CUSTODIÆ nomine concedere. III. Eorum vero, quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat, ut proprium, neque ut proprio utatur. IV. Qui in præmissorum aliquo deliquerit, pœnas nedum a Concilio Tridentino præscriptas, sed alias quoque multo graviores Superiorum arbitrio imponendas incurrat. V. *NULLA quorumcumque Superiorum DISPENSATIO, NULLA LICENTIA quantum, ad bona immobilia vel mobilia excusare possit*, quominus culpæ, & pœnæ ab ejusdem Concilii Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxii sint, ETIAMSI SUPERIORES ASSEVERENT HUJUSMODI DISPENSATIONES, aut LICENTIAS CONCEDERE POSSE: QUIBUS EA IN RE FIDEM MINIME ADHIBERI VOLUMUS. VI. Fratrum vestitus & supellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino uniformis sit Fratrum, & quorumcumque Superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conveniat. Nihil etiam, quod alicui sit necessarium denegetur. VII. Quæcumque Fratrum vestes, sive laneæ, sive lineæ, omnisque alia supellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur: ibique ab uno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout cuique opus fuerit, subministrari opportune possint. VIII. Omnes etiam Superiores, quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, sive [ut ajunt] pictantia in communi mensa prima vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur: neque singulare aliquid, quo privatim quisque in cibum utatur, ullo modo offerri possit. Si quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem, & aquam. IX. Superiores omnes etiam Generales vel

„ qui

„ qui redditus, aut præstationes particulares ratione officiorum habent, „ eorum accepta, & expensa in libro distincto fideliter, & diligenter „ adnotari curent : neque in alios usus, quam ratione officii sui necessarios, quicquam expendant. Cum vero contigerit ipsos in aliquo „ Conventu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua sibi, & iis, qui cum ipso erunt, victus ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum suppeditetur. X. Nullus ex Superioribus locorum administrationem bonorum, aut aliarum rerum, „ dispensationemque pecuniarum, & redditumm sui Conventus per seipsum „ habere, sive exercere possit ; sed universum id onus tribus Fratribus „ ejusdem Conventus a Generali ita demandetur, ut unus rerum, &c. „ bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat. „ Alter tanquam Depositarius pecunias, ac cætera ab illo collecta, exacte, & fideliter asservet. Alius de pecuniis, & rebus a Depositario acceptis Priori & Fratribus, ac Conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed juxta „ charitatis regulam, veluti bonus dispensator provideat, officiorum hujusmodi confusione penitus interdicta. XI. Cæterum hi tres tam impensi, quam accepti, singulis mensibus Superiori Locali adhibitis etiam duobus vel tribus Fratribus ejusdem Conventus probatioribus, rerumque usu peritis, rationem reddant. Deinde ipsemet rursus præsentibus Priore, & peritis prædictis, Generali cum advenerit. Denique „ ipse Generalis in quolibet proximo Capitulo Generali, saltem coram „ tribus judicibus ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, „ universamque suæ administrationis tam publicæ, quam privatæ, rationem reddere teneatur : cujus etiam exemplum authenticum ex actis „ Capituli describatur, ad hoc, ut ad omne mandatum nostrum vel Sedis Apostolicæ transmitti possit. XII. In unoquoque Conventu, Fratrum is tantum deinceps constituatur, & in posterum retineatur numerus, qui vel ex redditibus illius propriis, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisve quibuscumque obventionibus in commune, ut præfertur, conferendis commode possit sustentari. Redditus vero, & supradicta omnia in communi loco, ac tuto „ diligenter asserventur. XIII. Superioribus autem, *ne Concilii Tridentini, aut hac nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo*

„ *modo possint, omnino interdicimus, & prohibemus, decernentes irritum* „ *&c.* Si quis autem contra præsumpserit attentare, is, eo ipso, omni „ gradu, officioque privatus, & ad ea perpetuo inhabilis existat „.

§. II.

Interpretamenta Magistri Vindicis *refelluntur*.

I. Mirifica plurium annorum spatio in Casuistis laxioris Ethices commenta offendi. Nullum tamen adeo prodigiosum, ac illud Magistri *Vindicis* occurrit. Paucis ille verbis, nulloque adjecto fuco, ore rotundo negat, Clementem VIII. prohibere in laudata Constitutione peculia, sive deposita. Rem incredibilem, veram tamen, enarro. En verba Regii Professoris pag. 171. & 172. num. 86. *Ad Decretum Clementis VIII. itidem nobis oppositum, respondeo, quod laudatus Romanus Pontifex [sive solam Tridentini legem firmaverit, sive ad eamdem sartam tectam custodiendam præscripserit etiam modum in praxi tenendum) nullatenus vel depositum eliminavit, vel vitalitium proscripsit, sed dumtaxat proprietatem illam averruncare studuit, quam jure summo Tridentina Synodus condemnavit*. Si Constitutiones Clementinæ verba Arabica essent, aut Caldaica, vel Ægyptiaca, quampiam sibi mereri veniam posset R. Magister. At latina eum sint, obvia etiam, atque perspicua, haud apparet, qua excusari via possit. Quid amabo te, hæc Constitutionis verba sub numero secundo posita significant? *Neque Superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad usum fructum, VEL USUM, administrationem, aut commendam, etiam DEPOSITI, vel CUSTODIÆ nomine concedere*. Quid produnt hæc alia sub numero quarto collocata? *Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia, Fratres excusare possit, quominus culpa & pœnæ ab ejusdem Concilii Decretis imposita, & ipso facto incurrenda obnoxii sint, etiamsi Superiores asseverent, hujusmodi Dispensationes, aut licentias concedere posse: quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus*. Quid ad hæc Regie Professor? *Nullatenus*, nullo modo Constitutio Clementis VIII. prohibet sive deposita, sive census vitalitios, seu bona stabilia? *Nullatenus*? Si Advocatus in publi-

blico Foro, omni fronte posita, coram Judice negaret documenta adeo luculenta, & splendida, dubio procul exilii pœnam non evaderet. Et Sacratus in Theologia Magister in conspectu universæ Reipublicæ litterariæ, nulla quæsita latebra, plenis buccis negat laudatorum textuum sensa cuique sanæ mentis obvia? Quid dicendum? Ignorare Theologum latinarum vocum significatum? Velle ipsum imperitos decipere, & mentiri in causa gravissima? Absit. Quid ergo? Ille respondeat, ille se se defendat. Neque enim imbecillitati nostræ quidquam occurrit, quo illum de alterutro purgemus lapsu. Sed audi quæ eadem pag. 172. continuo subdit. *Quum ergo Clemens VIII. ad Tridentini legem custodiendam Decretum ediderit, quomodo vetuit depositum ab Tridentino permissum?* Concilium Tridentinum depositum permittit? Indos ne, an Garamanthes alloquitur Regius Professor? Tanquam *suppositum* (ut ajunt) certissimum constituit depositum a Tridentino permitti? Ubi vel verbulum in eo Concilio peculio favons? Quin ubi clarius, ubi severius, quam in Tridentino Concilio damnatum peculium? Postremo, si verba Tridentini aliquam exciperent interpretationem, sententia, quam pro Tribunali Supremo sedens protulit Clemens VIII. litem omnem dirimit.

§. III.

Responsa Magistri Vitæ Claustralis, valde mirifica, nimii rigoris, & durioris severitatis postulant Clementis Papæ VIII. Constitutionem.

I. REverendus P. Magister *Vitæ Claustralis* pag. 296. hæc primum ultro fatetur. *Equidem si unius Clementis VIII. Decretum de Regular. Reformat. quantum ad eum, qui primo aures nostras percellit, sonum obiter attendamus, non nisi RIGOREM, & SEVERITATEM detonare videtur.* Etiamne P. Magister Pontificiæ Constitutiones *Rigorismum* severum detonare videntur? Hanc tuam *Rigorismi* notam tanto Pontifici tacite impactam, ut injustam evincunt millia millium Regularium, qui exactam rerum communitatem a Sanctissimo Pontifice præscriptam, adamussim observant. *Rigorismum* detonat Clemens VIII. præcipiendo illam ipsissimam, & nec tantillum severiorem communitatem, quam semper.

per obſervarunt, ſervantque, Deo dante, in dies omnes Sacri Ordines ſuarum legum obſervatores? Exſcripto Decreto Clementino, paucisque verbis, quibus Author Disciplinæ Monaſticæ perſpicue prohiberi in præfato Decreto peculium dixit, hæc confeſtim reponit eruditus Magiſter pag. 298. *Sed gerræ, gerræ, humaniſſime Frater, eæque germaniſſimæ ſunt hæ tuæ Declarationes*. Nihil hic declaravit Frater tuus. Pontificias dumtaxat Declarationes, quibus Clemens VIII. expoſuit Concilii Tridentini Decretum, narravit. Quid? Clemens VIII. declaravit peculium Monaſticum non adverſari Tridentino Concilio? Apage nugas, apage commentum. *Extra omnis dubitationis aleam* [ſubdit continuo P. Magiſter ibidem] *ponimus, Clementem VIII. pro certo habuiſſe privatum Clauſtralium peculium Tridentini Decretis non opponi*. Quod eſt in quæſtione, extra omnis Diſputationis aleam conſtituit? Digna ſane tanto Magiſtro diſputandi ratio. Sed hanc rationem, cur aſſerat Clementem VIII. declaraſſe peculium non opponi Decretis Tridentini Concilii, audiamus. *Hoc* (inquit ibidem) *aperte colligitur ex conſtitutione* de largitione munerum utriuſque ſexus Regularibus interdicta, *quæ incipit*, Religioſæ Congregationes, *in qua* §. 3. *prohibetur ne Clauſtrales largiantur munera ex peculiis*. R. Magiſter ſemper ſibi in diſputando conſtat. Conſtitutio Clem. VIII. *de largitione munerum* edita eſt anno MDXCIV. Altera Conſtitutio adverſus peculium edita eſt anno MDXCIX. Canoniſtæ, & recta ratio præſcribunt, legem priorem per poſteriorem explicari poſſe; ſecus e contrario. Accedit, quod tunc una lex per aliam explicatur, quando ambæ eamdem rem præſcribunt, aut vetant. Largitio autem munerum vetita a Conſtitutione priori anni 1594. diverſa omnino res eſt a peculio vetito per Conſtitutionem anni 1599. Quid plura. Author Vitæ Clauſtralis falſitatem, abſit invidia verbo, evulgat, dum ſcribit, Clementem VIII. prohibuiſſe, ne *Clauſtrales largiantur munera ex peculiis*. Quin oppoſitum apertiſſime Pontifex vetat, videlicet Regularibus munera largiri interdicit ex quibuſlibet bonis, tum ipſius Monaſterii, tum particulari induſtria acquiſitis, & in rem communem redigendis. Inquit enim Pontifex ſub initium ejuſdem §. 3. *Abſolute, & generatim vetitum intelligatur, ut neque omnino fas ſit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, proventibus &c. quam ex pecuniis etiam, quæ a ſingulis quovis modo acquiſita in COMMUNE conferendæ omnino ſint*. Legatur integra hæc de largitione munerum Con-

Constitutio, in qua si vel unicum verbum reperiatur, quo Pontifex peculium aut nominet, aut approbet, decedere de sententia velim. Ad extremum. In Constitutione ultima anni 1599. Clemens VIII. ex Instituto, & summa perspicuitate causam peculii discutit, illudque severissime, quacumque versuta arte tectum, prohibet. In priori Constitutione ex professo munerum largitionem versat. Ergo etiamsi in hac quodpiam ambiguum verbum in materia peculii obiter insertum reperiretur, illud explicandum esset juxta sensum ultimae Constitutionis, quae tota est in peculio vetando. Caeterum sinceritas, & bona fides R. Magistri elucet in ultimis verbis, quibus asserit, Clementem VIII. in sua Constitutione lata anno 1599. *a sententia sua* (lata 1594.) *non recessisse*, quasi anno 1594. in Constitutione de largitione munerum causam peculii definivisset. Haec bona fides istius Authoris singulis paginis emicat. Verum quae sequuntur magis festiva sunt. A Decreto Clementis VIII. appellat R. Magister ad Capitula Generalia Claustralium in Hispania celebrata. „ Postquam [inquit P. Magister pag. 298.] Clemens VIII. haec „ sua de reformandis Claustralibus circa paupertatis votum juxta Tridentini Sanctiones edidit Decreta, ejus mens ÆQUO SEVERIOR visa „ est: nec satis intelligentes *Claustrales*, qua de re plus sibi imponeretur, quam exegerit Tridentinum Concilium, Pontificem non quidem melius consultum, sed a se non bene intellectum adiere, tanti „ Oraculi sensa clarius percepturi. Hieronymus Xaviere. . .ex his fuisse „ *DICITUR*, qui Clementis Oraculum consuluerit, eique obtulerit peculii „ rationes: & Clementina Decreta non eliminare peculium acceperit: idcirco in *Comitiis Generalibus* . . . an. 1605. *Vallisoleti* in Hispania DEFINIVIT, sanxitque: „ *Confirmamus illam legem de depositis, videlicet*, „ qui pecunias undequaque habuerint, teneantur sub poenis proprietariis debitis intra terminum 24. horarum Praelato suo praesentare &c.

II. Bene habet. Sententiam DEFINITIVAM audivi. Eam nunc expendamus. Et principio: Mens ergo Clementis VIII. Claustralibus *plus aequo severior visa est?* Eccur? Forte, quia peculium vetat? Ais. Non ergo nugas, gerrasque vendit Frater tuus, dum scribit, Decreta illa Clementina peculia vetare. Sed Hieronymum Xaviere consuluisse *DICITUR* Clementem VIII. & ab eodem accepisse, peculia non adversari suis Decretis. *Idcirco definivit sanxitque* Xaviere &c. At si quis reponeret, hanc narratio-

rationem putidam esse fabellam cerebro suo confictam, qui se defenderet R. Magister? Qui se defenderet? Data opera adjecit illud *DICITUR*, ut sibi caveret. At a quo dicitur? Quodnam documentum prodit, ut rem natura sua incredibilem confirmet? Monumentum est *TO DICITUR*. Litterate. Clemens VIII. Constitutionem solemnem edidit, qua universæ Ecclesiæ interpretatus est Tridentinum Decretum super Monasticæ paupertatis voto. Constitutio hæc plus æquo severior visa Claustralibus est. Quid tum Pontifex, ut rigorem deliniret? Facultatem dedit Claustrali uni, ut Vallisoleti in Hispania in suo Generali Capitulo sententia definitiva declaret Pontificiæ Constitutionis sensa. Si quis diceret, hæc esse figmenta plusquam poetica, & festiva delirantis vetulæ somnia, transiliret ne modestiæ limites?

III. Si non placet hujus Tribunalis sententia, dabit aliam. „ Ordo (subdit cit. pag. 299. R. Magister) *B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum*, quæ & qualis fuerit Clementis VIII. mens & animus, MANIFESTIUS ostendit, cum enim post laudatum Clementinum de Reformatione Decretum, nonnulla ab omnibus *sancte* observanda statuisset, *inter quæ peculium* reperitur, ea Clementi VIII. obtulit confirmanda, anno nimirum 1600. & an. 1604. „

IV. Ut aliquo tangatur sensu Magister *Vitæ Claustralis*, discatque in posterum sibi temperare a fabellis evulgandis, iterum rescribenda sunt verba ipsius Clementis VIII. quibus Claustralibus facultatem adimit interpretandi, aut relaxandi sive Tridentina, sive hæc sua de exacta rerum Communitate Decreta. En verba Clementis inserta illius Decreto. *SUPERIORIBUS autem, ne Concilii Tridentini, aut hæc nostra Decreta DECLARARE, INTERPRETARI, aut RELAXARE ullo modo possint, OMNINO INTERDICIMUS, & prohibemus, decernentes IRRITUM &c. Si quis autem contra præsumpserit attentare, is, eo ipso, omni gradu, officioque privatus, & ad ea perpetuo inhabilis existat*. I'nunc Præco, pœnasque in eos constitutas indicito, qui publicum decipientes, Claustralium Superiorum, Capitulorumque Generalium Declarationes obtrudunt, ut Tridentina & Clementina de exacta rerum Communitate, peculio pulso, Decreta eludere, penitusque labefactare pertentent. Author iste Claustralis, ut capite superiore vidimus, duos suos Magistros Generales Justinianum, & Caballum diffamavit, ut Concilii Tridentini temeratores.

In

In presentia suum Magistrum Generalem Xavierre ceu Clementinæ Constitutionis contemptorem traducere non reformidat, ut suæ crumenæ præsidium quærat.

V. Plurima alia infarcit *pag.* 301. non ridicularia modo, verum etiam nimium in Pontificem injuriosa. Inquit enim, Clementem VIII. ostentasse severitatem, *sicut ille, qui generosos, ac desultorios agit equos, in adversam semper dextrorsum, aut sinistrorsum, ut medium teneant, partem cogit .... Præterquam quod in interpretandis his, & similibus legibus, quæ PLUS ÆQUO DURIORES videntur, valet Regula illa L. Nulla &c.* Equorum moderatio dextrorsum, & sinistrorsum nobilis similitudo est, & viva imago ad exprimenda Pontificiæ Constitutionis sensa. Repetita *Injusti Rigoris* nota in Clementinam Constitutionem, aliud est in Pontificem obsequii testimonium.

VI. Præfata commenta, nec ipsi R. Magistro plene satisfaciunt. Quare addit *cit. pag.* 301. *Quibus omnibus, si addere velimus, Clementem VIII. optasse quidem, ut omnes Claustrales exactam vitam, cujusque peculii expertem amplecterentur. Ad eam tamen non nisi sponte volentes adstrinxisse: id commode ex ejusmet verbis addere possumus.* Clemens VIII. Decreta Concilii Tridentini interpretatur. Pœnis a Tridentino constitutis in transgressores novas adjicit. *Qui in Præmissorum* [inquit Clemens n. 4.] *aliquo deliquerit, pœnas, nedum a Tridentino præscriptas, sed alias quoque multo graviores Superiorum arbitrio imponendas incurrat. Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia Fratres excusare possit, quominus CULPÆ ET POENÆ ab ejusdem Concilii Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxii sint.* Quid dicit Magister Claustralis? Hortatoria ne tantum verba hæc? Talia audet scripturire? Si bellum Magistri nostri inventum consisteret, actum, conclamatumque esset de universis Tridentini Decretis, aliisque legibus omnibus. Commoda, inquit, est interpretatio. hæc, Commoda utique cupiditati, sed veritati infesta.

CAPUT XII.

URBANUS Papa VIII. confirmat Decretum Clementis VIII præcipientis exactam rerum communitatem, pulsis peculiis quocumque velamine tectis. Incredibili confidentia hoc FACTUM negat P. Magister Vitæ Claustralis.

I. Reverendus P. Magister *Vitæ Claustralis* scribit *pag.* 302. *Perspicuum est, Urbanum VIII. Clementina Decreta de EXACTA VITA COMMUNI non innovasse. Hæc palmaria sunt, & solis indoctis ac simplicibus non nota.* Factum solis oculis decidendum, Urbanum nempe VIII. confirmasse, & innovasse laudatum Decretum de exacta vita communi pernegare non reformidat? Quæ, amabo, pœnæ luendæ, si publicum decipiatur in re adeo gravi, & tam manifesta? Decretum Clementis VIII. de exacta vita communi capite præcedenti descriptum habetur in Bullario Romano *tom.* 3. *pag.* 79. & sequenti, cujus initium est *NULLUS OMNINO &c.* §. 2. *QUO Tridentini Concilii &c.*

II. Urbanus Papa VIII. omnia Clementis VIII. Decreta de Regularium reformatione innovat, & confirmat, ut habetur in eodem Bullario Romano *Tom.* 4. *pag.* 63. ubi primum Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini hæc testatur §. 1. *SANCTISSIMI* (Urbani VIII.) *auctoritate innovat Constitutiones & Decreta Generalia Sanct. Mem. Clementis VIII. de Regularium Reformatione:* ibi confirmat Decretum *De Apostatis* &c. Pag. 64. confirmat Decretum de *Novitiis non admittendis ad habitum Regularem, nisi in Conventibus designatis.*

III. Pag. 65. ejusdem 3. *Tom.* describitur integra Constitutio Clementina præmissa inscriptione *URBANUS PAPA VIII.* Deinde incipit Constitutio Clementina *NULLUS OMNINO*: & de verbo ad verbum rescribitur usque ad *pag.* 67. ubi definit. Facta severa collatione, nec in apice discrepat ab ea, quæ inserta est citato *tom.* 3. *pag.* 79. sub Titulo Clementis VIII. Lectores rogo, obtestorque, ut tomum 4. Bullarii Urbani VIII. legant a pag. 65. usque ad pag. 67. & nisi invenerit confirmatum Decretum integrum Clementinum, *Quo Tridentini*

Con-

Concilii Decreta de paupertatis Voto custodiendo fidelius observetur, Praecipitur &c. me mendacem habeant. Ne ergo tempus inutiliter teramus, ad alia pergo.

CAPUT XIII.

INNOCENTIUS XII. confirmat Decreta Clementis, Urbani, aliorumque Prædecessorum Pontificum Decreta super exacta rerum communitate. Sacrum Cardinalium Collegium erexit, ut hæc Decreta sarcta tecta custodiat. Facultatem Claustralibus adimit recipiendi ad habitum juvenes, nisi SACRO JURE JURANDO testentur exactam rerum Communitatem vigere in Cœnobiis, in quibus professio Monastica emittenda est.

I. Missis Pauli V. Gregorii XV. Alexandri VII. & Innocentii X. Constitutionibus brevitatis gratia, pauca referam ex Decretis Innocentii Papæ XII. quæ tametsi relata fere integra sint in *Disciplina Apostolico-Monastica*, tamen Adversariorum importunitate victi rescribere cogimur. Decreta habentur in Bullario ejusdem Pontificis pag. 267. *& seqq.* Initium Decretorum hoc est: *Sanctissimus &c. Ut Regularis Disciplina ad Religiosorum salutem, & totius Christiani populi ædificationem utilitatemque sarta tecta custodiatur, ac vigeat, ac sicubi collapsa est, adjuvante Domino, reparetur: constituit, & declaravit, se licentiam recipiendi Novitios in singulis approbatis Ordinibus benigne concessurum: dummodo tamen, quæ pro Regulari vita recte instituenda, tam a Sacrosancta TRIDENTINA SYNODO, quam a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, præcipue vero fel. record. CLEMENTE VIII. in Decretis Generalibus pro Regularium Reformatione, nec non INNOCENTIO X. & ALEXANDRO VII. pro Novitiorum receptione, & professorum educatione salubriter constituta sunt, quibus omnibus firmiter inhæret Sanctitas sua, eaque quatenus opus sit CONFIRMAT, & renovat (salvis tamen in hac parte singulorum Ordinum Statutis, seu aliis Ordinationibus ab Apo-*

stolica Sede in FORMA SPECIFICA, *post eadem Decreta forsitan approbatis aut editis*] *exacte, & inviolate serventur.*

II. Omissa fuerat in Disciplina Apostolico-Monastica illa periocha [*salvis tamen in hac parte &c.*] utpote non necessaria tum quod non exactam rerum communitatem spectat, tum quod de approbatione *in forma specifica* sermo est, qua approbatione compertum est, nullas Regularium Constitutiones peculium permittentes post Clementem VIII. esse confirmatas. Hoc jam jam clarius patebit. Quæ sequuntur igitur causam dirimunt.

III. *Quo circa Sacra Congregatio ab eodem Sanctissimo Domino nostro super Disciplina Regulari specialiter deputata .... de mandato Sanctitatis suæ præsentis Decreti tenore denunciat omnium Singulorum Ordinum Regularium .... Superioribus, tam Generalibus, quam Provincialibus quocumque nomine nuncupentur, cæterisque, ad quos spectat, ut in unaquaque Provincia, per Italiam, & Insulas adjacentes, quam primum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos censuerint, vel unum saltem, ibique authoritate Apostolica statuant omnimodam observantiam Regulæ & Constitutionum cujuscumque Ordinis & Decretorum Apostolicorum, præcipue vero* EXACTÆ VITÆ COMMUNIS. *Postquam vero Regularem observantiam, & signanter quoad* EXACTAM VITAM COMMUNEM CUM EFFECTU *stabilitam fuisse, tum ex eorumdem Superiorum Generalium, seu Provincialium relatione, quam Præpositi, & Fratrum in præfatis Conventibus degentium,* JURE JURANDO FIRMATO TESTIMONIO .... *eidem Sacræ Congregationi sufficienter constiterit, tunc Sanctitas sua antedictam licentiam, quam hactenus distulit, Novitios ibidem recipiendi benigne concedet ....*

Porro ne Regularis Disciplina, dum in Conventibus jam erectis statuitur, relaxetur in erigendis, & quod una ex parte constituitur, simul ex altera destruatur, Sacra Congregatio, Sanctitate sua similiter approbante, statuit atque decernit, nulla imposterum Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, aut alia Religiosorum virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo institui debere, nisi sub EXPRESSA OBLIGATIONE EXACTÆ VITÆ COMMUNIS *ab omnibus Religiosis ibi commorantibus perpetuo, & inviolate servandæ, ac praterea nullas deinceps admittendas hujusmodi fundationes, nisi, præter alia ad id requisita, prius legitime con-*

sti-

stiterit, adesse annuos redditus vel certam eleemosynarum spem, quibus duodecim saltem Religiosi in EXACTA VITA COMMUNI commode valeant sustentari.

IV. Perpendat nunc P. Magister Vitæ Claustralis quæ sequuntur. De more imposturas affingere Authori Disciplinæ Monasticæ in deliciis habet. Scribit enim pag. 306. illum *eate & de industria* præteriisse supra indicatam periocham: *Salvis tamen* &c. Perpendat inquam quæ sequuntur in Decreto Innocentiano.

V. *Non obstantibus circa præmissa OMNIA & SINGULA Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quorumcumque Ordinum STATUTIS, consuetudinibus, Privilegiis, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Ad extremum eadem Sacra Congregatio Regulares omnes, cujuscumque Ordinis, & Instituti sint, SANCTITATIS suæ verbis serio admonet, & in Dominio obtestatur, ut omni mora postposita, sicut Filios obedientiæ decet, ad Regulæ, quam amplexi sunt, Præscriptum, vitam instituant, & componant, Decretisque Apostolicis pro ÆTERNA illorum SALUTE editis, sincere, fideliterque pareant. Nec ab eorum observantia inanibus interpretationibus, & fallaciis, aut RELAXATIONUM PRÆTEXTIBUS AD EXCUSANDAS EXCUSATIONES IN PECCATIS abduci se sinant. Sed Professionis suæ memores, qua se totos Dei obsequio manciparunt, susceptæ Christianæ perfectionis iter, arduum quidem, sed Divinæ Charitatis dulcedine aspersum, abjectis terrenarum rerum curis, alacriter prosequantur.

VI. His amplissimis Decretis Clemens VIII. Urbanus VIII. Paulus V. Alexander VII. & tandem Innocentius XII. abstulerunt omnem contrariæ consuetudinis prætextum. In his Cœnobiis exactæ communitatis *sacro jure jurando firmatæ* professionem emiserunt RR. Magistri. Quid? Reponent ne ludibunda esse tot gravissima Pontificum Decreta, ut nempe Conventum ipsum materialem, seu muros, tectumque, secus Fratres astringant? Aut pro illo tantum Novitiatus anno obligent, quo elapso, soluti a lege sint? *Sed hæc* (inquit Ramirex Archiepiscopus Brundusinus pag. 75.) *frivola sunt. Nam Summus Pontifex in iisdem Decretis innovat & confirmat Decretum Sac. Concil. Trident. & Bullas, atque Decreta suorum Prædecessorum: sed tam Decreta Concilii, quam Bullæ & Decreta aliorum Pontificum Regulares omnes quorumcumque Ordinum tam* vi-

viros, quam fœminas comprehendunt, ut supra monuimus. Dicant modo RR. Magistri, quo cuniculo perjurii violatæ communitatis reatum evadere queant? Respondeant, qua fronte ausint legem communitatis publice denegare, si in iis Cœnobiis professi sunt Religionem, in quibus servari exactam rerum communitatem sacro jure jurando Apostolicæ Sedi adfirmatum est? Quid plura. Ne temporis decursu aut silentium, aut tolerantiam contrarii abusus in Apostolica Sede quispiam vel somniare posset, præter laudata Decreta Innocentius XII. aliud edidit, quo Sacrum Purpuratorum Collegium erexit, seu erectum confirmavit, ut perpetuo vocem exaltaret adversus Monasticum peculium, exactæque rerum communitatis observantiam promoveret. Decretum hoc insertum est citato Bullario pag. 309. cujus initium est *Debitum Pastoralis Offitii*. Deinde inter alia hæc habet.

VII. *Sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus, tametsi Decretorum hujusmodi observantia in plerisque Religiosorum Virorum Monasteriis, seu Conventibus prospere ac feliciter introducta fuerit, atque exinde inibi uberior in dies electi Sanctorum operum frumenti messis benedicente Domino exurgat, non eosdem tamen alibi cœleste idem semen afferat fructus, neque enim cessavit, nec adhuc cessat humani generis hostis in agro Domini superseminare zizania, quæ Patris Familias sementem suffocant. Hinc est quod nos Prophetici illius moniti memores: clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam: ut constans enixaque voluntas nostra incœptum opus hujusmodi peculiari studio, summaque animi contentione prosequendi magis ac magis innotescat, omnisque TRANSGRESSORIBUS VANO, FALSOQUE SILENTII NOSTRI PRÆTEXTU se se excusandi occasio penitus præcidatur, motu proprio prædictam Congregationem Cardinalium, & Prælatorum super Disciplina Regulari, tenore præsentium perpetuo approbamus &c. . . . Ipsius autem Congregationis a nobis sic confirmatæ facultates sint & esse debeant . . . designandi ac deputandi pro Novitiatibus & professoriis Conventus, Monasteria, Collegia, ac Domos &c. . . . Decreta tum felic. Record. CLEMENTIS Papæ VIII. Prædecessoris nostri super reformatione Regularium . . . potissimum vero EXACTÆ VITÆ COMMUNIS observantiam promovendi, atque ad hunc effectum dumtaxat novas quorumcumque Conventuum, Monasteriorum, Collegiorum, & Domorum hujusmodi fundationes diligenter examinandi, ne ulla scilicet*

in

Digitized by Google

in posterum Religiosorum virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo institui contingat, nisi in quibus eadem VITA COMMUNIS juxta ultimum dictorum Decretorum præscriptum perpetuo & exacte servari valeat &c.

Non obstantibus &c. quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum, aliisque quibusvis etiam juramento firmatis, CONFIRMATIONEQUE APOSTOLICA, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis illorumque Superioribus, & personis, ac aliis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibus, ac aliis Decretis in genere, vel in specie, vel aliis quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis, & innovatis &c.

VIII. Hæc legantur. Deinde Author Claustralis comparet, si potest pag. 308. adversarium suum seni illi avaro, qui pecunias suas *olla* inclusas domi absconderat, de quibus servandis adeo anxius erat, ut quoties *ollam* nominari audiebat, ratus *ollam* suam dici, continuo accurrebat. *Quid de olla, quid ollam dicis? Haud secus contigit Fratri nostro. Postquam vita communi sine peculio mentem suam pavit, quotiescumque in aliquo RR. Pontificum Decreto Vitam communem invenit, clamat statim: Adest hæic Vita communis &c.* Eccur R. Magister adeo frequenter me cogit, illum suismet vilissimis jocis, næniisque deridendum propinare, illosque, quos mihi definivi modestiæ, & gravitatis limites transilire? Quid Camerinam hanc movet? Quid *ollam* objicit, si pro *olla* denariorum dixerim an pulmentorum deprælìatur? Conglaciaret ne *olla* sua, frigeretque *sartago*, si peculium illi auferretur? Melius cum Hieronymo *lib. 3. Epistol. advers. Vigil.* dixero. *Inter phialas philosophatur, & ad placentas liguriens . . . . tantum inter epulas Asaph, & Filiorum Choræ cantica audire dignatur. Hæc dolentis magis animo effudi, quam ridentis, dum me cohibere non possum, & injuriam Apostolorum* (quibus pecuniam affingit] *surda nequeo aure transire.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

FORMULARIO *præscripto a SS. Pontifice INNOCENTIO XII. exactæ communitatis servandæ in Cœnobiis pro Monastica professione designatis, reapse solemni JURAMENTO hodie subscribunt Regulares, ut facultatem recipiendi juvenes a Sacra Congregatione super Disciplina Regulari obtineant. Ad incitas rediguntur Adversarii, qui alto silentio hoc solemne juramentum obvolvunt.*

I. CApite superiori descripsimus *FORMULARIUM*, quod INNOCENTIUS XII. inseruit suis Decretis editis die XVIII. Julii anno MDCXCV. subscribendum a Regularibus, ut valeant ad Professionem Monasticam juvenes recipere. Puncta in *FORMULARIO* contenta, quæque sub *JURAMENTO* affirmari debent hæc sunt. In Cœnobiis designatis pro Monastica emittenda professione vigere debet Regulæ, & Constitutionum perfecta observantia. Sed in primis exacta rerum communitas in *effectu* observetur necesse est. Tandem solemni JURAMENTO adfirmare reapse Regulares debent, in ejusmodi Cœnobiis & Regularem propriarum legum, & perfectæ communitatis observantiam ex amussim florere. *Postquam vero*, inquit Pontifex Innocentius, *Regularem observantiam, & signanter quoad EXACTAM VITAM COMMUNEM CUM EFFECTU stabilitam JURE JURANDO firmato testimonio eidem Sacræ Congregationi constiterit &c.*

II. Ostensum quoque est, Summum Pontificem Innocentium XII. Congregationem peculiarem erexisse, quæ ejusmodi *JURAMENTUM* servandæ communitatis recipiat, *ut*, inquit Pontifex Sanctissimus, *transgressoribus VANO, FALSOQUE PRÆTEXTU SILENTII NOSTRI sese excusandi OCCASIO PENITUS PRÆCIDATUR.*

III. Reliquum nunc est, ut *FORMULARIUM* illud, quod reapse *JURE JURANDO* firmatum exhibent laudato Sacro Purpuratorum Patrum Collegio Regulares, ut facultatem assequantur recipiendi Juvenes ad Religionem, describamus. Est autem tenoris sequentis.

Exem-

Digitized by Google

Exemplar formularii, quod jurant Regulares servandæ exactæ communitatis.

IV. *Nos infrascripti fidem facimus, & in VERBO VERITATIS testamur, quod in hoc Conventu N. stabilita est PERFECTA BONORUM COMMUNITAS, & omnia bona Fratrum particularium, tum quoad OMNES PECUNIAS, tum quoad vestes, & alia, sive sint census vitalitii, sive eleemsynæ ex prædicationibus, sive undequaque provenientia, OMNIA SINT CONFUSA cum bonis, & redditibus Conventus, & ipsis incorporata juxta Decreta Sanctæ memoriæ CLEMENTIS VIII. & INNOCENTII XII. & Sacræ Congregationis Disciplinæ, ita ut ex ipsis omnibus æqualiter provideatur tam tempore sanitatis, quam infirmitatis. Et est stabilita Vestiaria communis, in qua reposita sunt omnium Fratrum vestes, ac omnia, quæ ad communem usum sunt: ex qua Vestiaria omnibus æqualiter providetur juxta uniuscujusque Fratris indigentiam. In hoc etiam Conventu ultra bonorum supradictorum perfectam communitatem viget Regularis observantia secundum rigorem Constitutionum nostrarum. Et Novitii in hoc Conventu Religiose enutriuntur, & educantur in omnibus exercitiis ad statum Religionis nostræ spectantibus, & tam de die, quam de nocte probantur. Quare humiliter supplicant infrascripti, cum JURAMENTO omnia supradicta affirmantes, Sacræ Congregationi Disciplinæ Regularis pro licentia recipiendi juvenes ad habitum. Actum die &c. anno &c.*

V. Hoc est in causa nostra *FORMULARIUM*, cui subscribunt quoto biennio, aut triennio Regulares: hoc est *JURAMENTUM* servandæ exactæ communitatis, quod Sacræ Congregationi super Disciplina Regulari exhibent, ut facultatem recipiendi ad habitum juvenes assequantur. Colligas hæinc velim, quam verum sit, quod in Præfatione *Num. XIV.* innui: videlicet eamdem fere sollicitudinem, vigilantiam, ac studium Ecclesiam Romanam in instauranda exacta rerum communione in Regularium Cœnobiis prætulisse, quam in afferendis fidei articulis adhibuit adversus errores Jansenianos. Tanta siquidem perspicuitate tum in Concilio Tridentino, tum in Decretis Clementis VIII. & Successorum Pontificum præcipit præfatam bonorum communionem,

prohibetque peculium, ut nulla sit excogitabilis clausula, phrasis, vel expressio in hunc finem necessaria, quam Summi Pontifices non adhibuerint, ut sequenti capite demonstrabo. Postremum, ne temporis decursu aut silentium Romanæ Sedis, aut consuetudo contraria allegari a quoquam posset, descriptum *formularium* subscribendum instituit singulis bienniis.

VI. Quæret fortasse quispiam, cur in *FORMULARIO* juretur exactam rerum communitatem in Cœnobiis pro *Novitiatibus* destinatis vigere, cæterarumque legum observantiam? Respondeo: ut nemo unquam contrariæ consuetudinis larva sese excusare queat. Quamquam enim omnes Claustrales eodem sacro vinculo exactæ communitati adstricti sunt, tamen contingere in pluribus Cœnobiis potest, ut abusus, & corruptelæ peculiorum, & relaxationis serpant. Qua in hypothesi, Novitii in ejusmodi Cœnobiis Religionem profitentes, consuetudinis prætextum opponendi ansam haberent. Ut ergo omnis excusationis prætextus omnino præcidatur in *formulario* exprimunt Cœnobia, in quibus juvenes omnes professionem emittunt.

VII. Hoc solemne juramentum exhiberi cœptum est ab anno *1696.* In ejusmodi Cœnobiis omnes fere, qui nunc vitam agunt, Regulares, paucis senioribus exceptis, Vota sua Deo nuncuparunt. Qua ergo via sese ab exactæ communitatis obligatione absolvunt? Numquid *Sacrum Jusjurandum* servandæ communitatis illo dumtaxat *Novitiatus* anno obligat? Non puto, quemquam repertum iri, qui delirare tam aperte velit. Novitii omnes integro illo anno, quo Religionis profitendæ tyrocinium ponunt, reapse jejunia, silentia, abstinentiam, cæterasque austeritates juxta cujusque Religionis præscriptum, ac tandem exactam rerum communitatem servant, quolibet privato peculio pulso. Si hoc negant, sacrilegum ergo perjurium, non juramentum exhibere Sacræ Congregationi afferant necesse est. Sed numquid a juramenti vinculo solverentur propterea quod illud violarent? Si autem adfirmant, ut adfirmare tenentur, tum quæro. Cur Novitii hoc tyrocinii anno adamussim observantiam Regularem, & *signanter* perfectam rerum communitatem exequuntur? Nam hoc anno, nulla est istius observantiæ Regularis obligatio, nullum paupertatis debitum; quoniam nondum professionem Monasticam ediderunt. Numquid postquam solemni professione Monastica

Digitized by Google

stica consecrati sunt, a Monastica observantia liberi evadunt? Nullus *Novitiatus* tempore pecuniæ usus: omnia bona communia. Elapso vero tyrocinio, & solemni paupertatis voto ad *FORMULARII* & legis Ecclesiasticæ, propriæque Regulæ præscriptum, Deo sacro ritu in faciem Ecclesiæ nuncupato; tunc ne & pecunias tractare, & peculia privata in futuros usus conservare, & lineis indusiis uti, & cæteras leges negligere professi juvenes incipiunt? Nonne isti & Dei irrisores, & omnium legum contemptores haberentur? Quis adeo insaniat, ut dicat, Ecclesiam *Sacrum Jusjurandum* servandæ communitatis exigere, antequam quis se servaturum paupertatem spondeat: secus vero postquam solemne paupertatis votum Deo nuncupatum est?

VIII. Quo ergo sese recipiunt Adversarii? Vocem communitatis cavillari nequeunt. Nam Constitutio Clementis VIII. ad cujus tenorem juramentum exhibetur, adeo perspicue communitatem servandam explicat, ut nullo confugere modo valeant ad consuetas voces, seu nugas communitatis perfectæ, & imperfectæ. Nam nulla unquam disputatio fuit nec ante, nec post Tridentinum, quod ad aliquam communitatem dominii, ut vocant, tenerentur Regulares. Quare, ut quamlibet cavillandi ansam Pontifices Summi eriperent, declararunt, explicaruntque, ad eam communitatem Regulares sese vi propriæ professionis obstringere, quæ bona omnia, census vitalitios, pecunias prædicatione, lectione, labore, & qualibet alia excogitabili industria partas, in communem omnium Fratrum usus confert, ut in laudato juramenti FORMULARIO conceptis verbis exprimitur. Idcirco non semel, & bis, sed terque, quaterque Summus Pontifex Innocentius in suis Decretis, non quamcumque, sed *EXACTAM communitatem* ad præscriptum Constitutionis Clementis VIII. servandam præcipit. Nullum ergo in æquivoca communitatis voce perfugium: Nulla super gravitate obligationis latebra. Nam Concilium, & Pontifices verbis utuntur *jubendi*, *præcipiendi*, *sub culpæ pœna*, quæ omnium Doctorum consensu severum præceptum produnt, gravemque inducunt obligationem. Si *supererogatoria* esset communitas ista, tot ne pro illius observatione edidissent Decreta & Concilium Tridentinum, & Concilia Provincialia, & Pontifices Summi? Exigeret ne Romana Sedes tanta severitate solemne juramentum servandi quampiam cæremoniam *supererogatoriam*? Postremum *FACTUM FORMULARII*,

Digitized by Google

& JURAMENTI negare nequeunt, nisi Romam existere inficiari ausint.

IX. Quæ cum ita se habeant, quo ausu duo volumina typis edita emittuntur in lucem, in quibus palam docetur, nullam Concilia, nullam Pontifices servandæ perfectæ, seu exactæ communitatis legem rogasse, sed commendasse tantum? Hæc publice docere non reformidant eruditi Adversarii, qui in Cœnobiis *juratæ communitatis* professionem Monasticam Deo nuncuparunt solemni ritu? Prætereo plures illationes, quæ hæinc derivare possem, ut illorum sensui parcam. Edisserant interim, utrum in Universa Christiana Theologia occurrat aliqua vel laxissima opinio, quæ tot Pontificiis Constitutionibus profligata sit, ac est hæc de peculio Monastico sententia? Edisserant, num ex universo jure Pontificio, seu Canonico vel unicam Constitutionem allegare valeant, quæ sive *PROBABILISMUM*, quem ipsi execrantur, sive quamlibet aliam laxissimam opinionem tanta evidentia reprobet, quanta perspicuitate tum Concilium Tridentinum, tum Clemens VIII. & cæteri Successores Pontifices diris devovent peculium Monasticum? Edisserant, quibus blanditiis exciperent Probabilistam quempiam, qui opinionem tanta argumentorum efficacitate convulsam, , atque contritam propugnaret?

X. Quidam tam aperte insanire minime erubuerunt, ut dicerent, Romanam sedem ubique exigere *Sacrum Jusjurandum* servandæ a Regularibus exactæ communitatis cujusque peculii vacuæ. Interim illam optime scire, juramentum istud minime servari, atque adeo immunes ab ejusdem observantia Regulares esse. Nihil hoc commento dementius excogitari potuit. Novit Deus a paucis legem suam servandam. Ergo ne liberi ab ejusdem obligatione homines? Ne Romanæ Ecclesiæ silentio, aut tolerantia sese excusare transgressores unquam possint, Summi Pontifices instituerunt *formularium* jurandi observantiam exactæ communitatis, omni peculio pulso. Plurimi non observant hoc juramentum. Ergo non obligat? Multitudine ergo, clamant Patres omnes, mendacium defenditur? Sciunt Pontifices, plures in Quadragesima a carnibus non abstinere, & jejunium non servare. Antiquata ne propterea est lex Quadragesimæ? Non ignorant Legislatores omnes bonum in paucioribus reperiri. Quid, quod ipsimet legislatores leges a se conditas non

raro

Digitized by Google

raro violant. Propterea ne vim obligandi leges amittunt? Tolerant Pontifices quod impedire nequeunt. Tolerant *permissive*, inquiunt Theologi omnes, secus *approbative*. Quid quæso amplius præstare Ecclesia debuit, ut pecula exterminaret? Anne omnes refragatores ad carceres, ad patibulum damnare? At sciant oppositores, duo esse criminum genera. Alterum Societati infestum: & istud suppliciis puniunt Legislatores, Deo sic jubente. Alterum quod solos afficit violatores, & istud in altera vita puniendum permittunt. Ne multa. *Solemne juramentum* servandæ communitatis exigit a Regularibus Romana Sedes. Hoc juramentum reapse exhibent singulis bienniis aut trienniis Regulares. Alterutrum ergo fateantur oportet Adversarii: Aut Romanam Sedem consentire in continuata perjuria: aut data juramenta sancte servanda velle a juratoribus. Impium primum. Ergo verum postremum. Urgeo iterum. Romana Sedes absolute posset nullo negotio præfatum juramentum suspendere. Non suspendit, quamvis non ignoret multos transgressores. Ergo aut imprudentiæ, crudelitatis, & injustitiæ arguenda Romana Sedes: aut summæ necessitatis consitendum juramentum? Verum, ne in posterum hiscere queant, ad sequens caput illos voco.

CAPUT XV.

RR. Magistri Vindex, & Claustralis *aut negare debent Ecclesiam posse præcipere Vitam communem peculii expertem: aut fateri coguntur illam reapse præcepisse, pulso peculio.*

I. DEnegabunt ne RR. Magistri Ecclesiæ Romano-Catholicæ facultatem præcipiendi exactam rerum communitatem, dirisque privata Claustralium peculia devovendi? Absit. Fateantur ergo id Ecclesiam præstitisse. Quandoquidem nullæ concipi clausulæ, nullæ phrases, formulæ nullæ valent, quibus rerum communitas præcipiatur, peculiumque vetetur, illis clausulis formulisque severiores luculentioresque, quibus hactenus usa Ecclesia est, in præfata rerum communitate præcipienda, peculioque vetando? Paucis perstringam quas in hoc adhibuit negotio Ecclesia clausulas. Post RR. Magistros provocabo, ut clausulam illam

illam designent necessariam ad hoc ferendum præceptum, quæ omissa ab Ecclesia sit. Eam si ostenderint, ab illis victoria stabit: sin minus, eorum, quæ scripserunt, suavissimam Palinodiam cantillare cogentur. Ad id ergo, quod instat.

II. Sanctissimi Ecclesiæ Patres, & Patriarchæ suarum Regularum voce clamant omnes: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, ut legitis in Actibus Apostolorum* 2. *&* 4. Post exactam, diuturnamque præcepti gravissimi observationem, laxata Disciplina, peculiorum corruptela alicubi obtinuit. In tantum abusum continuo Ecclesia exaltavit vocem suam Conciliorum Generalium Canonibus. In Lateranensi III. *Monachi nequaquam permittantur habere peculium*. Eludere hoc Decretum pertentabant Monachi Abbatum permissu. Iccirco cavillationem damnavit Lateranense Concilium IV. *Nec æstimet Abbas, quod super habendo proprio possit cum aliquo dispensare*. Hac voce *proprii* abutebantur peculii Fautores. Tridentinum Concilium sutelas, cavillationes, effugia, tergiversationes omnes abstulit. Primum omnium exactæ communitatis legem novo gravissimo præcepto munit, firmatque. *Sess.* 25. *c.* 1. *Sancta Synodus ... hoc decreto PRÆCIPIT, ut omnes Regulares tam viri, quam mulieres, ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant & componant ... nec non ad COMMUNEM VITAM, victum, & vestitum, conservanda, pertinentia fideliter observent*. Hoc strato fundamento, *quod basis totius Regularis Disciplinæ est*, ad funditus extirpanda peculia sub quovis velamine contecta gradum facit. *Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed ea statim Superiori tradantur, Conventuique incorporentur*. Singula verba, inquiunt Fagnanus, & Eminentissimus Cardinalis Petra, sunt perpendenda. Tria prohibet. Primum repetit verba Regularum Monachalium: *Non dicatis aliquid proprium*, veram dominii proprietatem severe inhibendo. Post possessionem bonorum vetat *Possidere*. At quia hoc verbum cavillari poterant, addit *Tenere*, seu prohibet non solum proprietatem dominii, aut possessionem bonorum, vel usum juris, sed nudam detentionem, seu *usum facti*, usum inquam facti, non rerum, quæ de communi conferuntur, quin expresse jubet talem usum de com-

muni

Digitized by Google

muni concedendum, sed *usum facti* peculii separati a bonorum communione. *Cujuscumque qualitatis* sive parvi, sive magni pretii. *Etiam quovis modo acquisita* sive prædicatione, sive lectione, sive parentum donatione. *Aut etiam nomine Conventus*, idest dependenter, seu ex venia Prælatorum: seu in Arca Conventus separatim in loculis servanda. Sed *Conventui incorporentur*. Quid sonat hoc verbum *incorporari?* confundi, immisceri cum communi Patrimonio Conventus. Hoc negabant aliqui somniantes satis esse ad hanc incorporationem, Prælatorum animo menteque acceptari hæc privata Fratrum bona in Conventus dominium. Quod inane commentum repulit Clemens VIII. addendo: *Cum cæteris* Conventus *bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus CONFUNDANTUR, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit*. Hoc solum Decretum omnes excogitabiles cavillationes, quibus calamistrari peculia solent, penitus labefactat. Et tamen Concilium adhuc urgentius, severiusque sanctionem suam instaurat, confirmat, declarat. Regulares tam Prælatos, quam subditos lege ligavit. In Superiores insuper mandata sua recta dirigit: *Nec deinceps liceat bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum, vel USUM, administrationem, aut commendam*. His verbis adimitur Superioribus facultas concedendi subditis census vitalitios, reddituſque quoslibet sive ad usumfructum, sive in administrationem, sive in commendam, sive *ad USUM*. Ut autem hunc consuetum administrationis prætextum validius Concilium auferret, addit: *Administrationem autem bonorum, Monasteriorum, seu Conventuum ad SOLOS officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat*. Hæc dictio ad *solos officiales* excludit ab administratione peculii omnes Regulares, qui publici non sint Monasterii officiales. Idque adeo verum est, ut nemo sanæ mentis oppositum asserere ausit.

III. Rejecta ergo remanent, & labefactata omnia interpretamenta, quibus Antoninus Diana *Studiosus laxiorum opinionum selector*, inquit Fagnanus *loc. cit. n.* 8. contendebat cum aliis quibusdam Casuistis, peculium licitum esse in administrationem, aut merum usum a Superiore concessum. Quæ interpretatio omni ex parte ineptissima est, & conceptissimis verbis a Sacro Concilio improbata, atque convulsa.

IV. Nihilominus Clemens VIII. laudata Concilii Decreta adhuc novis clausulis expressit, munivitque. Verbo *incorporatis* adjecit, *confundantur*.

Clau

Clausulam *bona mobilia vel immobilia cujuscumque qualitatis, & quovis modo acquisita* declaravit, addendo *pecuniam, proventus, census, eleemosynas sive ex Concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum justo labore, & quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint.* Alteram potissimam Clausulam *Nec Deinceps &c.* tanta evidentissima severitate declaravit, nullo modo licitum esse ex licentia Superiorum peculii usum, ut nemo sana præditus mente dubitare amplius possit. *Nulla quorumque Superiorum Dispensatio: nulla Licentia quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excusare possit, quominus culpæ, & pœnæ ab ejusdem Concilii Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxii sint; etiam si Superiores asseverent, hujusmodi dispensationes aut licentias concedere posse. QUIBUS IN EA RE FIDEM MINIME ADHIBERI VOLUMUS.* Porro ne vocum diversitate velare in posterum proprium seu peculium possent, prohibetur illud concedi sive in *administrationem*, sive *ad usum, aut etiam DEPOSITI aut CUSTODIÆ nomine*. Ultima denique Tridentini Decreti particula præcipit Superioribus, ut de communi subditis provideant. *Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui &c.* Clemens hoc pacto eam exprimit: *Fratrum Vestitus, & supellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino uniformis sit Fratrum, & quorumcumque Superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conveniat. Nihil etiam quod sit necessarium alicui denegetur.*

V. Etiamne amplius expectandum? & tamen majora adhuc proferam, pœnas nempe ultimas in transgressores inflictas, nedum constitutas. Sterilitatis anathema in illos Claustrales contorsit Ecclesia, qui præfatam Communitatem peculii expertem servare neglexerunt. Istius tremendæ suspensionis recipiendi Novitios, nos ipsi testes sumus. Ut huic se subducerent Claustrales ultimo interdicto, supplices porrexerunt preces. Illas admisit Clementissima Mater Ecclesia, hac conditione adjecta, ut in iisdem Conventibus, in quibus recipiendi sunt juvenes, *statuant omnimodam observantiam Regulæ, Constitutionum cujuscumque Ordinis, & Decretorum Apostolicorum, præcipue vero EXACTÆ VITÆ COMMUNIS. Postquam vero Regularem observantiam, & signanter quoad exactam vitam communem cum esse-*

effectu stabilitam fuisse ... *JURE JURANDO FIRMATO TESTIMONIO constiterit, tunc Sanctitas sua antedictam licentiam, quam hactenus distulit, Novitios ibi recipiendi benigne concedet.*

VI. Missis plurimis Sacræ Congregationis *super Disciplina Regulari* Decretis, quibus luce meridiana clarius peculia quæque vetita declarantur, ex his, quæ hactenus dicta sunt, hanc elicio argumentationem. Nulla est excogitabilis præcipiendi exactam communitatem, vetandique peculium formula, phrasis, dictio, aut clausula severior, clarior, efficaciorque illis, quas Ecclesia hactenus adhibuit tum in Conciliis Oecumenicis, tum in Decretis Pontificiis, in quibus reapse communitatem præcipit, peculiumque vetat. Nec pœnæ, aut supplicia in transgressores constituta reperiri severiora queunt. Ergo alterutrum fateri coguntur Adversarii: Aut Ecclesiam destitutam potestate esse præcipiendi exactam rerum communitatem, vetandique peculii: aut confiteri & illam reapse præcepisse, & istud vetasse. Si primam propositionem in discrimen vocant, provoco illos, ut illam designent efficaciorem, expressioremque clausulam, quam adhibere Ecclesia debuisset, ut communitatem imponeret, inhiberetque peculium. Clarius adhuc rem expono. Hypothesis loco constituamus, Ecclesiam reapse velle & communitatem exactam præcipere, & peculium prohibere. Respondeant *RR. Magistri*, quæ dictiones, quæ verba, quæ formulæ usurpandæ Ecclesiæ forent, ut hanc legem nulli cavillationi obnoxiam conderet? Quas illa neglexit earum, quæ necessariæ forent? Convenit penes omnes Canonistas, & Theologos, neminem posse refragari Decretis Conciliorum Generalium, & Summorum Pontificum, nisi ostendatur præfata Decreta non præcipere, aut vetare id, de quo quæstio occurrit. Convenit itidem penes omnes Doctores, Decreta & leges tum sub gravi culpa obligare, quando in lege hæc tria occurrunt. Primum: verba *Præcipio, jubeo &c.* Et hæc reperiuntur in Decreto Trident. *Necessum esse censuit Præcipere, prout hoc Decreto Præcipit &c.* & cap. 22. *Et quia Sancta Synodus desiderat &c. Præcipit omnibus &c.* Clemens VIII. Paulus V. & cæteri Pontifices verbo *præcipio* utuntur. Secundum: *materiæ gravitas*. Hæc porro natura sua se prodit, illamque Concilium declarat. *Non ignorat S. Synodus, quantum ex Monasteriis bene institutis &c. in Ecclesia Dei splendoris &c.* Tertium: *Pœnæ constitutæ in* transgressores. Hæ autem in Tridentino sunt privationes vocis activæ, & passivæ. Severissimæ & tremendæ pœnæ a Cle-

mente VIII. & ab aliis Pontificibus potissimum ab Innocentio XII. sunt interdictæ recipiendi juvenes ad profitendam Religionem, nimirum extinctio, & abolitio Religionum, quæ *pœnæ mortis æquivalet*, inquit Archiepiscopus Ramirez, quæque nunquam imponitur a legislatore, nisi quando obligat graviter in conscientia. Ergo omnibus Doctoribus consentientibus, luce meridiana clarius patet, Ecclesiam *severissimo præcepto* imponere Regularibus exactam rerum communitatem. Ergo erronea est Adversariorum opinio, omnibus Theologis & Canonistis contraria, qua *ore rotundo negant latum ab Ecclesia præceptum exactæ communitatis*. Et quoniam hæc falsissima doctrina unica basis est, & fundamentum omnium laxitatum, quibus eorum libri scatent, juvat iterum eos ad incitas redigere. Edicant itaque nobis, quæ clausula, quæ formula deest Tridentinis, & Pontificiis Decretis, ex eis, quæ requirerentur ad præcipiendam communitatem, peculiumque vetandum? Vestrum est respondere. Si Concilium, & Pontifices hac loquendi formula uterentur: *Præcipimus, ut Regulares communitatem, non quamcumque, sed exatam servent, eam nimirum, in qua victus omnis ab uno cellario, & vestitus non in pecunia, sed in specie, juxta cujusque indigentiam, ab uno vestiario ministretur: In qua omnes, & singuli Fratres quascumque pecunias sive lectione, sive prædicatione, sive quacumque alia industria partas, item census vitalitios confundant cum cæteris Monasterii redditibus, ut inde omnibus, prout cuique opus fuerit, provideatur. Prohibemus Superioribus omnibus, ne subditis licentiam impertiantur retinendi quidquam bonorum, pecuniarumque sive titulo administrationis, sive ad usum, sive titulo depositi, aut custodiæ; sub privatione vocis activæ, & passivæ, aliisque pœnis proprietariis debitis.*

VII. Quid ad hæc RR. Magistri? Si hoc pacto loquerentur Pontifices & Concilia, præciperent ne vitam communem peculii cujusque expertem? Quid reponunt? Negant? Ergo non occurrunt in universo idiomate latino formulæ, phrasesque, quibus tale concipi præceptum valeat. Si ajunt. Ergo peculia damnata sunt, & exacta communitas sub præcepto imposita. Nam reapse omnes recensitas signatas numero præcedenti formulas, immo & severiores, clarioresque adhibent Concilium, & Pontifices. Designent quæ desit? Edicant, quam ipsi exigerent pro plenissimo ferendo mandato? Si vel unam obiicere formulam valent ad præceptum ferendum necessariam, & quam Concilia & Pontifices, aut

re,

ræ, aut voce non adhibuerint, herbam illis porrigere velim, fascesque submittere. Quid reponunt? Quo se recipiunt? Ad Navarrum, ad Dianam, ad Murgam, aliosque nonnullos laxiores Moralistas? At istimetipsi, licet in pluribus turpiter erraverint, ut Fagnanus, & Eminentissimus Cardinalis Petra advertunt, absolute tamen præceptum non negant: sed peculium defendunt ut licitum dumtaxat, necessitate, & justa causa urgente. Præterquam quod, nonne ipsi sunt in Sacra Theologia laureati Magistri, Scripturarum interpretes, Professoresque Publici? Illis ergo interpretanda Decreta Conciliorum, & Pontificum sunt. Ab illis interpretationem jure poscimus. Illis incumbit onus ad severiores critices leges revocandi, quam nos dedimus interpretationem: illam ventilent: illam cribrent. Muti hactenus fuerunt super Decretorum interpretatione. Si dolent turpis erroris insimulari interpretamenta Navarri; Dianæ, aliorumque Casuistarum, illorum est ostendere, interpretationem non esse evidentissime falsam. Et tamen Authores illi præceptum non negant, sicut Adversarii illud rotunde rejiciunt, de quo infra. Cum itaque hæc ita se habeant, quid illis agendum? Alterutrum sane. Aut negandum Concilia Oecumenica, & Pontifices Summos posse peculia vetare. Aut confitendum illa prohibuisse. Si primum afferunt: pœnas luent. Si secundum: crumenas projiciant, & ea, quæ scripserunt, retractent. Si utrumque negant: ad legem Aristotelicam litam adversus eos, qui prima scientiarum principia negant, illos remittimus.

CAPUT XVI.

Alia sunt peculia, quæ hodie obtinent apud Claustrales: alia quæ defenduntur a RR. Magistris. Tam illa, quam hæc chimæricum efficiunt Paupertatis Monasticæ votum.

I. Collapsa Mendicantium Disciplina sub finem sæculi quartidecimi, peculiorum pestis, corporum lue teterrima grassante, Cœnobia invasir, ut testantur Historici omnes, quos supra dedimus. Et quoniam alicubi penitus auferri corruptela haud potuit, aggeres tamen adjecti fuere, ne latius manaret. Limites isti sunt, exigua peculii quantitas, temporis

poris brevitas, usus ejusdem pro re necessaria & determinata. Hæc sunt depositorum confinia, quæ præscribunt leges ipsæ, quas pro peculiis obtrudunt RR. Magistri, quasque ipsi profitentur. Capitulum Generale Mediolanense anni 1505. *Nolentes, quod aliquis Frater possit tenere pecunias in deposito ad usus INCERTOS, sed solum ad certos usus, puta pro vestibus & libris emendis*. Capitulum Generale Valentinum an. 1596. *Deposita non nisi in moderata quantitate, ad determinatum usum*, *idque ad breve tempus*: nimirum *PER MENSEM TANTUM* inquit Capitulum Salmanticense an. 1551.

II. Hæc ipsa deposita nunquam approbata fuerunt ut absolute licita, sed permissa, & tolerata, necessitate cogente, & ad majora præcavenda mala, ut declaravit Capitulum Generale Romanum an. 1644. *Priores de Consilio Fratrum instituant depositarios, qui particularium Fratrum deposita, ubi hujusmodi ADHUC TOLERANTUR, asservent. Ubi autem particularium depositorum PERMISSIO FELICITER EXOLEVIT, persistatur in Sancta consuetudine, nec permittatur, ut quidpiam irrepat, quod laudabilem & EXACTISSIMAM RERUM COMMUNITATEM, sanctæque Paupertatis observantiam vel in MINIMO relaxet*.

III. P. Magister *Vitæ Claustralis* hæc ipsa Statuta describit pag. 304. & alibi, ignorans penitus quid sibi faveat, quidve officiat. Vel ipsi rudissimi homines duo hic deprehendunt. Alterum, quod permissa deposita nullatenus approbentur, sed temporum calamitate, & relaxatione prævalente *tolerantur*. Alterum, quod vi harum legum peculia, quæ nunc serpunt in pluribus Claustris, sint vitio proprietatis evidentissime infecta. Quare ambo RR. Magistri pessime de proprio merentur Ordine, dum contendunt vi ejusdem legum hodierna peculia, ut licita, propugnare. Evinco.

IV. In peculiis hodiernis nec ulla ex recensitis conditionibus servatur. In laudatis Statutis nulli permittuntur census vitalitii exigendi & expendendi ab ipsis Claustralibus. Quid si hodie ea dumtaxat exigua peculia forent, quæ nequeunt esse opulentiora? Quid si illi retinerent ingentiorem pecuniarum summam, qui opimiores habent vitalitios census, qui altiores sustinent Præfecturas aut Cathedras moderantur, aut Suggesta ascendunt? Quid si temporis brevitas esset totus vitæ cursus? Quid si usus indeterminati forent? Si quilibet Claustralis ex venia sæpissime tacita expen-

pen-

Digitized by Google

penderet suas pecunias in quoscumque usus honestos, licitosve: si splendida supellectile cubicula, non parvam cellam ornaret, peculiaribus vesceretur epulis? Quid si pecunias minime in deposito, seu in arca communi Claustrales reponerent, nisi eas, quæ in dies non occurrunt? Neque reponant, hos esse abusus privatorum quorumdam. Immo e contrario aliqui privati conscientia ducti si velint, possunt leges præfatas servare. Cæterum quantum est ex vi Disciplinæ laxatæ, quæ nunc alicubi obtinet, peculia sunt perpetua, & quoad fieri potest pinguiora, & ad usus indefinitos, incertosque, revocabiles utique per Prælatum, qui numquam tamen eos revocat, ut in loco dicemus.

V. Quis autem inficias iverit, hæc hodierna peculia etiam juxta Statuta Claustralium, quæ deposita conditionibus recensitis circumscripta permittunt, seu tolerant, esse vitio proprietatis inquinata? Ridicularia autem & commentitia est hæc paupertatis forma, inquit vel ipse *Vincentius Gravina* in oratione de repetendis fontibus Doctrinarum adversus ejusdem legum illusores. *Tu vero* [inquit] *noster Misericors, qui aliis libenter indulges, ut largius indulgeas tibi ipsi. Quod gratior ubique sis, & Proceribus præsertim acceptior, dum verba legis teneas nihil pendis consilium Legislatoris: ut si quis extremam paupertatem hac formula imperaverit.* Pecuniam ne attingito. *Tu noxam omnem amotam putes, dum quis manus a nummis abstineat suas, dextera vero præter necessitatem utatur, & opera ministrorum. Quæ, si ratio valeret, nihil pauperius esset Regibus, atque Tetrarchis.* Quid quod Claustrales nostri non officialium, ut vel ipsæ leges tolerantes imperant, sed propria dextera pecunias expendunt?

VI. Quæro nunc a RR. Magistris, propugnent ne peculia, quæ reapse serpunt in Claustris suis, an secus? Si primum: retractent ergo omnes illas conditiones, quibus & ipsi peculia circumscribunt, ut licita sint. Si alterum: & ipsi proprietatis postulant Claustrales suos. RR. Magistri nostri, ut fucum faciant imperitis, exquisita, & nimium pervetusta arte circumvolvere, & obtegere peculia sua student. Numquam ausi sunt aperte scribere, licitum Claustralibus esse retinere sibi omnia bona, quæ singuli privata industria comparant: nimirum omnes pecunias lectione, prædicatione partas, census vitalitios, & quæcumque sibi, aut donatione, aut hæreditate obveniunt. Verentur & ipsi tale peculium vindicare.

Et

Et tamen hoc est peculium, quod reipsa in usu est. Quid ergo latebras captant RR. Magistri scriptitantes *ALIQUID ex venia Prælatorum?* Cur, ut alias dixi, & repetendum sæpius est, honesta sinceritate non exponunt, quid comprehendat *TO ALIQUID?* Istud *To aliquid* ea omnia amplectitur, quæ descripsi. Ne ergo aerem verberent, peculia, quibus revera illi utuntur, in examen vocare debent. Quid prodesset Claustralibus, quod peculium aliquod angustis definitum confiniis licitum foret, si peculium, quod in praxi obtinet, sacrilegum est? Quæ eo dicta sint, non ut peculium quodlibet approbem, excepta vera urgentique necessitate, & rationabili causa infra explicanda; sed ut palam fiat, quod peculium propugnatum a *RR. Magistris* sub quocumque aspectu, & Statutis etiam Claustralium, saltem plurimorum, spectatis, proprietatis fuligine tinctum sit. Consulant ergo Magister Claustralis, Magister Vindex, eorumque Affeclæ, consulant inquam proprias Constitutiones, & Capitula Generalia, quoniam illa ego nunc prætereo, ut illis parcam.

CAPUT XVII.

Secundum doctrinam Authoris Vindiciarum *Claustrales sunt communiter vitio proprietatis infecti. Antilogiæ, quibus Regius Professor jugulum causæ suæ petit, eamque penitus destruit.*

I. Conditiones, quibus Regius Professor limitat peculii usum, evincunt Claustrales proprietatis labe aspersos. Describenda primum omnium sunt illius verba ex pag. 64. „ Dum ergo depositum, seu peculium primi generis ultro libenterque permitto, idque nedum in deformatis, verum & in reformatis Conventibus . . . . *non tam libere indulgeo, ut cuicumque fas sit illud retinere, modo adsit licentia Superioris, & in communi capsa servetur.* Hoc enim errore præpediti aliqui, se innoxios existimant, etiam dum thesauros adaugent, ex eoque securius, quia in Capsa bene custodita servantur, & sine ulla necessitate pecunias conservant, ut avaritiæ, aut fastui laxent habenas. Apage crimen detestandum. Apage intolerabile sphalma.

II. Antequam ultra provehor. Non ergo R. Magister *Vindiciarum* cuicum-

eumque peculium indulget, etiam si adsit Superioris licentia? Datur ergo lex peculium vetans: aut ille injustus est, si, absque lege prohibente, cuiquam peculium surripit. Non video quo se recipere valeat. Non datur præceptum exactæ communitatis, ut ille asserit? Ergo omnibus peculium indulgere debet. Si aliquibus peculium concedit necessitatis causa, cæteris negat eo quod necessitas illorum respectu non adsit, confiteri præceptum exactæ communitatis, præcisa necessitate, cogitur. Quod de avaritia, & fastu subdit, lex ipsa naturalis, & Divina, nedum votum, hæc vitia prohibent. Verum persequatur Professor Regius suam depositi descriptionem *cit. pag.* 64. & 65.

III. „ Permitto itaque illud, quum ad bonum, honestumque finem „ servatur nedum, verum & *justa causa adest*, nimirum Religiosæ necessitatis, & honestæ commoditatis, quæ vel in publicum, vel in privatum commodum cedit. *Requiri ulterius determinatum tempus ad custodiam præfati depositi adsero*, *verum non ita* arcte, & rigide, ut sit individuo temporis mora taxanda, ultra quam amplius non liceat retinere. Quum enim rationabile debeat esse obsequium nostrum, rationabiliter quoque præscribenda est præfata temporis mora, quæ proinde committi debet judicio prudentum . . . *Modum autem servandi depositum limitatum itidem assero*, *videlicet juxta bullas Romanorum Pontificum*, *PRÆCIPUE NIMIRUM, UT IN COMMUNI CAPSA ET CONFUSA PECUNIA SERVETUR*.

IV. Cur *justam causam* requirit permittendi depositum, si neque votum, neque præceptum illud prohibet? Cur exigit *determinatum tempus?* Quod nulla lege vetitum est, omni tempore licitum est. Elapso illo tempore, prudentis Prælati judicio designato, depositi retentio illicita evadit non ne? Ait. Cur hoc? Quia Prælatus definivit temporis intervallum, ultra quod peculium non licet. At admisso principio, quod nullum sit neque præceptum, neque votum exactæ communitatis, consequitur necessario, quocumque tempore licere Regularibus peculium. Neque in Potestate Prælatorum est subditorum vota ex arbitrio augere. Alterutrum ergo fateatur oportet: Aut legem consistere, quæ & exactam communitatem præcipiat, vetetque peculium, a cujus legis observantia sola justa causa excuset: Aut si legem negat, omnibus Claustralibus, & quocumque tempore, peculium concedat oportet. Si primum asserit: causam no-

nostram propugnat. Si secundum concedit: ea, quæ scripsit, retractare cogitur.

V. Modus, quem pro licita peculii retentione præscribit, legem exactæ communitatis evincit. Bullæ ergo Romanorum Pontificum præcipiunt *Confundendas esse pecunias* cum pecuniis Conventus in *COMMUNI CAPSA* asservatis. Nobis itaque manus porrigit victas? Vera ne est confusio hæc, aut falsa? Si ludicra, & falsa, Protessor Regius summæ honestatis, ac sinceritatis Theologus falsa deliberato animo divendit. Et reipsa alibi scribit, confusionem istam fieri aut nota retenta summæ confusæ pecuniæ in libro peculiari, ut tota tandem regrediatur in manus deponentis, aut loculis parvis in magna illa *CAPSA* distinctis, & claviculis obsignatis? Jocosa igitur, ludicra, & fraudulenta est confusio isthæc juxta primas communis sensus scintillulas. Si vera est confusio, peculium in fumum abit.

VI. Verum, his parumper interruptis, cedo. Quot sunt Claustrales, qui has ab illo præscriptas conditiones servent? In testes voco ipsos Regulares omnes istius facti. Et ineptus sim ipse, nisi omnes ad sinceritatem compositi fassuri sint, se non plus istarum conditionum, quam exactissimæ communitatis observatores esse. Omnes fatemur, quod justa occurrente causa licitus sit peculii usus. Sed illud est in quæstione positum, quænam sit causa hæc justa. Ideo vero causam justam requirimus, quia legem recognoscimus peculium absolute vetantem. Si lex non est: Professor Regius pharisaico supercilio, & crudeli severitate tam arctarum conditionum pondere Regulares opprimit, quos defendendos susceperat. Si lex est: diris sponte devoveat vindicias suas necessum est. Si lex est, auferri causa pro viribus debet peculii habendi. Si causa hæc volita sit ab ipsis Claustralibus, non tollit, sed auget crimen. Ne multa. Illarum conditionum, quas ille jure alioquin, meritoque præscribit, observantia adeo est perdifficilis, ut facilior sit exactæ communitatis instauratio. Idcirco Theologi clamant, difficilius fere inter privata peculia paupertatem, quam inter familiarem puellarum conversationem castitatem illæsam consistere.

VII. Et, ut magis antilogiæ, quibus semetipsum conficit, pateant quid brevi temporis intervallo peculii usum illigat, si a pag. 136. ad finem usque, census vitalitios defendit? Depositum, non cuicumque *in-*

dul-

dulget, ut vidimus. Et censu vitalitios concedit ne omnibus indiscriminatim? An toto vitæ tempore? An brevi intervallo? Cantherius in fossa. Verum audiamus limites, quibus pariter census istos circumscribit pag. 136. „ Ex vitalitio censu nullum sibi jus adscicit, qui illum sibi reser„ vat, vel cui advenit, sed Conventui totus incorporatur, eique, etsi ex „ persona Monachi, de jure cedit. Qua de causa *POTEST pleno jure* „ [servata tamen Regulari lege] *Superior illum in alios disponere usus*, „ nec ullatenus potest Monachus *conqueri*, reclamare non potest. Quin „ immo quia vitalitius, proventus, totus & absolute Monasterio cedit, „ nonnisi Syndicus, Procurator, sive *Cellerarius* nomine Conventus ex „ persona *Monachi comparet*, *exigit*, *omnesque* juridicos actus in foro ju„ diciali exereet ad recuperandum illum, sive ad compellendos laicos, „ aliasve personas, quibus onus incumbit, solvendi præfatam annuam „ summam. „ .... Pag. 138. Abs re igitur, & *sine ullo Theologico ratiocinio* diris devovetur [census vitalitius] ab eo, qui contra reclamat.

VIII. Dispiciamus paulisper istius Theologici ratiocinii invictum robur. Conventus, illo fatente, pleno absolutoque potitur jure in vitalitios Fratrum census. Frater vero, cujus intuitu Monasterio proventus obvenit, non plus juris, quam cæteri omnes ejus Conventus Fratres, in eumdem censum Vitalitium habet. Ergo usus istorum censuum communis est, eo pari modo, quo commune dominium asseritur. Ergo, prout cuique opus fuerit, distribuendus. Justitiæ itaque, & fidelitatis prævaricator evadit Prælatus, & sacrilegus voti violator, si has pecunias, quæ revera communes sunt, impertitur soli Monacho reservanti; quia illius intuitu census Monasterium ingreditur. Evinco illationem. Fur est, & latro Oeconomus, qui communia Societatis bona æqualiter, & juxta sociorum indigentiam non dividit. Prælatus est merus, putusque bonorum Monasterii Oeconomus. Ergo &c. Si Prælatus redditus Monasterii tribus, aut sex Fratribus Baccalaureis, & Magistris, aut Jubilatis tribueret, cæteris exclusis, immunis ne ab injustitia & sacrilegio foret? Eodem omnino jure Monasterium potitur in censu Religiosorum Vitalitios, ac in cæteros suos redditus. Ergo eadem administrationis lege devincitur Prælatus. Est ne Regio Professori in tota Casuistica, vel laxiori Theologia asylum aliquod, quo se recipiat?

IX. Ratiocinio presse excusso, alio ex latere ipsum urgeo. Quo reci-

dunt illa verba : Syndicus seu *Cellerarius exigere census*, *actus juridicos exercere*, *&* *in Arca communi pecunias confundere debet*? Eccur officialis iste has perferre molestias, Tribunalia subire, laicos ad census solutionem solicitare cogitur? Quo hæc omnia pertinent? Ut jus omne Monasterio vindicet : pecunias vero Claustrali reservanti censum acquirat. Ecquodnam dominii monstrum istud est, cujus fructu nunquam verus absolutusque dominus fruitur? Monasterium ob hoc sterile jus officialem instituere debet, ut Claustralium census exigat, quin aliquod verum emolumentum percipiat? Subditus autem absque ullo labore, molestiave, collectis a Cellerario pecuniis fruitur? Oh lepidum, atque festivum paupertatis simulacrum! Quando laici prompte census pendunt, quis tum eosdem exigit, & in marsupium conjicit? Quotusquisque est Claustralis, qui conditiones, quibus census vitalitios coarctat, exacte servet? Colligat heinc iterum velim, juxta suam ipsam doctrinam, communiter plures Claustrales sacrilegæ proprietatis labe tinctos esse, quod reapse, paucis exceptis, præscriptas ab eo formulas non exequantur.

CAPUT XVIII.

Error gravissimus, quo RR. Magistri docent, nulla lege, nullo voto, nullo præcepto Claustrales astrictos esse exactæ communitati, sed peculium absolute, præcisa quacumque circumstantia, licitum esse, iterum convellitur.

I. UT causam pressius dirimam, quibusdam quæstiunculis veluti acutis calcaribus adversarios Magistros urgebo. Paupertatis Monasticæ votum excipit ne suapte natura peculium, aut rejicit? Si secundum, causa finita est. Si natura sua, & hypothesi quaque exclusa excipit, ridicularium votum est. Quandoquidem, si absolute peculium voto non adversatur, fit, ut nullum peculium etiam ingens, eidem voto repugnet. Quid ad hæc? Erumpat in medium Magister *Vindex*, ut parumper quiescat Magister *Claustralis*. Itaque Regius Professor in suis *Vindiciis pag.* 17. præfatam illationem concedit, hac sola adjecta conditione, quod ingens marsupium pendeat a Prælati nutu. *Non officit* (inquit) *Evangelicæ perfe-*

ctio-

ctioni peculium ad honestum finem servatum: Neque ergo officit paupertati Religiosæ idipsum ex licentia custoditum; cum ea stante licentia Præpositi Regularis, eidemque facta manifestatione peculii, in PARI CAUSA sit MONACHUS & LAICUS perfectioni addictus. Uterque Evangelicum Consilium tenebit, modo uterque adfectum a peculio distrahat. Magistri nostri *Vindex*, & *Claustralis* Fraterna concordia sibi constant in opinionum peregrinitate. *Laicus addictus perfectioni?* Quid? Omnes Christiani non sunt forsitan Evangelicæ perfectioni proprio statui congruæ addicti? Consilium Evangelicum uterque tenebit, si uterque *adfectum* a peculio distrahat? Non est ergo præceptum, sed consilium solum *adfectum* a pecuniis distractum servare? Hæc ne publici Professoris Regii doctrina? Catholici docent, immo Evangelium ipsum, consilium esse dimittere, & vendere omnia, & pauperibus distribuere: quod consilium materia est paupertatis Monasticæ voti. Præceptum vero omnibus impositum, cor, animum, & affectum a pecuniis immunem custodire. In *PARI CAUSA* sunt Laici, & Claustrales in pecuniarum retentione, dummodo accedat Prælati venia? Non plus officit peculium Monasticæ paupertati Claustralium, ac obsit perfectioni communi Christianorum? Hæc commenta fabricanda illis erant, ut vel aggredi possent Doctrinam inconcussam *Disciplinæ Apostolico-Monasticæ*. Errorem hunc gravissimum non confutatione, sed detestatione sola repellimus. Licentia Prælatorum, sublata vera necessitatis causa, velamen merum sacrilegæ proprietatis est.

II. Reponet Magister *Vitæ Claustralis*, errorem sui Commilitonis enormem esse, si peculia quæque, secus si parva, permittantur. Cedo iterum. Voto paupertatis Monasticæ præciso ab omni hypothesi necessitatis, repugnat ne absolute peculium, an secus? *Absolute*, inquis, non repugnat. Ergo vi istius voti æque mille, ac centum aurei permitti a Prælato poterunt. Votum enim illud, quod absolute peculium non rejicit, æque parvum admittit, ac magnum. At inquit, cum votum istud paupertatis sit, pingue admittere peculium minime valet. Unde hoc colligis? Non ex natura ipsius voti. Non ex aliquo præcepto vetante. Siquidem RR. Magistri buccis concrepantibus vociferantur, neque vi voti, neque vi præcepti astrictos Claustrales exactæ communitati. *Ex his ineluctabilibus positionibus* [scribit P. Magister Vitæ Claustralis pag. 311. *consecutio manifesta suapte natura fluit: scilicet ex nullo præcepto, neque ex propria profes-*

 sione

sione ad vitam communem juxta Danielis criterium exactam obstrictos esse Claustrales. Hoc principium, nimirum, exactam rerum communitatem peculii expertem, nulla lege, nullo voto, nullo præcepto esse impositam Claustralibus, singulis fere paginis occasione data inculcant, propugnant ambo Magistri nostri. Quem manifestissimum errorem & supra refutavi, & nunc & infra labefactabo.

III. Nulla ergo juxta RR. Magistros Professio, nullum votum, nullum præceptum exactam communitatem peculii expertem præscribit? Ergo Prælati ex arbitrio peculia impertiri valent, quacumque præcisa circumstantia. Quin illa denegare nequeunt, neque astringere subditos, ut a peculio abstineant. Quod enim nulla lege vetitum est, nulla ratione Prælati denegare illud queunt. Si reponant, Prælatos vi voti non posse subditis concedere peculia, nisi ex rationabili, gravique urgente causa. Ergo, inquio ego, peculia aut vi voti, aut vi præcepti vetita sunt. Si iterum opponant, talis naturæ votum esse, ut nihil habeatur, nisi consentiente Prælato: denuo recurrit argumentum, valeat ne Prælatus ex ingenio, & arbitrio, indiscriminatim omnibus subditis indulgere peculia: an huic, vel illi ob solam necessitatem. Si primum: tot erunt vota paupertatis Monasticæ, quot sunt genia, humores, & phantasmata Superiorum: atque adeo chimæricum est votum Monasticum. Si secundum: ergo datur aut votum, aut præceptum vetans peculium. Si tandem replicant. Ideo non posse Prælatos ex ingenio peculia concedere, quia Capitula Generalia vetant hanc arbitrariam indulgentiam, in foveam semetipsos conjiciunt. Nam vel Capitula Generalia vetant absolutam concessionem peculiorum ex arbitrio. Et nulla sunt: quia nec Capitula Generalia ex arbitrio valent vota subditorum augere, & severiora efficere: aut vetant, quia reapse peculia, sublata necessitate, voto, aut præcepto exactæ communitatis adversantur. Et hac in positione habeo, peculia aut vi voti, aut vi præcepti vetita esse. Si peculia absolute licita essent, nullaque lege vetita, cur Capitula Generalia ad breve tempus, in exigua quantitate, & pro re tantum determinata permitterent? Cur vel ipsi Adversarii intra definita confinia peculia restringunt, & coarctant? Nonne hinc evidentissime patet, aut vi voti, aut vi præcepti prohibita peculia esse? A quo sive voto, sive præcepto dispensare Prælati valent, urgente dumtaxat gravi necessitate, modo infra explicando. Gravissimus ergo est error

ror

Digitized by Google

ror illorum, qui negant, ullam reperiri legem, ullum præceptum præscribens exactam communitatem, peculiumque absolute vetans.

CAPUT XIX.

Duo alii gravissimi errores cum universa Catholicorum doctrina pugnantes: Alter Magistri Vindiciarum *negantis Claustrales promittere communitatem descriptam in Actibus Apostolorum: Alter Magistri* Vitæ Claustralis *effingentis in Collegio Apostolorum peculiorum corruptelam obtinuisse. Mutuus Magistorum conflictus illorum causam destruit, confodit.*

I. TAmetsi prima Dissertatione hi duo errores penitus convulsi sunt, nihilominus lubet iterum eos sub oculos ponere, tum ut magis pateat, quam infelix, falsa, & desperata sit Adversariorum causa, tum ut illos tandem suppœniteat talia evulgasse.

II. Magister Vindex pag. 26. confitetur, communitatem descriptam ab Evangelista Luca cap. 2. & 4. peculii cujusque fuisse expertem. *Communitas Apostolica*, inquit Professor Regius, requirit, *ut ex communi Cellario pascantur, ex uno Vestiario induantur Monachi, omniaque bona quomodolibet ad eos pervenientia in rem communem redacta, cui necesse fuerint præbeantur, & ita quidem exacte, ut nec depositum ullum, esto debitis cancellis restrictum, nec peculium aliquod, quovis moderamine adhibito, nec vitalitius proventus, quolibet temperamento moderatus, indulgeatur. Verbo dicam: ita servanda est hæc bonorum communitas, sicut fuit olim Hierosolymis custodita, & a Fratre nostro propugnatur.*

III. Ergo: aut Magister Vindex non emisit professionem secundum Regulam Augustini: aut præfatæ communitati devinctus est. Si negat primum? Ergo fateatur postremum necessum est. Regula Augustini non aliam præscribit communitatem, quam quæ in Actibus Apostolorum descripta est. En illius verba: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, sic enim legitis in ACTIBUS Apostolorum.* Ergo aut Regius Professor non est Dominicanus professus Regulam Augustini: aut si est Dominicanus, præfatæ Apostolico-Monasticæ communitati subjectus

est.

Digitized by Google

est. Hæc communitas, ipso fatente, exceratur quodlibet sive peculium, sive depositum quocumque excogitabili cavillo obtectum. Ergo ineptæ sunt *Vindiciæ ipsius*.

IV. Quid ad hæc reponit R. Magister *Vitæ Claustralis*? Approbat ne Magistri istius commilitonis sui doctrinam? Apage nugas respondet: apage commentum? Quid? Ille in suis Nunciis litterariis hæc Magistri sui responsa probavit his verbis: *Tutto che le risposte del P. M. fievoli non sieno*. Porro hæc, quam retuli ex eo, doctrina, unica est Vindiciarum basis. Reponet forsitan se in illo folio, ut veram recognovisse doctrinam Professoris Neapolitani; cæterum in Opere *Vitæ Claustralis*, ubi ab *ovo* controversiam versat, illam improbare ut falsam: atque ut *primordiale* fundamentum constituere suæ *Claustralitatis* communitatem descriptam a Luca in Actibus 2. & 4. non fuisse, neque perfectam, neque perfectissimam, sed suo peculio gravidam atque turgentem. Sic enim tertium, aut quartum scribit *Differt. V. cap. 1. pag. 365. Primis Christi Fidelibus, qui nempe Hierosolymæ ad Petri Apostolorum Principis prædicationem conversi fuerant, quique ut in Actibus Apostolorum legimus, propria fecerant communia, indultum fuisse, ut PECULIUM haberent, ex iis, quæ initio hujus II. Partis dicta sunt, facile dignoscitur*.

V. Hic Magistri *Vitæ Claustralis error* longe gravior est errore Magistri *Vindicis*. Siquidem enormem maculam affingit Sanctissimo illi Collegio, a quo, ut cum Patribus omnibus docet Angelicus, Disciplina Monachalis sua arcessivit primordia. Nemo adhuc Catholicorum, quin nec Hæreticorum, tam immane commentum, an delirium dixerim, excogitavit. Patres & Theologi omnes testantur, perfectissimam in Sacro illo cœtu resplenduisse evangelicæ paupertatis, exactissimæque communitatis imaginem. Nemo unus hactenus sic deliravit, ut peculii privati corruptelam ibi obtinuisse effutierit. *Omnes autem, qui credebant, simul erant, & omnia habebant communia*, inquit S. Joannes Chrysostomus *hom. 7. in c. 7. Act. Apost. Omnes dicit. Non ille habebat, ille secus. Hæc Angelica Respublica erat, quod nihil diceretur proprium. Hine radix malorum excisa est. Non erat frigidum illud meum, & tuum; sed exultatio immensa erat*. Basilius, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Athanasius, Gregorius, Beda, D. Thomas Aquinas adfirmant, Sanctos Apo-

Digitized by Google

Apostolos, & cum illis primos Christianos, Hierosolymis exactissimam vovisse paupertatem seu communitatem, ut alibi indicavimus. Ex multis, quæ transcribere isthuc possem, unum afferam Dionysii Carthusiani textum, quo ambo Magistrorum errores convelluntur. Inquit ergo de *Refor. Claustr. ar.* 9. *Christus Matt.* 19. *dixit: si vis perfectus esse vende &c. Quem in verbis sensum intenderit Christus .... nec certius nec verius scire valemus, nisi ex verbis & factis eorum, quos Spiritu Sancto plenissimos fuisse non dubitamus, videlicet Apostolorum, & eorum, qui cum Apostolis conversati noscuntur. Deinde ex dictis & factis Sanctissimorum Virorum & Patrum, qui Ordines instituerunt, ut puta Hieronymi, Augustini, Basilii, Pacomii, Benedicti atque similium.*

VI. Audiant RR. Magistri quæ sequuntur. *Itaque quod Christi intentio fuit in verbis prætactis perfectam consulere paupertatem, OMNE PECULIUM excludentem, primo constat ex eo, quod sicut in Actibus Apostolorum describitur: Misso in die Pentecostes Spiritu Sancto, & aliquot Millibus Judæorum ad Fidem conversis, statim universi illi Ecclesiæ primitivæ Fideles, Vitam Communem ducere inceperunt, nec quisquam illorum aliquid proprium possidebat, sed erant eis cuncta communia .... NEC QUISQUAM ILLORUM, cui administratio commissa non erat, PECULIUM habuit; sed omne pretium, quod pro rebus, quas vendidit, sumpsit, ante Apostolorum posuit pedes, dividebaturque singulis per eos, quibus Apostoli commiserunt administrationem illam, prout cuique necessarium fuit.*

VII. P. Augustinus Calmet in *cap.* 2. *Act. Apost. vers.* 45. *Omnes ex eodem fonte, ea, quibus indigebant, accipere tenebantur. Annona communis: domicilia communia: bona communia. Frigidum illud meum, & tuum ex sancta illa communitate procul exulaverat.* Et in *cap. V. vers. I. Credunt autem* Hieronym. August. Cyprian. Athanas. &c. *Concilium hoc, quo Fideles prædia sua vendebant eorum pretium ad Apostolos afferebant, implicite saltem continuisse votum NIHIL sibimet reservandi, sed omnia in commune Fidelium conferendi.*

VIII. Nolo diutius confutare errorem, quem tum Catholici, tum Hæretici execrantur. Tremenda Dei justitia permissum existimo, ut in hos turpissimos gravisque scandali plenos errores prolabantur illi, qui Christi, & Apostolorum paupertatem, communitatemque, non opere modo,

Digitized by Google

modo, verum etiam typis editis libris, de medio tollere infelici conatu pertentarunt.

CAPUT XX.

Consuetum illud POTEST Prælatus revocare peculii usum, quem numquam revocat: jactata illa subditorum animi promptitudo dimittendi peculium, quod numquam dimittitur, ludicrum chimæricumque efficiunt solemne Paupertatis votum. Scripturæ, Patres, Theologi, & communis omnium hominum sensus id evidenter confirmant.

I. Potestas hæc Prælatorum revocandi peculii usum, omniaque in rem communem redigendi, aut erumpere in actum tenetur, aut secus? Si primum. Ergo Prælati gravissime peccant, propterea quod proprio defungi officio negligant, severissimamque sui Ministerii legem implere omittant. Si secundum. Futilis ergo & inanis est jactata potestas. Quod clarius expono. Aut Prælati aliqua lege, vel præcepto astricti sunt peculiorum usum revocare, exactamque invehere communitatem: aut nulla lege, nulloque præcepto ad id urgentur. Si lege & præcepto soluti sint, illorum potestas mera capacitas physica est, & otiosa, cui subditi parere minime astricti sunt. Si in iis omnibus, in quæ Prælati imperandi capacitatem, facultatemve habent, obedientiam præstare subditi deberent, quæ non consequerentur monstra? *Possunt* Prælati jubere, si capacitatem spectemus, ut subditi continue jejunent, ut nudis pedibus incedant, ut a litterarum studio abstineant. Et quid non possunt? Obsequi ne subditi illis debent? Quis asseruerit? In iis ergo præstanda illis obedientia est, quæ leges, & Constitutiones Religionis propriæ spectant. Evidens itaque, quod illud *prodigiosum, & adeo jactatum POTEST* Prælatus revocare peculium, & communitatem exactam invehere, non sit mera arbitraria capacitas, & potestas, qua ex ingenio possit peculium revocare, eo pacto, quo potest jubere vel prohibere quæ nulla lege, aut Constitutione præscribuntur. Quid itaque? Potestas est severissima lege gravata prodeundi in actum, nisi scandala, & majora mala impediant,

diant. Neque evadendi rima patet. Si enim hæc potestas, nulla lege, nullo præcepto revocandi peculium ligatur, futilis, ludicra, jocosa est, eique parere subditi minime astringuntur, ut dictum est. Si lege & præcepto devincitur: ergo criminum plena, si quoad fieri potest, reapse non revocat peculia, non invehit exactam rerum communitatem.

II. Propositionem natura sua luculentissimam Patres Theologi, atque vel ipsi benigniores Probabilistæ unanimi assensione confirmant, ut infra patebit. *Certum mihi est* [inquit piissimus Abbas Servatius Lairuelz in Opt. Specul. 12.] *esse in continuo peccato mortali eos Prælatos, qui, quantum possunt, sua Monasteria non reformant, quique ad vitam communem Religiosos suos, quantum possunt, non reducunt.*

III. Altera Propositio: quæ subditorum promptitudinem parati animi peculii dimittendi ad Prælatorum nutum primam firmat, universamque causam in pleno collocat lumine. Sacrilegæ proprietatis labe infectum peculium est, nisi parati subditi sint, illud, jubente Prælato, dimittere. Admittunt ne RR. Magistri hanc propositionem? Quam maxime. Immo sub hac animi *promptitudine* licitum peculiorum usum defendunt. Ipsa voti paupertatis Monasticæ natura talis est, ut nihil habeatur nisi ex venia Prælati, neque retineatur nisi usque dum Prælatus velit. Verum ne hoc habet? Verissimum. Ad rem ergo. Quid est hoc animi propositum? Respondet D. Thomas 2. 2. *q.* 88. *a.* 1. *in c. Propositum est actus voluntatis deliberatæ.* Voluntas deliberata, ne fucata sit, & ludens, quid requirit? Respondet idem S. Thomas 1. 2. *q.* 20. *a.* 4. *Non est perfecta voluntas, nisi sit talis, quæ opportunitate data, operetur.* Opportunitas dimittendi peculium adest: Ergo ficta est voluntas. Sincera jactatur voluntas dimittendi peculium, & numquam peculium istud executitur? Non voluntas hæc, sed voluntatis monstrum, clamat Augustinus *lib.* 8. *Confess. cap.* 9. *Unde hoc monstrum? Imperat animus, ut velit, & non fit quod imperat? Non ergo ex toto imperat. Nam in tantum imperat, in quantum vult. Et in tantum non fit quod imperat, in quantum non vult.* Si hæc animi promptitudo vera esset, jam non esset, resumit acutissime de more Augustinus. Quia si vera fuisset, in opus prorupisset, atque adeo cessasset, partu in lucem dato. *Nam si plena esset, nec imperaret, ut esset, quia jam esset.* Fœminarum, quæ non vento, sed fœtu gravidæ sunt, emisso puero, graviditas evanescit.

scit. Claustrales plures perpetuo gravidi peculio sunt, quin umquam illud excutiant. Quid heinc infert Augustinus *cap. 10. Pereant a facie tua Deus, sicut pereunt vaniloqui, & mentis seductores.* Nonne Christus ipse toties detestatus est in Judaico populo hanc subdolam voluntatem operibus sterilem? *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Matt. 15.*

IV. Clamant in libris Patres & Theologi omnes vel laxioris Ethices: clamant e Suggestu Sancti Dei Verbi Concionatores, futilem esse poenitendi voluntatem, quæ pœnitentiæ opera numquam parit. Ludicrum esse propositum abstinendi a flagitiis, dimittendi occasionem, sanctamque vivendi formam suscipiendi, si interim & in occasione morantur peccatores, & in flagitiorum cœno persistunt, & meliores mores numquam proferunt. Clamant, hoc, quod jactant propositum, fructibus destitutum diabolicum esse præstigium, quod omnes damnati ostentabant, dum vitam agerent, & quod omnes vel obfirmati peccatores se habere mentiuntur. Luculentum ergo est, Patres, Theologos, & universæ Reipublicæ Rationalis consensum deridere, sibilare, execrarique hoc, quod ostentant RR. Magistri propositum dimittendi peculia, quæ reapse ad ultimum usque vitæ intervallum retinentur.

V. Theologorum omnium voce voluntas quidquam peragendi commentitia & chimærica dicitur, quando urgente præcepto, aut voto, non se se exerit in opus præceptum. Mandatum invehendæ communitatis, peculiique proiiciendi urget, instat. Illud imponunt Regulæ Professionis vestræ. Illud inculcat Ecclesia tum Conciliorum Decretis, tum Pontificum Constitutionibus. Voluntas vestra a tot sæculis non erupit in actum, peculium non abegit, communitatem non suscepit. Ergo omnium Theologorum consensu vestra hæc animi promptitudo, vestra hæc resignatio fictitia, ludicra, jocosa chimerica est.

VI. Peculia non dimittimus, quia Prælati non urgent, non jubent illa dimitti. Ita ne vero? Ergo Prælati, hoc admisso responso, sunt proprii Ministerii prævaricatores, sacri legum depositi proditores, atque solemnis professionis temeratores, propterea quod munus suum non obeunt. Quid ad hæc Prælati reponunt? Nos, inquiunt, peculia subditis non auferimus, exactam rerum communitatem non introducimus, quoniam subditorum timemus scandalum, repugnantiam, contumacemque rebellionem.

Alte-

Digitized by Google

Alterutrum ergo fateantur oportet. Aut Prælatos in continuo versari periculo, & proprio deesse muneri: aut subditos obfirmatos esse in retentione peculii. Ab hoc nodo numquam se expedient, nisi crumenam projiciant.

VII. Quæ hactenus dicta sunt, facile esset unanimi Theologorum voce firmare. Unum & alterum hic adducam. Celeberrimus D. Petrus a S. Audomaro *lib. 2. Instit.* Monast. cap. 18. hæc scribit. *Sed dicent peculiorum possessores, se pecuniis, vel aliis concessis vel datis non affici tamquam propriis, quin paratos esse omnia RESIGNARE Prælatis exigentibus, in quorum potestate omnia, quæ penes se sunt, esse asserunt. In cujus protestationem singulis annis exhibent schedulam continentem quæcumque habent suo usui deputata. Verum splendide mentitur iniquitas sibi. Hoc uno argumento probare velim, eos taxatam pecuniam, & alia PROPRIETATIS affectu hactenus possedisse, quod noluerint Episcopis, & Prælatis suis exigentibus pressi etiam per professionis & Regulæ suæ obligationem, immo per Concilii Generalis Decreta cedere resignationi: quin immo totis conatibus repugnarunt. En quo modo noverunt in Abbatis potestate omnia esse debere, & parati sint illi exigenti omnia tradere. Velamen est iniquitatis exhibita illa schedula, & ficta protestatio. Et proinde summa impudentia est eorum, qui hac ratione a proprietatis vitio se se defendunt. Sepulcra foris dealbata, intus autem plena ossibus mortuorum.*

IX. Illustrissimus Franciscus Ramirez ex Ordine Prædicatorum assumptus Archiepiscppus Brundusinus hæc scribit §. 12. *pag.* 73. *De Substantia voti paupertatis est nihil habere sine licentia Prælati cum PRÆPARATIONE animi ad dimittendum omnia in suis manibus . . . Modo inquirimus exercitium illius animi preparati, seu habitus, in quo consistit. Nonne unicum illius exercitium est actualis dimissio omnium in manibus Superioris, ipso volente & insinuante? Certissime sane. Cur ergo illa quasi habitualis animi præparatio numquam VIDEBIT ACTUM SUUM ET EXERCITIUM? Si enim gladius numquam ad secandum applicabitur, rubigine corrodi necesse erit . . . Dimittantur ergo in manibus Superiorum, ut paupertas suum videat exercitium, & non sit quasi potentia irreducibilis in actum. Neque prudenter creditur quod facile ore dicitur, & difficile corde tenetur, nempe Fratres habere animum præparatum ad dimittendas pecunias, & alia bona, quæ retinent de Superiorum licentia. Hoc enim ut plurimum verum*

Digitized by Google

rum non est, quia experientia docet oppositum. Nam modo, & pluries Concilium, Summus Pontifex, atque alii Prælati præcipiunt, & præceperunt, dimittere omnia in manibus Superiorum; & tamen dimittere, & obedire renuunt, atque resistunt. Et tot excusationes admittunt, quod Sole clarius apparet, non habere, nec habuisse animum præparatum ad dimittendum.

Nec sufficit ad paupertatem petere licentiam a Prælato retinendi pecunias, & alia bona, quam nunquam negat, imo nec negare audet: & si negaret, statim orietur intestinum bellum, aut seditio, vel saltem recursus OBSTINATUS ad Superiores. Quæ omnia clare demonstrant, præfata ore dici, sed corde non teneri.

X. Audi nunc, Amice Lector, Magistrum *Claustralem* pag. 353. hæc scribentem. *Raymundi Ramirez testimonium punica fide depravatum fuisse exhibet Author Vindiciarum.* Laudatus Ramirez integra Dissertatione exagitat Nummicolas, illorumque futiles excusationes inter fabellas ridicularias amandat, ut ex recitato textu patet. Et nihilominus tantæ frontis homines reperiuntur, quos minime pudeat pernegare, Archiepiscopum hunc diris devovere peculia? Verum de hoc incredibili ausu Magistri *Claustralis* plura infra dabimus monumenta.

CAPUT XXI.

Peregrina doctrina Authoris Vitæ Claustralis *afferentis Prælatos Regularium non posse de subditorum peculio disponere absque eorumdem assensu.*

I. AByssus abyssum invocat. Error in errorem trudit. Sub latebra potestatis, qua revocare peculium Prælati Regularium valent, crimen occultatur proprietatis. *Claustralis Vitæ* Magister hanc ipsam potestatem, quamvis inertem, & intra meræ potentiæ cancellos semper consistentem, adortus est, eamque penitus excussit, atque subditorum voluntati subjecit. Error hic omnium est monstrosissimus: quoniam vel ipsam paupertatis Monasticæ umbram exterminat. Ejus verba transcribenda sunt. Ut tanto errori fucum quærat, sequentem textum obtrudit 2. *p. Dissert. VII. pag.* 435. *Deposita fideliter custodiantur, ut nihil de ipsis accipiatur sine licentia deponentis.* Textus iste editus est in Capitulo Bono-

Digitized by Google

Bononiensi anno 1244. pro custodia pecuniarum, quæ ab extraneis quandoque deponebantur penes Fratres securitatis gratia, ut invictis argumentis ostendit Plantamura *Dissert.* 2. contra quem sic insurgit Claustralis noster citata pag. 435. „ Ex quonam fonte, rogo te, hanc hausisti Theologiam, ut Superior Prælatus, qui majore in rebus Ordinis „ pollet potestate, præcipere non valeat Prælatis sibi subjectis, ut nihil de rebus ad subditorum usum impertitis *sine eorum assensu, & voluntate* possint disponere? *Asinus sit* oportet, qui id non intelligit: „ *Si tali privilegio non gaudet Sacrum evangelicæ paupertatis votum*, „ quam ob rem Romanus Pontifex Innocentius XII. approbavit die 7. „ Decembris 1691. per Constitutionem *Ex injuncto nobis* legem hanc Or„ dinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. „ *Dist. III. cap. II. §. 3. Præcipimus autem Prælatis sub pœna priva„ tionis officii, ne a sibi subditis, ex his, quæ in communi deposito ha„ bent, quidquam vel in minima quantitate, neque ad brevissimum tem„ pus sumant, aut mutuo petant*. Et quare non semel Sac. Congrega„ tio Regularium Disciplinæ præposita in Prælatos Regulares severissi„ me animadverterit, quod Fratrum peculium sine eorum assensu ex æra„ rio extrahere ausi sint? „

II. Tam enormem errorem vel ipsi Innocentio XII. Pontifici Summo, qui nullum non movit lapidem, ut exactæ communitati subiiceret Claustrales, affingere non reformidat? Sacra Congregatio super Disciplina Regulari animadvertit in Superiores, quod, inconsultis subditis, ex ærario communi aliquid peculii privatorum Fratrum extraxerint? Hæc commenta dixerim, an mendacia ad decipiendos incautos promuntur in lucem? Quid quæso hactenus propugnavit licitum esse peculii usum, quod sit sub dominio Prælati: quod ex ejus venia retineatur a subditis, quod sit ad Prælati nutum revocabilis? Nihil possunt Prælati disponere de peculiis subditorum *sine eorum assensu & voluntate?* Ergo non subditi a Prelatis, sed Prælati a subditis pendent in paupertatis voto. Ergo absoluta peculii dispositio, non penes Prælatum, sed penes subditos residet. Quid ergo in communi ærario pecunias collocant Fratres, si ipsis invitis, nihil de eisdem in commune bonorum Monasterii Prælati accipere queunt? Veri ergo Domini sunt Fratres suarum pecuniarum? Quid hiscit? *Asinus*, sit, inquit, oportet, qui hæc

non intelligit? *Asini* ergo erunt omnes Ecclesiæ Doctores, qui oppositum docent? Quis non miratur Magistri Claustralis modestiam?

III. Theologi, reponit, oppositum docent absolute: secus si accedat auctoritas aut Magistri Generalis, aut Capituli Generalis prohibentis Prelatis, ne quid disponant de peculiis subditorum *sine eorum assensu, & voluntate*. Consilium Lateranense declaravit, nec Summum Pontificem dispensare posse cum Claustralibus super habenda proprietate. Tunc autem est vera proprietas, quando Fratres exempti sunt a subjectione Prælatorum in pecuniis expendendis. Si enim non subditi a Prælatis, sed Prælati a subditis pendent in peculiorum dispositione, tunc subditi ut veri Domini habentur. Porro si nec Papa juxta Concilium Lateranense valet super habenda proprietate dispensare; hac ne potestate præditum erit Capitulum Generale? Hoc Capitulum Fratres ipsi componunt: Valent ergo ipsi Fratres semetipsos a voto subtrahere? *Si tali privilegio non gaudet votum paupertatis*, reponit Claustralis noster, ut Superiores nihil de peculiis subditorum sine eorum assensu disponere valeant, in vanum approbasset Innocentius XII. Constitutiones Mercenariorum. Negamus Pontificem Summum tam enormem errorem approbasse. Quid? Errorem appellas integri Capituli Generalis Constitutionem? Non ego, sed Doctores omnes, nemine excepto, erroris gravissimi damnant præfatam doctrinam. Quod Capitulum Generale prohibere inferioribus Prælatis valeat, ne abutantur propria potestate, ne in usus proprios convertant, ne dilapident subditorum peculia, ubi talis pestis serpit; verum habet: at quod legem absolutam condere valeat, ne quidquam de peculiis subditorum *sine illorum assensu & voluntate* disponant, error est turpissimus. Errabit ergo integrum Capitulum Fratrum mendicantium? Negat forsitan? Hoc Fraternum Capitulum est ne aliquod Concilium Oecumenicum? Si Fratres isti, repugnante Concilio Tridentino, repugnantibus Pontificibus, peculia retinent; quid mirum, si in Capitulo congregati leges rogent in peculiorum præsidium? At missa errandi potestate, quero. Præfatum Capitulum, aut aliud simile, condidit ne præfatam legem, ut Prælati nequeant, prout illis expediens visum fuerit, convertere in communes Coenobii usus peculia Fratrum *sine eorum assensu, & voluntate*, aut secus? Si secundum: Fabulam evulgavit. Si primum: Capitulum erravit, legem scandali plenam condidit, solemne paupertatis votum de medio sustulit

IV.

IV. Opponunt, in Constitutionibus aliorum etiam Regularium similem haberi ordinationem. Quid inde? Numquid a multitudine suam accipit æquitatem? Ut iterum quam monstrosa sit lex ista, seu potius corruptela, paucis expediam, ob oculos luculentissima omnium Theologorum Doctrina denuo recurrat: videlicet peculium, repugnante Prælato, habitum, proprietatis labe tinctum esse. Porro, admissa lege vetante, ne Prælati, inconsultis subditis, valeant, prout expediens visum fuerit, de illorum peculiis disponere, jam subditi, renuente Prælato, peculium habebunt? Et tunc corruere paupertatis votum, quis inficias ire ausit, nisi prima paupertatis principia neget? At, inquiunt, facta hypothesi, in qua Prælati necessaria non porrigant; nonne quisque sibi prospicere jure naturæ potest? Verum habet. Sed quid inde? Si periculum est, Prælatum quempiam repertum iri, qui necessaria subditis deneget, propterea ne a paupertatis voto eximendi subditi sunt? Prælatus, hoc in casu, a suo absolvatur officio. Sed, ne prætextus juris naturæ tegere se valeant, revocandum in memoriam est, peculium ab Eruditis Adversariis propugnatum. Quod jure naturæ necessarium est, hic & nunc occurrit. Peculium in communi arca custodiendum traditum, in futuros usus reservatur, atque adeo hic & nunc necessarium non est. Ergo de eo disponere Prælatus absolute potest. Ergo lex Capitularis, quæ Prælatis adimit facultatem disponendi de peculio, non consentientibus subditis, penitus destruit paupertatis votum. Consulat quæso Lector *Dissert. Prælim. cap. IX.* ubi tria reperiet peculiorum genera a *Vitæ Claustralis* Authore defendi, nimirum peculium ad res necessarias, post, peculium ad res voluptarias, ad honesta solatia intra, & extra Ordinem ad arculas, & horologia argentea, sin Londinensia, saltem Genevensia, ad ludos, & alia id genus. Capitula ergo Ordinum Mendicantium legem condiderunt, & approbari a Summis Pontificibus curarunt, qua prohibetur Prælatis, ne quidquam de ejusmodi peculiis disponere valeant sine eorumdem subditorum consensu? Cribro aquam hauriet quicumque cum paupertatis voto hanc componere legem tentaverit. Approbatio Pontificia, si qua sit, sub et obreptitia omnino est, & gravis injuria tum Romanæ Sedi, tum Regularibus ipsis irrogatur, dum iisdem ordinatio tam luculenter injusta affingitur.

CA-

CAPUT XXII.

Diluitur sophysma multitudinem obtrudens Regularium peculio utentium, & exiguum numerum eorum, qui perfectam communitatem servant.

I. PAuci sunt exactæ rerum communitatis cultores. Peculii vero consuetudo fere penes omnes Regulares obtinet. Numquid damnanda erit tam immensa Regularium multitudo?

II. Exprimi pro dignitate vix potest, quantum fuci imperitis hoc sophisma omnium levissimum faciat. Et principio factum evidenter falsum opponitur. Pauci Claustralium exactam rerum communitatem peculio vacuam servant? Ita ne vero? Supputationem exordiamur a Mendicantibus. In sola vastissima Seraphici Patriarchæ Francisci Religione centena millia Religiosorum perfectissimam vivunt communem vitam, quolibet peculio pulso. Integri, inclytique, atque in dies florentes Capuccinorum, Reformatorum S. Bonaventuræ, Reformatorum S. Bernardini Senensis, Reformatorum S. Petri de Alcantara Ordines exactam rerum communionem servant. Ex Prædicatoribus integræ Congregationes, & Provinciæ in Italia, Gallia, Hispania & Polonia. Ex Servitis Congregationes Excalceatorum. Ex Carmelitis Provinciæ plures, & integra Excalceatorum Carmelitarum Religio. Augustiniani pariter Excalceati, Trinitarii excalceati, pulsis peculiis, perfectam rerum communionem excolunt. Accedit, quod in ipsis Provinciis, & Cœnobiis laxioris Disciplinæ plures, aut nullum peculium retinent, aut si quod retinent, non libere, sed necessitate alendæ naturæ cogente, eodem utuntur, & bonorum communionem anhelant.

III. A Mendicantibus ad Monachos transeamus. Celeberrimæ Benedictinæ Religionis plures sunt Congregationes, quas inter emicat inclyta Congregatio S. Mauri, a quibus exulat peculiorum abusus. Præmonstratensis quoque Ordinis plures Provinciæ in exacta rerum communione vivunt.

IV. Integra Camaldulensium Eremitarum Religio, Integer Carthusia-

stianorum Ordo, Trapensis Congregatio, & alii Monachorum Cœtus perfectam servant communitatem, peculiis eliminatis.

V. Ex Clericorum Regularium plurimi hanc excelsam communitatis virtutem inviolatam custodiunt. Duo Patriarchæ Sanctissimi Cajetanus, & Ignatius, licet aliorum Ordinum jejunia, abstinentiam, cæterasque austeritates delinierint, paupertatis tamen legem severius arctarunt. Bona stabilia vel in communi possidenda prohibuerunt. Hic collige quanta ignorantia laborent illi, qui audent asserere Sanctos illos prohibuisse census & redditus in communi possidendos, concessisse vero similes redditus & census privatis Religiosis. Quid enim dementius excogitari potest? Irrisoria quippe, & perridicula esset prohibitio retinendi census & redditus in communi, quando liberum esset eos haberi a singulis Religiosis. Communitas enim in *abstracto* actiones non exercet, non possidet, non utitur. Homines, qui illam componunt, illi sunt, qui bona possident. Si ergo singulis privatis Claustralibus facultatem habendi redditus impertiissent Sancti Patriarchæ, futilis fuisset illorum prohibitio non retinendi ejusmodi redditus in communi. Quid plura. Quid, quod S. Patriarcha Ignatius ultra solemne paupertatis votum, aliud peculiare votum adjecit nunquam laxandi, sed potius arctandi paupertatem.

VI. Verum, ut iterum magis magisque pateat, quam sit crassa, & erronea deceptio illorum, qui cavillantur, votum paupertatis Monasticæ pugnare dumtaxat cum dominio, secus cum privato peculii usu, lubet, aliud exemplum adducere adversus tam ludicrum commentum. Celeberrima illa, atque de populi Christiani reformatione, solidæque pietatis cultu optime merita Congregatio Clericorum S. Vincentii de Paulis, quos *Dominos Missionarios* vocant, bonorum dominium retinent, facultatemque testandi, abdicato cujusque privati peculii usu. Cum hac dominii retentione exactissimam communitatem Apostolicam servant. Communis victus, communis vestitus, communes libri, omnia communia. Nullius pecuniæ privatus usus, neque pro selectiore pulvere nicotiana, neque pro cocholate, neque pro quacumque excogitabili re sed cupediis, & deliciis spretis, Omnia necessaria de communi subministrantur. Cum domo una recedunt, aliamque petunt, exceptis sacris libris, nihil secum deferunt. En sacræ & fœcundæ *Missionis* basis, & fundamentum. Perfectissimam Apostolicam bonorum communitatem, subla-

Digitized by Google

sublatis distinctiunculis, & cavillis, reipsa adamussim servant. Et ideo, quo sunt istius Evangelicæ paupertatis severiores cultores, eo uberiorem ex suis sacris missionibus colligunt animarum sanctificatarum messem. Hæc Sancta Paupertas illa est, quæ illos populo Christiano acceptos, ac veneratione dignos efficit, illisque vim præbet efficacissimam ad emollienda hominum corda. Hæc paupertas illa est, quæ illos nec amplas quæritare Civitates, nec summos Magnates, nec Principum Thronos anhelare sinit; sed Apostolorum vere insistentes vestigiis, castella potissimum, rura, & vicos percurrentes ingentem animarum proventum colligunt. Plura, si occasio ferret, in justissimam Insignis hujus Congregationis commendationem dicerem, ut veritati & justitiæ litarem. Hæc pauca obiter indicavi, ut exemplis confirmarem, exactam rerum communitatem consociari cum dominio sine privato peculii usu posse, secus cum abdicatione dominii reservato privato peculii usu.

VII. Hinc collige, quam falsum sit factum, quod obtrudunt, paucos nimirum Claustrales reperiri perfectæ communitatis cultores. Quandoquidem, ut vidimus, omnes Sacri Ordines in exactissima communitate instituti sunt. Integræ recentiter Religiones reformatæ adamussim perfectam bonorum communionem, pulsis peculiis, servant. In ipsis collapsæ Disciplinæ Ordinibus integræ Provinciæ, & Congregationes, pulsa peculiorum corruptela, omnia prorsus communia habent. Aliæ Religiones exactissimam communitatem a Sanctis Patriarchis institutam, absque ulla mutatione sartam tectam custodierunt semper, & in dies custodiunt.

VIII. Verum, ut objectum sophisma undequaque in nihilum redigam, fac paucos esse perfectæ communitatis cultores, maximam vero multitudinem eorum, qui peculiis utuntur. Quid quæso heinc colligunt emolumenti? An ignorant Oracula Christi Domini? *Arcta est via, quæ ducit ad Vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Lata & spatiosa, quæ ducit ad perditionem, & multi intrant per eam.* Matth. cap. 7. & cap. 22. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Quid frequentius in Scriptura Divina occurrit, quam admonitio declinandi a multitudine delinquentium? Exod. 23. *Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies.* Corruptelam temporis intervallo larvam induere virtutis docet Deus ipse Sap. 5. *Inter-*

Digitized by Google